CHRONOLOGIA, ET CRITICA
HISTORIAE PROFANAE, ET SACRAE
IN TOMOS VI. TRIBUTA.

UBI

DE VETERUM POPULORUM, ET URBIUM MENSIBUS, ANNIS, PERIODIS, CYCLIS, ET EPOCHIS.

MISCELLANEA ITEM MULTA

DE VARIARUM GENTIUM UBIQUE

ORIGINIBUS, ANTIQUITATIBUS, SCRIPTURIS, TRANSMIGRATIONIBUS, SACERDOTIBUS, TEMPLIS, AEDITUIS, ASYLIS, DIIS, RITIBUS, FESTIS, LUDIS, MAGISTRATIBUS, REGIBUS, LEGIBUS, REBUSPUBLICIS &c.

AUCTORE

F. HIEREMIA A BENNETTIS

CAPPUCCINO

PARS I. TOMUS III.

PRO ADPARATU

AD LECTIONEM SACRORUM LIBRORUM.

ROMAE MDCCLXVII.

APUD HAEREDES FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK.

SUPERIORUM PERMISSU.

CONSPECTUS

TOMI III.

PROLEGOMENON IV.

NOS FR. JOSEPH MARIA

A SAVORNIANO

VICARIUS GENERALIS

Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum (I.J.)

CUM Opus, cui Titulus est: *Chronologia, & Critica Historiae Profanae, & Sacrae, Pars prima in* VI. *Tomos &c*, a R. P. Hieremia a Bennettis Ordinis Nostri Ex-Lectore, & Custode Generali elucubratum, a duobus ex Ordine Nostro Theologis de mandato Nostro, sedulò, luculenterque revisum, approbatum, praeloque omninò dignum existimatum fuerit: Hinc praefato ejusdem Operis Auctori permittimus, ut illud, servatis servandis, Typis mandare valeat. In quorum fidem praesentes nostras solito Officii Nostri Sigillo munitas dedimus. Romae hac die 8. Mensis Junii Anno 1767.

Fr. Joseph Maria, qui supra.

Loco ✱ Sigilli.

ADPRO-

ADPROBATIO.

DE Mandato Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Vicarii Generalis Totius Ordinis Noſtri Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, attentè perlegi Opus inſcriptum: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae Pars prima in Tomos ſex diſtributa &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Cuſtode Generali Capuccino compoſitum. Cum autem nihil, & Orthodoxae Fidei, & bonis Moribus contrarium invenerim; imò potius eruditione ſumma, & doctrina non vulgari refertum, digniſſimum cenſeo, ut Typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, dignum videbitur.

Datum ex noſtro Conventu Immaculatae Conceptionis de Urbe die 25. Maji 1767.

Fr. Geminianus a Mutina jam Lector, & Ex-Provincialis Capuccinus.

ADPROBATIO.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Totius Ordinis noſtri Vicarii Generalis attentè perlegi, ac ſedulò perpendi Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae & Sacrae in Tomos VI. &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Philoſophiae, ac Sac. Theologiae Praelectore, & Cuſtode Generali Capuccino accurata diligentia, magnoque ſtudio elaboratum. In eo verò ne leviſſimum quidem mihi occurrit, quod vel Orthodoxae Fidei, vel bonis Moribus adverſetur; quinimò tanta Opus eruditione, multarumque notitia rerum adeò refertum eſt, atque Gentium antiquitates, origineſque ea in luce collocat, ut Profanae, ac Sacrae Hiſtoriae incumbentibus utiliſſimum fore cenſeam, dignum propterea, quod Typis demandetur, ſi iis ad quos ſpectat, ita videatur.

Ab Aede Immaculatae Conceptionis. Romae 1767. die 26. Maji.

Fr. Cajetanus a Caltaniſſetta Philoſophiae, ac Sacrae Theologiae Praelector, Ex-Definitor, & Cuſtos Gener. Capuccinus.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac.Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom. Jord. Patr. Antioch. Viceſgerens.

ADPROBATIO.

REverendiſſimo Patri Thomae Auguſtino Ricchinio Sacri Pal. Apoſt. Magiſtro morem gerens, libenter pervolutavi laborioſum aeque, ac omnigena Eruditione refertum Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Cuſtode Generali Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, Viro praeclaro, & a litteris, ſtudiorumque ſuorum vigiliis commendatiſſimo, elucubratum; & in eo, quod Catholicae Fidei, ac bonis Moribus adverſetur, deprehendi nihil. Quare dignum publica luce illud cenſeo, utpote Sacrae Profanaeque Antiquitatis, ſanioriſque Critices Studioſis utile ac jucundum.

Dabam e Vaticana Bibliotheca 8. Id. Junii 1767.

Stephanus Evodius Aſſemanus
Archiepiſcop. Apameae.

ADPRO-

ADPROBATIO.

Tertium eximii Operis Tomum a Cl. Patre Hieremia a Bennettis Ordinis Capuccinorum, ſatis jam noto ob non pauca egregia Volumina in lucem edita, elaboratum, cui Titulus eſt: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae in Tomos ſex tributa &c.* ex Mandato Reverendiſſimi Patris Thomae Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè legi: nihilque in ipſo deprehendi, quod aut Fidei Orthodoxae, vel bonis Moribus contrarium ſit; immo potius demiratus ſum non vulgarem Eruditionem, ſanioris Criticae uſum, totius Antiquitatis peritiam maximam, quibus praeſtantiſſimus Auctor res difficillimas, & obſcuriſſimas detegit, exponit, & mirificè illuſtrat. Quapropter illum praelo dignum, & Reipublicae Litterariae jucundum, & perutile censeo.

Datum in Collegio S. Bartholomaei in Inſula Tyberis 10. Kalendas Julii MDCCLXVII.

Fr. Petrus a Valleoctava Controverſiarum Lector.

ADPRO-

ADPROBATIO.

DE Mandato Reverendissimi Patris Thomae Ricchinii Sacri Palatii Apostolici Magistri attentè legi egregium Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Historiae Profanae & Sacrae &c.* Auctore Fr. Hieremia a Bennettis; nihilque in eo reperi, quod Catholicae Fidei, rectaeque morum Institutioni minus consonum videretur. Opus vero istud, in quo maxime relucent Cl. Auctoris ingenium, & singularis eruditio, publici juris dignum omnino esse censeo, cum sit perutile, imò necessarium iis omnibus, qui Chronologiae, & Historiae tum Sacrae, tum Profanae, praecipue vero Sacrae Scripturae sedulam dant operam. Summam profecto laudem meretur Cl. Auctor apud viros doctos, cultioresque eruditos, ut unusquisque seposito partium studio ex diligenti hujus Operis lectione judicare poterit.

Datum Romae ex Monasterio S. Romualdi die 16. Junii 1767.

D. Aurelius Leoni Monachus Camaldulensis in S. Florentina Universitate S. Theolog. Magister, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Philosophiae Lector.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

DE

DE
MENSIBUS, ET ANNIS
Ad Solis, ac Lunae Periodos supputandis,
PROLEGOMENON IV.

I. CHRONOLOGIAE, sive Disciplinae, quae in Temporum rationibus expendendis, exponendisque se totam impendit, ut inde postea Historiae, qua rite, tutoque incedere pede queat, facem accendat, geminas omnino partes esse praecipuas ignorat nemo, unam, quae *Theorica* velut adpellari meretur, utpote quae tota ingenio, arteque constat, inque digerendis, riteque statuendis Temporum rationibus subsidium ab Astris quaerit, & ad Astrorum motus supputanda Tempora sibi sumit; alteram vero partem, quae velut *Historica* aestimari potest, utpote quae, Astronomico prorsus omni seposito computo, in diversis Gentium diversarum explanandis Mensibus, Annis, & Epochis una obversatur, ac ita se tota exercet, ut earumdem diversitate invicem collata, inde discere, recteque intelligi dentur, cum quae diversae ex diversarum Gentium hypothesibus sequuntur aetates, tum quae a diversis generis diversi Scri-

ptoribus diversa ad Temporum doctrinam spectantia litterarum monumentis demandata sunt documenta. Profligatis itaque, quae ad *Historicam* partem hancce pertinebant, Gentium oppido plurimarum Antiquitatibus, & Originibus, atque, qui celebrioribus Orientis Populis usu tam veteri, quam novo Menses, & Anni venerint, in medium, prout opus ferebat, ingeniumque, expositis, antequam ad eorum perinde, qui consuetudine frequentari Occidentis a Populis occepere, Mensium, Annorumque formam nostra transgrediatur oratio, de *Theorica* agendum est, re plane ardua, & ad quorumlibet affabre captum haud accommodata, quae a multis integris disputata libris est, ingentibusque digeri moliminibus indigeret, paucos attamen intra limites, nec ampliores, quam operae ferat pretium, nobis definienda suscipitur, ad rei Astronomicae Tractatores dimissis illis, qui de hisce uberius instrui desiderent, laborisque tolerantiores sint, atque studii. Statui nempe *Civilis* Mensis, & Annus certe nequit, quin antea *Caelestis* Anni, Mensisque, a queis illi pendent, quantitas, ac mensura innotescat, ad quam uterque ille exigi sane queat; idest nisi *Solis*, ac *Lunae* motus approbe perspecti habeantur, certa, stataque Mensis, & Anni obtineri ratio nequit, utpote quae uno nonnisi, eodemque, quo Planeta uterque ille, gradu procedere queat.

II. Atque de Mense quidem cum ad *Solis*, tum ad *Lunae* periodum attemperato, deque Anno perinde *Solari*, ac *Lunari*, sive *Tropico*, sive *Astronomico*, ejusque diversis Populos apud diversos, atque Scriptores acceptionibus recolenda plane, si libet, quae abunde, puto, dilucideque disputata fuere super. Proleg.II. T.I. p.303. sqq., quin opus sit recoctam denuo, velut inquiunt, crambem obtrudere. Attamen de Mense, & Anno, uti praesentis operae fert pretium, exquiritque, ad *Lunae*, ac *Solis* motum exigendo, nunc aliqua retexendo, sive de Mense, Annoque tam *Lunari*, quam *Solari*, eoque *Tropico*, inde dicto, non quod a *Solstitio*, Τροπὴ proprie nuncupato, praecise incipiat, velut aliquibus persuasum fuit, sed quod ab aliquo quatuor Annuorum cardinum, duobus idest *Aequinoctiis*, ac totidem *Solstitiis*, ejus initium duci soleat; ad quem *Civilem* profecto dirigi, ut recte procedat, oportet, de Mense,

ſe, inquam, Annoque loquendo, obſervare praeſtat, oportetque *Lunarem* Annum duplicem eſſe, alium ex duodecim Menſibus *Synodicis* Aſtronomicis mediis conſtitutum, ac diebus 354, qui *Communis*, ſive *Annalis* vulgo dici ſolet, atque *Solari* diebus 11. cum quadrante ferme minor eſt, qui dies 11. *Epactae* ideo dici cepere; *Embolimaeum* alterum eſſe, qui *Lunationibus* 13. componitur, quo de fuſius infra. Annum quoque *Solarem*, prout in praeſentia noſcere intereſt, geminum diſtingui, *Tropicum*, quo ſpatium comprehenditur inter duo *Aequinoctia* intermedium, quo nempe *Sol* a puncto unius *Aequinoctii* digreſſus ad idem punctum regreditur: quod fieri diebus 365, horis 5, minutis 48.′, 57.″ Newtono creditum eſt; ac *Periodicum*, ſive *Anomaliſticum*, quo *Solis* circa Tellurem in propria Orbita definitur periodus, quae abſolvi cenſetur ſpatio dierum 365, horis 6, minutis 9.′, 14.″, ideo quod puncta *Aequinoctialia* quotannis praecedere minutis 50.″ putantur. Indeque patet Anni *Lunaris*, ac *Solaris* differentiam eſſe minutorum 49. circiter, quot nempe minutis in ſyſtemate Ptolemaei, Tychonis, ac Copernici, ſingulis diebus Synodicus *Lunae* motus tardior eſt. Aſt enim haud una cum apud Veteres, tum apud Nuperos Aſtronomos, eademque tam *Lunaris* Menſis *Synodici* medii, quam *Solaris* Aſtronomici *Tropici* medii Anni quantitas eſt, ac menſura, velut ex adpoſito Diagrammate adparet, in quo tamen veterum Aſtronomorum, Scriptorumque conſulto diverſae praetermiſſae ſunt opiniones, repetendae, ſi placet, ex ſupracit. Proleg.II. T.I.p.304. ſqq., quove de opinionum conflictu adeundi prae aliis Petavius Doct. temp. lib.4. capp.25, & 36, Wolfius in Elem. Aſtron. p.511, Horrebowius de Nova Methodo Paſchali cap.3. p. 26. ſq., ac Thomas Pius Maffejus de Cyclorum Soli-Lunar. inconſt. Propoſit.XIII. art.244. ſqq. p.111. ſqq. Quae differentia tametſi ſane tanta non ſit, ſed adeo exigua, ut juxta computum a Cl. Blanchinio inſtitutum, eadem maxima Minuta 20.″ non excedat, ideſt Horae partem 180, adeoque ut bini Seculi ſpatio, ſive *Lunationum* mediarum 2490. intervallo, differentia tertiam Horae partem non ſuperet, eodemque annorum 200. ſpatio totidem *Annorum* mediorum differentia major Hora 1, alte-

alteriusque parte 9. esse nequeat, inficiari nequit attamen, quin longissimi saltem temporis intervallo differentia isthaec notabilior evadat, vitiumque in Kalendarium inferat. Atque, ut id obiter indicem, hinc manifeste patet Kalendarii perpetui impossibilitas, ut frustra propterea in eo comparando se plerique impenderint.

Mensis *Lunaris* Synodicus

Secundum varias sententias.

Cleomedis	D.30.
Metonis	D.29.H.12.M.45.' 47.'' 26.''' 48.'''' 20.'''''
Ptolemaei	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 20.'''
Kepleri	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 10.''' 51.''''
Copernici	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 10.''' 48.''''
Tychonis	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 9.'''
Vendelini	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 12.'''
De la Hire	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 11.''' 9.''''
Cassini	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 11.'''
Lilii	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 10.''' 38.''''
Clavii	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 10.''' 38.''''
Longomontani	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 8.''' 39.'''' 46.''''' 48.''''''
Bullialdi l.3.c.2.	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 12.''' 41.'''' 18.''''' 24.''''''
Bullial. l.3.c.6.	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 9.''' 37.'''' 9.''''' 59.'''''' 15.''''''' 15.''''''''
Ricciol.l.2.c.11.	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 12.''' 20.''''
Ricciolii prob.	D.29.H.12.M.44.' 3.'' 10.''' 50.'''' 30.'''''
Blanchinii	D.29.H.12.M.44.' 3.''
Vogli	D.29.H.12.M.44.' 3.''
Manfredi	D.29.H.12.M.44.' 3.''
Hualdi	D.29.H.12.M.43.' 7.'' 8.'''
Gemini	D.29.H. 0.M. $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{33}$
Censorini	D.29.H. 0.M. $\frac{1}{2}$

Annus

Annus *Solaris* Tropicus

Secundum varias sententias.

Metonis	D.365.H.6.M.18.' 56." 50.''' 31."'' 34."'''
Ptolemaei	D.365.H.5.M.55.' 12."
R. Adae	D.365.H.5.M.55.' 25." 26.'''
Malezievii	D.365.H.5.M.50.'54."
Alphonsi	D.365.H.5.M.49.' 15." 58.''' 49."''
Copernici.	D.365.H.5.M.49.' 15." 46.'''
Gregorii XIII.	D.365.H.5.M.49.' 12."
Cassini	D.365.H.5.M.49.' 12." aut 5."
Bullialdi	D.365.H.5.M.49.' 4."
Vendelini	D.365.H.5.M.49.' 5."
Blanchinii	D.365.H.5.M.49.' 2." 38.'''
Hipparchi ex Cassino	D.365.H.5.M.49.' 1." 31.'''
Scaligeri	D.365.H.5.M.49.' 0." 27.''' 29."''
Waltheri	D.365.H.5.M.49.' 0." 24.'''
De la Hire	D.365.H.5.M.49.'
Maraldi	D.365.H.5.M.49.'
Petavii	D.365.H.5.M.49.'
Kepleri	D.365.H.5.M.48.' 57." 39.'''
Horrebowii	D.365.H.5.M.48.' 57." 38.''' 47."''
Newtoni	D.365.H.5.M.48.' 57."
Longomontani	D.365.H.5.M.48.' 55."
Tychonis	D.365.H.5.M.48.' 50.", vel 45."
Hevelii	D.365.H.5.M.48.' 49." 47.''' 23."''
Ricciolii	D.365.H.5.M.48.' 48.", vel 40."
Gellaleddini	D.365.H.5.M.48.' 43." 20.'''
Albategni	D.365.H.5.M.46.' 24."

III. Porro, ut ex proposito adparet Schemate, ad *Anni*, ac *Mensis* quantitatem mensurandam adsumi *Solis*, ac *Lunae* solet ab Astronomis motus, non *Verus* quidem, & inaequalis, sive nobis e Tellure *Lunam*, & *Solem* adspicientibus adpa-

adparens, sed *Medius*, & aequalis, qui nempe medius est inter motum velociorem utriusque Planetae circa *Perigaeum*, & tardiorem circa *Apogaeum*. Nempe dies *Solaris Medius* Astronomis statuitur motu *Solis* proprio, quo in *Ecliptica* ab occasu in ortum intra diem, sive horarum 24. spatio peragit in *Aequatore* gradum 0, Minuta 59.′ 8.″ 20.‴, adeo ut horae 1. *Solari* respondeant in *Aequatore* ferme gradus 15, Minuta 2.′ 28.″ Dies autem *Solaris Verus*, seu adparens finitur appulsu vero *Solis* ad nostrum *Meridianum*, qui appulsus partim ob *Solis* excentricitatem, partim ob *Eclipticae* obliquitatem modo citior, modo tardior adparet: inde fit idest, ut *Sol* aliquando citius, aliquando tardius ad nostrum adpellere *Meridianum* videatur; sive modo plus, modo minus, quam Minuta 59.′ 8.″ 20.‴ in *Aequatore* conficiat. Ob Excentricitatem namque *Solis* evenit, ut *Sol* in Ecliptica nobis intuentibus moveri ab occasu in ortum conspiciatur motu, non aequali, sed modo minori 59.′ 8.″ 20.‴, quum scilicet *Sol* in *Apogaeo* suo est, ideoque tum citius ad *Meridianum* pertingere videatur, ita ut dies tum brevior fiat; modo majori 59.′ 8.″ 20.‴, quum circa *Perigaeum* obversatur, ideoque tum tardius pervenire ad *Meridianum* conspiciatur, ita ut tum dies longior sit: quo fit, ut dies *Solares Veri* in hyeme longiores sint, quam in Aestate, totiusque anni longissima sit dies 1. Novembris. Ob *Eclipticae* obliquitatem, quae graduum 23.29.′ 12.″ rite observata Cassino est, etiam fit, ut *Solis* motus *Verus* inaequalis sit inspicientibus; quatenus Arcus *Eclipticae* inaequales sunt Arcubus *Aequatoris*; idest Arcui in *Aequatore* descripti 59.′ 8.″ 20.‴ nequaquam respondeat semper Arcus *Eclipticae*, sed hic nunc major sit, nunc minor. Itaque differentia isthaec diem *Medium* inter, & diem *Verum*, Temporis *Aequatio* nuncupari solet. Quae *Aequatio* diversa est juxta diversas Astronomorum observationes. Juxta Ricciolium enim Annus *Solaris Verus* est dierum 365, horarum 5, minutorum 48.′ 56.″, Annus *Solaris Medius* dier. 365, hor. 5, min. 48.′ 40.″; excessus igitur erit minut. 16, idest *Medius* est minor *Vero* minutis 16. Juxta Voglum Annus *Solaris Medius* est dierum 365, horarum 5, minutorum 48.′ 41.″, *Verus* dier. 365, hor. 5, min. 48.′ 45.″ 17.‴;

igi-

igitur excessus erit minutorum 3.″ 43.‴, idest *Verus* major est *Medio* minutis 3.″ 43.‴ Conferendae prae aliis Tabulae Astronomicae tum Keplerianae, tum Hirianae, tum Newtonianae magno in pretio habitae, maximaque diligentia elaboratae, e quibus Anni cum *Medii*, tum *Veri* quantitas definiri recte poterit.

IV. De Mensis *Lunae* Synodici quantitate, e qua *Epactarum* computus quammaxime dependet, nonnulla modo attingendo, varias inter Astronomorum opiniones, quarum praecipuae superiori in laterculo exhibitae sunt, ea mihi potior arridet, quae a Religioso viro Ord. Carmelit. Michaele Hualdo in Compendio Aerae Christianae Romae anno 1762. edito p.22. sqq. propugnata est, qua nempe Mensis *Lunae* Synodicus diebus 29, horis 12, minutis 43.′ 7.″ 8.‴ definitur. Calculo scilicet inito ab anno Christianae Aerae 325, quo Nicaena habita Synodus est, usque ad annum 1700, quo a Kalendario *Juliano*, ultra dies 10. anno 1582. a Gregorio XIII. ablatos, dies 1. insuper exemptus est, anni 1375. interfluxere, quo annorum spatio *Aurei* Numeri 72. cum $\frac{7}{19}$ expleti sunt. Inter *Aureos* vero Numeros istos distributa minuta secunda, quae ex diebus 11. a Kalendario *Juliano* detractis exsurgunt, minuta secunda 13200. pro quolibet *Aureo* Numero producunt, quae dispertita per *Lunationes* 235. in *Aureo* quolibet Numero comprehensas, dant pro *Lunatione* qualibet minuta secunda 55, ac tertia 52. amplius: quae minuta 55.′ 52.″ detracta a diebus 29, horis 12, minutis 44.′ 3.″, quot a Blanchinio, Voglo, Manfredo, aliisque vulgo *Lunari* Mensi Synodico tribui solent, relinquunt pro vero Synodici *Lunae* Mensis spatio dies 29, horas 12, minuta 43.′ 7.″ 8.‴ Computum huncce porro altero confirmat magis p.24. sqq. ex gemina *Solis* Eclipsi, quae anno 1760, ac inseq. 1761. conspicua fuit. Prima nempe anno 1760. Junii die 13, hora 7. post mediam noctem, minutis 43.′ 36.″; secunda anno 1761. die 26. Decembris, hora 9. post mediam noctem, minutis 32.′ contigit. Itaque ab eo, quo prior incepit *Eclipsis*, puncto ad punctum, quo incepit *Eclipsis* posterior, intercessere dies 561, hora 1, minuta 39.′ 24.″, qno temporis intervallo *Lunationes* 19. intersuere, inter quas dispertitis

tis diebus 561, horas 1, ac minutis 39.' 24.'', fit inde, ut *Lunatio* quaelibet minutis secundis 2551388. constet, adeoque ut cuilibet *Lunationi* dies 29, horae 12, minuta 43.' 7.'' 8.''' competant. Quo posito computo, ad Aerae Christianae praefigendam, seu magis eam, quae a Dionysio Exiguo praefixa fuit, comprobandam Epocham Hualdus procedit, qua de nos Par. II, si Superis placebit, affatim: quibus ita praehabitis, jam proprios ad Chronologiae Characteres nostra convertatur oratio.

DE
AEQUINOCTIIS, AC SOLSTITIIS
Tam Veris, quam Mediis.

ARTICULUS I.

I. CHronologicos inter alios Temporum Characteres *Aequinoctia*, atque *Solstitia* recenseri Scriptoribus rite solent, quibus utpote definita Tempora per Tabulas Astronomicas quam certissime computentur, indeque constans temporis describi quantitas, sive certa repeti queat Epocha. *Aequinoctia* igitur, atque *Solstitia* certa quaedam reputari consuevere Puncta Temporum Cardinalia, quibus *Sol* Cardinalia *Zodiaci* signa, hoc est *Arietem*, *Cancrum*, *Libram*, & *Capricornum* ingrediens, quatuor velut in partes Annum discindit, eumque certis veluti Characteribus definit. *Aequinoctium* porro Tempus dicitur illud, quo *Solis* centrum in *Aequatore* versatur, adeo nullam tum habeat declinationem, (quae pridie sane, aut postridie *Aequinoctium* hac aetate declinatio minutorum 23.' 41.'' Manfredo diligenter observata est Ephem. T.I. lib.2. cap.20. p.128; ideoque tum Nox diei fit aequalis. Est vero *Aequinoctium* aut *Vernum*, quum *Sol* ingreditur in *Arietem*, aut *Autumnale*, quum in *Libram* migrat. Siquidem vero *Sol* a puncto *Aequinoctii* digressus, propria absoluta Periodo, ad idem omnino punctum non regreditur, idest post annuam Periodum, lineam *Aequinoctialem* eodem prorsus in puncto non

non attingit, quo praecedenti eamdem attigerat anno, sed in puncto aliquanto proximiori; idest prius *Aequinoctii* praecedentis anni punctum minutis 50." antevertit, adeo ut annorum 70. circiter spatio idem prorsus *Aequinoctii* punctum gradu 1. fere praecedat: quae *Praecessio Aequinoctiorum* adpellari solet: inde sequitur, quod idem *Aequinoctii* punctum anni *Solaris* praecedentis, ac subsequentis principium esse nequeat, sed subsequens annus *Solaris* antecedentem minutis 50." praecedat; totidemque vicissim momentis 50." posterior sit ea, qua priori anno e Caeli parte digressus fuerat; ita scilicet, ut *Sol* anno posteriori minutis 50." citius *Aequinoctii*, sive *Solstitii* punctum attingat, tardius vero totidem minutis eamdem assequatur *Stellam*, quam priori anno attigerat: unde duplex exsurgit Annus *Tropicus* Juliano minor, & *Astricus* Juliano major; videndusque Petavius Doct. temp.lib.4.p.22.sq., ubi multis Scaliger de Emend.temp. lib.4. p.283. sqq., & de Anticip. Aequin.p.24.sq. Stellis fixis proprium abjudicans omnem prorsus motum egregie vapulat. Quae ut facilius intelligantur, sciendum porro est partes *Signiferi* alias dici Antecedentes, alias Consequentes, Graecis Τὰ Προηγόμενα, & Τὰ Ἑπόμενα denominatas, adpellatione scilicet a motu primi *Mobilis* diurno desumpta. In hocce vero ab ortu in occasum motu supra Horizontem primi emergunt *Aries*, deinde *Taurus*, post hunc *Gemini*, perinde *Cancer* &c., qui ordo εἰς τὰ Προηγόμενα in *Antecedentia* Signorum dici solet; quo nempe antecedunt *Cancer*, *Gemini*, *Taurus*, *Aries* &c. Siquidem vero *Sol* interea motu proprio contrarias in partes, in occasum idest, tardius agatur, ideo primum *Arietem* peragrat, *Taurum* postinde, *Geminos*, perinde *Cancrum* &c., qui ordo εἰς τὰ Ἑπόμενα *In Consequentia* Signorum adpellari consuevit. Quamobrem *Sol*, qui anno *Juliano* vertente minutis 11.' 19." citius punctum, a quo anno praecedenti digressus fuerat, attigerat, ultra signum *Arietis* ad extremam *Piscium* oram minutis 50." delatus est, anno sequenti minutis 1.' 40." deferretur, atque ita deinceps; ut post annos 130. diei 1. *Praecessio* fiat, adeoque ut *Sol*, qui in *Arietis* gradu 1. fuerat Martii die 21, post annos 130. in eodem *Arietis* gradu 1. futurus sit die 20. Martii. Hisce praelibatis,

batis, quatuor circa *Aequinoctia* haud ignoranda viro Chronologo ex Astronomia occurrunt. I.° Momentum illud, quo *Aequinoctium* cum *Verum*, tum *Medium* obtingit. II.° Differentia, quae *Aequinoctium* inter *Verum*, ac *Medium* intercedit. III.° Quo Anni quantitas ex *Aequinoctiis* definiri modo queat. IV.° Ratio, qua differentia inter Annum *Julianum*, atque *Tropicum* ex supputatione *Aequinoctii* componi potest.

II. Quod ad I.m itaque pertinet, quandoquidem in *Aequinoctiis* declinatio *Solis* singulis horis minuto 1.' aut crescat, aut decrescat, idcirco quod *Sol* Aequinoctialem lineam vel excedat, vel ab ea deficiat, observanda proinde est quam accurate Meridiana *Solis* altitudo: quae si in Autumno fuerit major altitudine *Aequatoris*, tunc *Aequinoctium* post meridiem continget, & quidem tot horis, quot minutis altitudo *Solis* excedit *Aequatoris* altitudinem. Si vero Meridiana *Solis* altitudo observetur minor altitudine *Aequatoris*, tunc *Aequinoctium* tot horis praecessit meridiem, quot minutis altitudo *Solis* Meridiana ab *Aequatoris* altitudine deficit. Si vero *Solis* altitudo observata sit aequalis altitudini *Aequatoris*, tunc *Aequinoctium* in ipso Meridie contigisse censendum est: atque haec de *Aequinoctio Vero*. Quod ad II.m modo respicit, ad *Aequinoctium* nempe *Medium*, quo sane *Medio* vel citius in *Vere*, vel tardius in *Autumno* contingere *Aequinoctium Verum* solet, juxta quod motus *Solis Medius* in *Perigaeo*, sive in I.° *Anomaliae Solis* semicirculo praecedit, in *Apogaeo*, sive in II.° *Anomaliae Solis* semicirculo motum *Verum* subsequitur; repertis loco *Apogaei* Solis, *Anomalia* Solis *Vera*, & Centri *Solaris* aequatione, atque resolutis horis in minuta secunda temporis, tum haec minuta secunda addenda sunt momento Aequinoctii *Veri Verni*; subtraenda vero sunt momento Aequinoctii *Veri Autumnalis*: quo peracto obtinebitur momentum Aequinoctii *Medii* quaesitum. E. g. E sex Autumnalibus, ac Vernis tribus *Aequinoctiis* Hipparcho observatis, tertio *Autumnali* heic in exemplum adducto, quo de Ptolemaeus Almag. lib. 3. cap. 2, anno 21. Periodi III. *Calippicae*, Epagomenarum die 1, idest ante Christianam Aeram anno 158. Septembris die 26, hora 22. minutis 47.' tempore *Aequinoctii Veri* ab Hipparcho observati, locus *Apogaei Solis* aequalis erat

erat Signo 2. gradibus 6, (posito nempe, quod *Solis Apogaeum* singulis annis, veluti Ricciolio visum est, moveatur gradu 0. minutis 1.′ 2.″); ideoque *Anomalia* Solis *Vera* aequalis erat Signo 3. gradibus 24, adeo ut aequatio centri *Solaris* aequalis esset gradui 1. minutis 50.′; quae aequatio addenda est loco *Solis Vero*, praecise aequali Signo 6, ita proinde ut locus *Solis Medius* tunc esset aequalis Signo 6. gradui 1. minutis 50.′ Jam vero quum *Sol* percurrendis motu suo *Medio* in Ecliptica gradu 1. minutis 50.′ impendat horas 44. minuta 30.′, inde sequitur, quod ex tempore *Aequinoctii Veri* eo ab Hipparcho anno 158. observati, idest a die 26. Septemb., hora 22, minutis 47.′ subtrahi debent horae 44. minuta 30.′, hoc est dies 1, horae 20, minuta 30.′, atque reliquum, Septembris nempe dies 25. hora 2. minuta 17.′ momentum est *Aequinoctii Medii* Autumnalis ante Christi natalem anno 158. Alexandriae ab Hipparcho observati. Quod *Aequinoctii Medii* tempus ut in Meridiano Romano obtineatur, tempori *Aequinoctii* Alexandriae ab Hipparcho observati addenda est differentia Meridiani Romani. Alexandria siquidem Orientalior sit gradibus 11, ideoque minutis 44.′, quam Roma, tempus hoc proinde *Aequinoctii* Hipparchaei tempori, idest Septembris diei 25. horae 2. minutis 17, addi debet; ideoque *Aequinoctium* illud Romae Septembris die 25. hora 3. minuto 1.′ contigisse debuit. *Aequinoctium* sed enim illud Alexandriae ab Hipparcho siquidem in Anno *Juliano*, stylo veteri, observatum fuerit, ut idem in Anno *Gregoriano*, stylo novo, obtineatur, ab anno Christi ante natalem 158. die 25. Septembris hora 3. min. 1.′ subtrahi dies 11. debent: quo fit, ut Romae *Aequinoctium* illud Septembris die 14. contigerit.

III. Ut differentia jam vero dierum, sive *Praecessio Aequinoctiorum Mediorum* reliqua innotescat, facili hacce methodo uti quisque poterit, duo invicem conferendo *Aequinoctia*. Nempe *Aequinoctium* ab Hipparcho observatum ante Christianam Aeram anno 158, Alexandriae contigit Septembris die 25, hora 2, minutis 17.′, ab eo si subtrahatur *Aequinoctium* Autumnale *Medium* a Ricciolio Bononiae observatum anno Christi 1643. Septembris die 10, hora 22, minutis 25.′,

 stylo

ſtylo veteri, (quo anno *Aequinoctium Verum* die 12. Septembris, hora 21, minutis 25.' a Ricciolio obſervatum eſt), ideſt ſi ſubtrahantur dies 10, horae 22, minuta 25.', reliquum erit *Praeceſſio Aequinoctiorum Mediorum*, ſive differentia erit dierum 14, horarum 3, minutorum 52.' Igitur in annis 1800, quot ab *Aequinoctii Hipparchaei* tempore elapſi ſunt uſque ad tempus *Aequinoctii Riccioliani*, ſive ab anno Chriſti ante natalem 158. uſque ad Chriſti annum 1643, *Aequinoctiorum Mediorum Praeceſſio* eſt dierum 14, horarum 3, minutorum 52.' Quo perinde fit, ut *Aequinoctii Medii Praeceſſio* in anno 1. ſit dierum 0, horarum 0, minutorum 11.' 19." Qua *Praeceſſione* ab anno *Juliano* dierum 365, horarum 6, dempta, reliqui erunt pro Anno *Solari Medio* dies 365, horae 5, minuta 48.' 41." Quamquam in Anno *Solari Medio* ſtabiliendo differentia aliqua inter Aſtronomos intercedit: quae, & qualis, & quanta ſit, ex ſuperiori dignoſci Schemate poteſt. Differentia quoque, ac major quidem Aſtronomica in *Aequinoctiorum* ſupputationes intervenit, differuntque in eorumdem momento ſtabiliendo inter ſe Tabulae ipſae Aſtronomicae perquam exacte alioquin elaboratae. Ita namque *Aequinoctium* illud Autumnale, ab Hipparcho Alexandriae obſervatum ante Chriſtianam Aeram anno 158, a Ptolemaeo, non ſecus ac in Tabulis Danicis conſignatur Septembris die 27, hora 12, minutis 0.'; in Alphonſinis die 26, hora 21, min. 10.'; in Prutenicis die 27, hora 22, min. 17.'; in Pariſinis die 27, hora 1, min. 37.'; in aliis die 27, hora 8, min. 59.' Ita *Aequinoctium* alterum *Vernum* ab Hipparcho item Alexandriae obſervatum eſt anno 32. Periodi III. *Calippicae*, ante Chriſti natalem 146, *Mechir* die 27, Juliani Martii die 24, hora 11, minutis 0.', de quo Ptolemaeus Almag. lib. 3. cap. 2. Tamen iſtud in Tabulis Alphonſinis ſtatutum legitur die 24, hora 0, min. 0.'; in Danicis die 24, hora 21, min. 38.'; in Prutenicis die 24, hora 5, min. 41.'; in Pariſinis die 24, hora 8, min. 9.'; in aliis die 24, hora 12, min. 16.' Ita & aliud *Aequinoctium Autumnale* eodem Periodi III. *Calippicae* anno 32, Epagomenarum die 3. ab Hipparcho obſervatum apud Ptolemaeum loc. cit. contigiſſe ponitur anno Chriſtianam ante Aeram 147, media nocte inter Septembris Julia-

Juliani diem 26, & 27, inde Epagomenarum die 4, ideſt Septembris die 27. incipiente: quo ipſo anno Septembris a die 29. *Thoth* incepit, apud Uſſerium Annal. Vet. Teſt. p. 339. Aſt enim in Tabulis Alphonſinis exhibetur Septembris die 26, hora 16, minutis 26.'; in Danicis die 27, hora 4, minutis o.'; in Pariſinis die 26, hora 17, min. 45.'; in aliis die 27, hora o, min. 58.' Quò denique fit, ut ob hujuſmodi obſervationum Aſtronomicarum ab invicem diſcordiam exactum omnino conſtrui Kalendarium nequeat, ita nempe ut nulla prorſus in computis intervenire differentia noſcatur.

IV. Atque hinc utique facilis patet, ſuapteque fluit reſponſio ad Quaeſitum III.^{m}, & IV.^{m}, tam de *Anni* quantitate ex *Aequinoctiis* definienda, quam de ratione Anni *Juliani* cum *Tropico* componendi. Nempe Anni *Solaris Medii* quantitas jam ex *Aequinoctio Medio* nobis definita manet, ideoque differentia inter Annum *Solarem* Julianum, ac *Tropicum* ex *Aequinoctio Medio* ita definito componi facile poteſt. Siquidem enim differentia in anno 1. *Juliano* ſit minutorum 11.' 19.", inde ſequitur evidenter, quod anno inſequenti ſecundo *Aequinoctium* anticipabit minutis 22.' 38."; ideoque quod ſingulis quadrienniis anticipatio erit minutorum 45.' 16."; quodque annorum 130. ſpatio *Aequinoctia* die 1, hora o, minutis 23.' 42." antevertent. Hac itaque Προήγησει, ſive Anticipatione minutorum 11.' 19." a quolibet anno *Juliano* detracta, ſive ab annis *Julianis* 130. detractis die 1, hora o, minutis 23.' 42.", *Juliani* Anni *Tropicis* fient aequales. Propoſito itaque quolibet Anno *Juliano*, inventoque ejuſdem anni *Aequinoctio*, ſi addantur minuta 11.' 19." obtinebitur momentum temporis, quo inſequentis proxime anni contingere *Aequinoctium* oportebit; atque propoſito viciſſim anno quopiam ante *Julianum*, inventoque anni *Juliani* proxime ſequentis *Aequinoctio*, ſi detrahantur minuta 11.' 19.", momentum obtinebitur temporis, quo praeciſe *Aequinoctium* in anno propoſito antecedenti obtigit. Obſervandum tamen comparationem iſtam annum inter utrumque, cujus utriuſque nempe momentum *Aequinoctii Medii* quaeritur, & confertur, inſtituendam fore inter annum vel utrumque *Biſſextum*, vel utrumque a *Biſſexto* aeque diſtantem.

Quae

Quae comparatio ut fiat quò facilius, eò felicius, obſervandum perinde in Annis poſt vulgarem Chriſti natalem hos eſſe *Biſſextiles* 4. 8. 12. 16. 20. 24. 28. 32. 36. 40. 44. 48. 52. 56. 60. 64. 68. 72. 76. 80. 84. 88. 92. 96. 100. &c. Denique prout locus, in quo *Aequinoctii* momentum obſervatur, altero fuerit vel Orientalior, vel Occidentalior, vel detrahenda, vel addenda erit momento eo loci obſervati *Aequinoctii* differentia *Meridiani*: quemadmodum *Hipparchaeo* addendam *Aequinoctii Riccioliani*, ſive *Alexandrino* Meridiani *Romani* differentiam ſupra dicebamus. Videlicet ſi locus Orientalior ſit, differentia *Meridiani* detrahenda erit, ſi locus ſit Occidentalior, differentia *Meridiani* erit addenda. Videndus interea, qui prae aliis diligenter *Aequinoctia Verna* ab Aerae Chriſtianae anno 1. per annos Seculares 19900. ſupputavit, Petrus Horrebovvius de Nova Methodo Paſchali cap. 11. §. 150. ſq. p. 72. ſqq., atque §. 154. ſq. p. 82. ſq., ubi Tabulas anticipationum *Aequinoctii Verni* per Secula XIII. exhibet, quae Anticipatio in annis 4. eſt minutorum 44′, in annis 8. eſt horae 1, minut. 28.′, in annis 12, horarum 2, minut. 12.′, in annis 100. horarum 18, minut. 16.′

V. Solſtitia, quod nunc attinet, ea tum fieri cenſentur, quum *Sol* maxime ab *Aequatore*, gradibus 23. ideſt, diſtat, in latitudine tam Septentrionali, quum eſt in Tropico *Cancri*, quam Meridionali, quum in Tropico *Capricorni* exiſtit; quo gemino anni tempore *Sol* tardiſſimo veluti progredi motu videtur, adeoque ut quaſi *Stare* nobis adpareat, unde *Solſtitii* derivatum eſt nomen; quove duplici anni tempore vel Dies Noctem, vel Nox Diem longiſſime ſuperat. Duplex itaque diſtinguitur *Solſtitium*, *Aeſtivum*, quo *Sole Cancrum* ingrediente, Dies fit longiſſima, breviſſimaque Nox; atque init Aeſtas; & *Hyemale*, quo *Sole Capricornum* ſubeunte, Nox e contrario fit longiſſima, breviſſimaque Dies; atque incipit Hyems. Quemadmodum vero quotannis *Aequinoctia* anticipare minutis 11.′ 19.″ ſuperius animadvertimus; ita quotannis anticipare quoque *Solſtitia* minutis 11.′ 19.″ neceſſe eſt, tot nempe minutis, quot Annus *Julianus* Solarem *Tropicum* excedit. Eadem idcirco ratio, quae ſupputandi *Aequinoctia* cum *Vera*, tum

tum *Media*, indeque ex *Aequinoctii* ſupputatione Anni tam *Juliani*, quam *Tropici* quantitatem definiendi tradita eſt, ineunda, tenendaque erit pro ſupputando Anno cum *Tropico*, tum *Juliano*, ex *Solſtitiorum* ſupputatione, proque *Solſtitiis* ipſis rite ſupputandis tam *Veris*, quam *Mediis*, quin opus ſit actum agere, eamdemque rurſus inflare fruſtra tibiam. Rem tamen explicare magis exemplo fruſtra non erit, ut rudiori praeſertim Lectori captu facilior evadat. Aerae Chriſtianae anno 1582, qui Correctionis *Gregorianae* pariter fuit, *Solſtitium Aeſtivum*, prout a Tychone Brahe deprehenſum eſt, Junii die 11, veteri ſtylo, hora 13, minutis 50.′ 22.″ contigit: quibus ſi addatur differentia Anni *Juliani* a *Tropico*, ideſt ſi addantur minuta 11.″ 19.″, inde fiet, quod anno inſequenti 1583. *Solſtitium* contingere debuerit Junii die 11, hora 14, minutis 1.′ 41.″, adeo ut intra annos *Julianos* 130. *Solſtitium* anticipet die 1, horis 0, minutis 23.′ 42.″ Qua anticipatione detracta, ſive ab anno *Juliano* 1. detractis minutis 11.′ 19.″, ſive a *Julianis* annis 130. detractis die 1, hora 0, minutis 23.′ 42.″ *Proſtaphaeriticis*, Anno *Tropico* *Julianus* fiet aequalis. Prout vero locus, in quo *Solſtitium* obſervatur, Orientalior fuerit, aut Occidentalior, *Solſtitii* momento addenda erit, aut detrahenda *Meridiani* differentia; quemadmodum de *Aequinoctio* dictum eſt. Atque ex hiſce diſputatis hactenus Chronologo cuilibet haud difficilis, opinor, Tempora ſupputandi ratio patebit. Si nempe quaepiam res geſta a Scriptore veteri *Aequinoctii* cujuſpiam, aut *Solſtitii* nota obſignata fuerit: ex ejuſdem namque ſive *Solſtitii*, ſive *Aequinoctii* ſupputatione hactenus tradita, in notitiam Anni, Menſis, & Diei, quo res geſta fuerit, inde certo, facileque deveniet, ſtatamque Tempori defigere Epocam dignoſcet.

DE

DE SOLIS, ET LUNAE *Eclipsibus*.

Articulus II.

I. Eclipses certissima esse Temporum Κριτήρια, quibus Veterum Epochae litterarum monumentis demandatae constantissime firmentur, atque ignota aliunde Tempora, quibus res gestae feruntur, modo *Eclipsi* quapiam fuerint designatae, firmissime deprehendantur, nemo hac in re haud omnino hospes dubitat. Etsi enim persaepe tam *Lunae*, quam *Solis* Eclipses recurrere contingat, adeo inter se tamen variant, ut duo *Solis*, aut *Lunae* deliquia omnino similia redire, sive ejusdem *Eclipsis* Ἀποκατάστασιν fieri quoad tempus nempe, locum, digitos &c. impossibile ferme haberi queat. Et sane ab *Hipparcho*, ante Christianam Aeram annis 130, tam *Lunae*, quam *Solis* Eclipses ad annorum 600. spatium fuisse supputatas discimus ex Ptolemaeo, qui suas inde Tabulas construendi Astronomicas occasionem nactus est, ac modum hausit. Eas vero *Eclipses* certissimas rerum extitisse gestarum, quae eisdem locis ab Hipparcho, ac Ptolemaeo memoratae leguntur, Epochas in dubium nemo utique vertit. *Eclipsis* jam vero alia *Lunae*, alia *Solis*; estque *Lunaris* privatio lucis Solaris in *Luna* ipsa per Telluris interpositionem *Solem* inter, ac *Lunam*; estque *Solaris* lucis privatio in *Tellure* per interpositionem *Lunae* inter *Solem*, ac *Tellurem* ipsam. Utraque vero est vel *Partialis*, qua pars aut *Solis*, aut *Lunae* dumtaxat absconditur; vel *Totalis*, qua aut tota *Lunae* facies in Telluris umbram immersa tota *Solis* luce spoliatur; aut *Solis* adspectus Regioni alicui totus globo *Lunae* obtectus luce sua Regionem illam defraudat. Quae ut approbe perspecta fiant, operae pretium est recolere, quae de *Solis*, ac *Lunae* Periodis tradita fuere super. T.I. Proleg. II. p. 303. sqq., ac Proleg. hoc ipso

ipso IV. p.1. sqq., quoad rem nempe pertinent istam. Nempe quod *Luna* motu proprio circa Tellurem, (quo loci Tellurem ipsam circa *Lunam*, ejusdem veluti Satellitem, circumagi qui dicere non tam imaginati sunt, quam revera somniati cum Balianus Nobilis Genuensis circa dimidium Seculi XVII, tum Pater Jacobus Alexander Maurinus Asceta in dissertat. de Maris fluxu, & refluxu, haud sane audiendi sunt, eosque late D. Marianus refutavit,) circa Tellurem, inquam, Periodum absolvit suam diebus 27, horis 7, minutis 43.' circiter; a *Sole* vero digressa ad ipsum non regreditur ante dies 29, horas 12, minuta 43.' circiter. Quae differentia duplicem constituit *Lunae* cursum, adeo ut prior *Periodicus*, posterior *Synodicus* dici consueverit; ideo quod dum *Luna* periodum circa Tellurem agit, *Sol* interea motu suo in Ecliptica signo uno ferme antegreditur, ita ut *Lunae* propterea, periodo circa Tellurem absoluta, spatium illud praeterea percurrendum maneat, quo *Sol* in Ecliptica praecessit, antequam ipsum adsequatur. Quia vero *Sol* Zodiacum perlustrans ab *Ecliptica*, cujus latitudo plane *Solis* diametrum haud excedit, nunquam deflectit; *Luna* vero *Zodiacum* percurrens Orbitam tenet haud *Eclipticae* perpendicularem, sed utroque Orbitae suae latere extremo ab *Ecliptica* gradibus 5. declinat, ita tamen ut eamdem *Eclipticam* duobus secet in locis, quae vulgo *Nodi* dicuntur, idest in Cauda, & in Capite *Draconis*; & quia dum *Sol* Zodiacum semel in anno peragrat, *Luna*, circuitu longe minori, Tellurique viciniori, atque *Solari* Orbitae longe inferiori delata, in anno duodecim vicibus Zodiacum eumdem percurrit; inde fit, ut *Lunae* duodecies in anno *Novilunium*, totidemque *Plenilunium* vicibus contingat, hoc est ut *Luna* duodecies cum *Sole* in ☌ *Conjunctione*, totidem vicibus in ☍ *Oppositione* sit. Inde fit etiam ut *Lunatio* quaelibet, sive *Lunae* quaelibet Synodus quatuor in partes dividi consueverit: quarum 2.a a Conjunctione *Lunae* cum *Sole* incipit, cujus luce tum *Lunae* hemisphaerium nobis intuentibus oppositum illustratur, ideoque *Luna* ipsa tum nobis obtegitur: 2.a a Digressione *Lunae* ab ipso *Sole*, sive a linea *Solis* perpendiculari, quum *Luna* nempe *Solis* lumini alterius hemisphaerii sui partem objicere incipit, adeo ut spatio

 die-

dierum 7. circiter medium *Lunae* hemisphaerium nobis adversum illuminatum adpareat, quae etiam *Phasis* secunda dicitur, ac quartae *Lunationis* partis dicitur prima: 3.ª ab Oppositione *Lunae* cum ipso *Sole*, quum nempe *Soli* toto hemisphaerio objecto tota illuminata conspicitur: 4.ª a Regressione *Lunae* ad *Solem*, cui *Luna* paullatim alterum objiciens latus nobis invisum lumine paullatim defraudatur.

II. Ex hisce jam vero facile intelligi dabitur *Lunae* Eclipsis, indeque *Solis* etiam; ea nempe *Lunaris* tunc accidere intelligitur, quum *Lunam* inter, ac *Solem*, a quo lumen illa mutuatur, Tellus interjacet, cujus ideo umbra *Lunam* obscurari necesse est. Atque principio quidem *Lunam*, qua splendet, lucem a *Sole* totam haurire nullus hodie in dubium vertit: quamquam proprio qui lumine gaudere *Lunam* adfirmarent, non defuerint utique cum ex Antiquis, tum ex Nuperis Astronomis, cujusmodi fuere Anaximander apud Plutarchum de Placit. Philos. lib.2. cap.28, cujusce testimonio postponendum sane Laertii testis junioris contrarium de Anaximandro statuentis de Vitis Philos. lib.2. p.79; Berosus apud Vitruvium Archit. lib.3. cap.4. edit. Amsterad. p.188; Aben-Amra apud Averroem Meteor. lib.1; Pappus Alexand. in Collect. Mathem. lib.6. propos.38. edit. Bonon. p.211; Tycho Brahe Progymn. Astron. lib. 1. p. 743; Cardanus, Vendelinus, Peubarchius, Reinholdus, Claramontius, Volschovius, Eimmartus, Osiander Colleg. Theolog. System. Par. II. loco 3. Thesi 35. p.110. sq. &c. Contra quos receptissima nostra pro opinione pugnant ex Antiquis Thales, Aristarchus apud Plutarchum loc. cit.; ac Plinium lib.2. cap.9; Cleomedes Cyclicae Theoriae lib.2. cap. 18; ex Nuperis Scaliger Exercit.62. num. 2; Longomontanus Astron. Danicae lib.1. edit. Amsterd. p.315; Keplerus apud Wideburgum de Lumin. Lunar. §.11; Ricciolius Almag. Novi Par.I. p.203, & 306; Duhamel Hist. Acad. Scient. lib.3. sect. 3. cap. 1. p.261; Wolfius Elem. Mathem. T. II. p. 467; Rudelius in Disput. Optic. Astron.; Hevelius Selenograph. p.117; ceterisque copiosius Christophorus Pylius in Observat. de Lumine Lunae deficientis §.8. sqq. Miscell. Lipsien. T. VI. p.169. sqq. Intercepto itaque Telluris interjacentis umbra *Solis* lumine, obscurari *Lunam*, quae proprio sane caret, oportet, atque ita

con-

contingere *Eclipsim*. Verum heic advertendum *Umbram* hancce, quae, ne in *Lunam* lumen a *Sole* derivetur, impedimento est, *Umbram* esse, non tam Telluris, quam Atmosphaerae Tellurem ipsam circumvolventis. Siquidem enim solius *Umbra* Telluris cono suo ultra Telluris Semidiametros 40. haud exporrigatur; *Luna* vero, etiam dum in *Perigaeo* obversatur, sive dum etiam Telluri proximior accedit, ultra Semidiametros 50. a Tellure ipsa distet, inde fit, ut a cono solius *Umbrae* terrestris obscurari nequeat; ideoque *Lunae* obscuratio inde obvenit, quod *Solis* radii per Atmosphaeram Telluri circumfusam refracti *Umbram* illam in *Lunam* producunt. Optices nempe experimentis, quibus de Monumenta Acad. Scient. Parif. an. 1723. p. 13, & p. 118, scitum est Globi cujuspiam *Soli* expositi *Penumbram* ad diametros 110. ejusdem Globi definiri; at *Umbram* non ultra diametros 15, aut 16. exporrigi; ideoque reliquos diametros 94, aut 95. puram esse, putamque *Penumbram*. Terrestris itaque *Penumbrae* longitudo diametrorum Telluris 110. ad Gallicas Leucas tercentas triginta mille pertingit; *Umbra* tamen vera Telluris non ultra diametros 15, aut 16. ejusdem Telluris extensa Leucis Gallicis non ultra quadraginta quinque, aut quadraginta octo millibus finitur. Siquidem itaque *Luna* distet a Tellure Leucis nonaginta mille, inde sequitur *Lunam* vera Telluris *Umbra* eclipsari nequire, sed *Penumbra* dumtaxat, adeo ut ex utroque coni *Umbrae* latere *Solis* radii permeare non desinant; qui tamen radii in Atmosphaera refracti *Umbram* in *Lunam* ipsam reflectant.

III. Tum itaque *Lunam* inter, & *Solem* Atmosphaerae, seu vulgo Telluris *Umbra* interjacere, ideoque Totalis *Lunae* Eclipsis intervenire intelligitur, quum *Luna* e regione, seu ex diametro *Soli* est opposita, in *Plenilunio* idest constituta, sive quum a *Sole* praecise distat gradibus 180, medio hoc est Zodiaci circulo. Quod fit in *Nodis*, idest in *Draconis* Capite, & Cauda, quibus Orbita *Lunae* cum *Solis* Orbita conjungitur, bisque in anno plerumque contingit. *Soli* namque in uno existenti *Nodo* *Luna* in altero existens directe, hoc est gradibus 180. opponitur, ideoque e diametro in *Umbram* Atmosphae-

rae immersa, quae Immersio E'μπτωσις dici solet, obscuratur, idest *Lunae* centrum tum centro *Umbrae* Telluris, seu Atmosphaerae respondens, Solari prorsus lumine, tota sub *Umbra* duabus aliquando latitans horis, quae mora *Lunae* in *Umbra* Μονή dicitur, Emersio deinde Α'ναπλήρωσις, defraudatur. Quandoquidem vero *Luna* latitudine sua, qua utroque latere ab Ecliptica gradibus 5. ad Austrum, totidemque ad Boream declinat, modo versus Boream ascendens, modo versus Austrum descendens, Telluris *Umbram*, sive Atmosphaerae praeterfugit, inde fit proinde, ut in *Pleniluniis* haud tota semper *Luna* eclipsetur, sed Partialis tum dumtaxat *Eclipsis* fiat, prout *Lunae* pars dumtaxat *Umbrae* Atmosphaerae parte obscuratur: quae obscuratio major, aut minor eveniet, quo minor, aut major *Lunae* est latitudo, sive *Luminaris* utriusque a *Nodis* distantia; ideoque *Luna* ipsa *Umbrae* terrestris centro propior, aut ab eo remotior fuerit. Porro loco *Vero Lunae* pro tempore *Medio Plenilunii*, quo de paullo infra, reperto, si detrahatur locus *Nodi Correcti*, de quo pariter §. sq., obtinebitur *Lunae* latitudo, indeque patefiet, quota *Lunae* pars luce perfundenda sit, quotaque privanda. Atque de *Lunae* quidem cum latitudine, tum ejusdem, ac *Umbrae* terrestris Semidiametris adeundi, ad quos res proprie ista pertinet, Astronomiae tractatores, inter quos obvii cuique fient Petavius Doct. Temp. lib. 8. cap. 8. sqq. edit. Ven. 1757. T. I. p. 434. sqq., Wolfius Astron. Element. &c., Vogl. Philos. Polling. T. VI. Tract. de Astron. p. 645. sqq. &c. Ope denique *Lunaris Eclipsis* certissimas adstrui Epochas, constantesque Temporum statui cardines nemini profecto dubium esse potest. Ita e. g. Ptolemaeo Almag. lib. 6. cap. 5. teste, anno 7. *Philometoris*, Aerae *Nabonassari* anno 574, *Phamenoth* die 27. post mediam noctem hora 2. *Lunae Eclipsis* Alexandriae observata est. Is est ante Christi natalem annus 174, anni *Juliani* Majus, ac dies 1.; eo namque anno *Neomenia Thoth* die 6. Octobris contigit, & *Neomenia Phamenoth* die 4. Aprilis. Eo igitur anno *Juliano* ante Christianam Aeram 174, Maji die 1. ex Tabulis Astronomicis defecisse *Luna* ad Boream digitos 7, minuta 26.' deprehenditur; ideoque Alexandriae ea *Lunae Eclipsis* post mediam

medium noctem injit hora 0, minutis 57.'; medium fuit hora 2, minutis 22.'; finis hora 3, minutis 47.' Duravit igitur horis 2, minutis 50.', *Sole* tum in *Tauri* gradu 5, minutis 59.' 54." obversante. Inde itaque tam *Philometoris* Regni exordium certe in anno 180. Christi ante natalem statuendum eruitur, quam constanter Epochae *Nabonassaraeae* cardinem in annum 747. ante Christianam Aeram conferendum esse indubie colligitur.

IV. Eclipsis *Solis* alter, idemque constantissimus etiam Temporum character est: qua de nunc loquendo, tum ea contingere intelligitur, quum *Solem* inter, ac *Tellurem* media interponitur *Luna*: qua nempe *Solis* intercipiente lucem, *Sol* Eclipsim pati, nobisque obscurari dicitur; quum verius *Tellus* ipsa Solari defraudari lumine dicenda sit. Fit id in *Novilunio*, seu in *Lunae* Conjunctione cum *Sole*: quo tempore tam *Sole*, quam *Luna* in eodem *Nodo*, nempe vel in Cauda, vel in Capite *Draconis* existentibus, ideoque sub *Sole* perpendiculariter *Luna* tum obversata, seu e diametro *Soli* objecta, subjectaque, *Solis* impedit lumen, ne ad nos usque pertingat. Atque duo porro in caussa sunt, cur toto in Orbe Terrarum, sive *Totalis* esse *Solis Eclipsis*, sicut est *Lunae*, omnino nequeat. Primo namque quum *Lunae* globus minor sit, quam *Telluris*, (Semidiameter *Lunae* siquidem quadruplo ferme minor sit *Telluris* Semidiametro, ac ille ad hunc sit ut 1. ad 4. aequale $\frac{25}{100}$, ideoque globus *Lunaris* minor sit vicibus 64. *Terraquaeo* globo: Sphaerarum namque globos esse inter se in ratione Triplicata suorum Diametrorum ex Geometria scitum est; quum e contra *Solis* diameter vicibus 104. major sit diametro *Telluris*, ideoque *Solis* globus globos *Telluris* aequales 1124864. comprehendat, hoc est *Solis* globus *Telluris* globum vicibus 1124864. superet, juxta Cassinum), Umbram proinde suam projicere *Luna* in totum *Telluris* discum nequit, ideoque nequit efficere, ut tota *Telluris* facies Solari lumine omnino privetur; sed tantum, ut pars *Telluris* aliqua major, aut minor, prout ab eodem, in quo *Sol* obversatur, *Nodo* tum *Luna* ipsa minus, aut magis distat, lumine careat. Atque hac ipsa proinde de caussa *Lunae Eclipsim* longiorem opor-

oportet esse, quam *Eclipsim Solis*: quia *Luna* breviori temporis spatio *Solis* diametrum pertransit, cujus alioqui discus ipso Lunari major haud adparet, quam *Telluris*, sive Atmosphaerae *Umbrae* pertranseundae spatium ipsa *Luna* impendat: quae diametro trifariam Lunari ipso major est disco, adeo ut propterea *Lunares Eclipses*, quum Centrales sunt, quatuor etiam horas durent, *Solares Eclipses* vero duas vix horas excedant.

V. Inde secunda fluit caussa *Partialis Eclipsis Solis*, latitudo nempe *Lunae*; qua fit, ut prout *Luna* extra lineam Eclipticae versus Boream, aut versus Austrum excurrit, *Soli* perpendiculariter conjuncta non sit: ideoque fit, ut si *Lunae* discus totus extra *Nodos* existat, ita ut nulla sui parte *Soli* perpendicularis sit, nulla tum fiat *Eclipsis*; si vero non sit extra *Nodos* tota, sed parte sui aliqua *Soli* perpendiculariter conjuncta, *Partialis* sequatur *Eclipsis*. In duobus enim dumtaxat, uti dictum haud semel est, *Nodis*, idest in Capite, & in Cauda *Draconis*, *Lunae* Orbita *Solis* Eclipticam secat, videlicet in ☌ *Conjunctione*, seu *Novilunio*, quo tum *Soli* perpendicularis est, tumque *Solis* efficitur *Eclipsis*, & in ☍ *Oppositione*, sive *Plenilunio*, quo tum *Soli* ex diametro objecta est, tumque *Lunae* ipsius *Eclipsis* obtingit. Extra *Nodos* igitur existente *Luna*, idest sua in latitudine ad Boream, vel ad Austrum, aut nulla *Solis*, aut *Lunae* sequetur *Eclipsis*, si nempe *Luna* tota sit extra *Nodos*, aut dumtaxat *Partialis* aut *Lunae*, aut *Solis* fiet *Eclipsis*, prout intra *Nodos* parte sui aliqua fuerit. Verbo. *Solis* diameter adparens siquidem aequalis sit diametro *Lunae* adparenti, ut *Solis Eclipsis Totalis* eveniat, oportet, ut *Luna* in *Perigaeo* existat, *Sol* vero in *Apogaeo*: quo fiet, ut *Lunae* discus major, *Solis* e contra minor adpareat, ideoque Conjunctio *Lunae* cum *Sole* aut sit *Centralis*, aut saltem Refractionum, aut Paralaxis, aut Obliquitatis ratione, *Centralis* adpareat. Quo etiam casu *Eclipsis* ista *Totalis* erit brevissima, tandiuque dumtaxat durabit, quandiu *Solis*, ac *Lunae* Centrum utrumque simul conjunctum ex diametro manebit. Quia vero disci tam *Solaris*, quam *Lunaris* magnitudo adparens respondet *Solis*, ac *Lunae* a Tellure distantiae,

adeo

adeo ut discus utriusque in *Perigaeo* major, in *Apogaeo* minor adpareat, inde fit, ut si *Eclipsis Centralis* eveniat, dum *Sol* in *Perigaeo* est, ac *Luna* in *Apogaeo* existit, tunc *Eclipsis* fit *Annularis*, idest *Solis* radiis ita circumquaque erumpentibus, ut circa *Lunae* discum Circulus lucis se conspiciendum exhibeat.

VI. Duobus aliis explicari modis *Solis Eclipses* solent; ut nempe *Partialis* illa sit, in qua tota *Lunae Umbra* extra Telluris globum cadit, *Penumbra* tamen ejusdem *Lunae* Telluris partes aliquas vel ad Boream, vel ad Austrum positas, aut magis, aut minus adficit, prout vel in Boreali, vel in Australi extiterit ipsa latitudine; atque minus, aut magis a *Nodis*, sive a *Solis* perpendiculo distiterit. Ideo Regiones *Partialem* hujusmodi *Eclipsim* patientes, a Lunari *Penumbra*, quae media est inter lumen *Solis*, & Umbram *Lunae*, involutae neque penitus obscurantur, neque pleno *Solis* lumine perfunduntur, sed isto magis, aut minus privantur, quo plures, aut pauciores Solaris disci partes, ob interventum *Lunae*, hisce Regionibus occuluntur, atque spectantium oculis eripiuntur. *Solis* vero *Eclipsis Totalis* sic explicatur, ut ea sit, in qua *Lunae Umbra* in Regionem aliquam incidit, (quae sicubi incidat *Umbra*, Semidiametri 60. circiter *Telluris* partem ambitu suo complexa penitus obscurat: tanta namque est, Semidiametri nempe parte 60, Telluris a *Luna* in *Perigaeo* existente distantia), ut integram *Solis* faciem eidem prorsus eripiat, lucemque penitus omnem auferat. *Totalis* isthaec autem *Eclipsis* rursus alia *Centralis*, alia *Non Centralis* distinguitur; ac prior illa quidem contingit, quum *Umbrae Lunaris* Centrum in duas aequales partes *Telluris* discum a *Sole* illuminatum dispescit: quod tum fit, quando *Luna* nullam habet latitudinem, sed ipsi *Soli* directe conjungitur in *Nodo* ipso Boreali, seu Australi; posterior ista vero tunc accidit, quum *Lunaris Umbrae* Centrum Telluris a *Sole* illuminatae hemisphaerium in duas secat inaequales partes: quod tum fit, quando *Luna* in aliqua est latitudine, sive extra *Nodos* existit. Et quidem prout ab *Umbra Lunae* pars Telluris minor aut versus Boream, aut versus Austrum secata fuerit, *Eclipsis Non Centralis* erit aut Septentrionalis, aut Meridionalis.

VII.

VII. Atque isthaec porro *Lunae Umbra*, sive *Penumbra* ab occasu in ortum unius, vel alterius horae spatio, aut etiam breviori, Telluris hemisphaerium a *Sole* illustratum, ita celeri nempe motu, peragrat, ut intra horae minutum 1.′ leucas Gallicas 12. percurrat, adeoque globi e Tormento bellico explosi motum quadruplo superet. Ita nempe horarius *Umbrae*, ac *Penumbrae* Terrestris motus aequalis est horario *Lunae* a *Sole* motui; adeoque motus Centri *Umbrae*, ac *Penumbrae* horarii quantitas tanta est, quanta est differentia motus horarii *Lunae* a motu *Solis* horario. Hacce perinde de caussa, quod *Solis Eclipsis* partialis fere semper dumtaxat sit, proinde ut ipsius *Eclipsis* magnitudo facilius computari queat, *Solis* discus dividi solet in digitos 12, digitusque quilibet in minuta 60; indeque dici solet *Solis Eclipsim* tot digitorum, totque minutorum esse. Observatu denique illud valde dignum, quod *Solaris* Semidiametri supra *Lunarem* excessus mera *Lux* est; *Lunaris* e contra supra *Solarem* Semidiametri excessus mera est *Umbra*. Ab *Umbra* vero *Lunae* ita ejusdem *Penumbra* differt, ut *Lunaris Umbrae* Semidiameter adaequet solummodo differentiam *Lunae*, ac *Solis* diametrorum; *Lunaris* vero *Penumbrae* Semidiameter aequalis fere sit aggregato Semidiametrorum *Solis*, ac *Lunae*. Inde fit igitur, ut *Lunae Penumbra* tota occupare uno, eodemque tempore dimidiam circiter disci Terrestris diametri partem possit; *Umbra Lunae* vero partem dumtaxat ejusdem disci Terrestris Semidiametri 60: *Telluris* quippe Semidiameter a *Lunae Umbra* obscuratus aequalis est minutis 60.′; *Penumbrae* vero Semidiameter aequalis est minutis 32.′ 30.″; ast enim Semidiameter *Umbrae* vix minutum 1.′ adaequat. Sed enim hisce de qui plura desideret, quae instituti plane nostri modum superant, ipsi adeundi prae aliis suppetent Joh. Dominicus Cassinus Hist. Acad. Scient. Paris. anno 1700. p. 132, Wolfius in Elem. Astron., PP. Josephus Falck Soc. J., & Grammatici apud Voglum Philos. Polling. T. VI. Tract. de Astron. cap. 4. sq. p. 638. sqq., & p. 679. sqq.

VIII. Pro *Eclipsium* coronide, venia mihi, rogo, detur, si occasione inde arrepta, lineam extra meam egressus, de

de *Solis Eclipsi*, quae Christo D. moriente contigisse legitur, apud SS. Evangelistas, Matthaeum XXVII. 45, Marcum XV. 33, & Lucam XXIII. 44. sq., gravissimo alioquin argumento, paucis, quoad ejus fieri poterit, quantum attamen opus est, mihi disputandum adsumo. Eam itaque *Eclipsim* in Christi D. obitu cum *Extraordinariam* fuisse, tum *Universalem*, neque Divino absque *Miraculo* factam, quod inficias, sua pro subdola fide, praeposteroque ingenio plerique ire haud erubuere, multa oppido evidenter ostendunt. Atque primo quidem *Extraordinariam*, idest praeter Naturae ordinem, eam obtigisse *Eclipsim* inficiati olim Ethnici plerique, vatiniano pro odio, quo erga Christi D. Miracula, Evangeliorum fidem, Christianaeque Religionis doctrinam efflagrabant, suppresso leguntur nomine apud Origenem, & S. Hieronymum. Quorum vestigia premere haud veriti Scaliger in Eusebii Chron. n.2047, & Vossius Harm. Evang. lib.2. cap.10. ea futili, ac plane ficulnea ducti conjectura sunt, quod Phlegonti, quo de post ea, *Eclipsis* illa pro naturali habita fuerit, ideo vero pro naturali ab eo fuerit habita, quod *Eclipsis* nomine illi denominata fuerit. *Eclipsis* enim vera fuit, *Extra ordinaria* tametsi fuerit: quo idcirco de nomine nec erat, cur Thallo culpam, invidiamque conflaret Julius Africanus apud Syncellum in Chronog. p.322. edit. Paris., Ven. p.256; neque S. Joh. Chrysostomo erat, cur ab eo abstinendum nomine duceret; nec Tertulliano Apolog. cap.21. verendum fuerat *Deliquii* nomen; multoque minus, cur Wesselingius in Not. ad Simpsonii Chron., & cum eo Vallarsius in Not. ad Chron. Eusebii Oper. S.Hieronymi T.VIII. p.649, adeo solliciti fuerint de Phlegontis opinione, an Phlegonti nempe facta ea *Eclipsis* Luna *Plena* dicta fuerit, quod Julius Africanus apud Syncellum p. 323. edit. Paris., Ven. p.257. adfirmavit; a Phlegonte vicissim id de Plenilunio haud fuisse indicatum scripsit Origenes in S.Matth. Tract.35. *Solis* etenim vera defectio illa fuit, sive deliquium, seu *Eclipsis*, extra Naturae tamen ordinem: *Naturalis* enim, & Ordinaria *Solis Eclipsis*, nonnisi in *Novilunio*, sive *Lunae* cum *Sole* ☌ *Conjunctione* contingere potest, ut ostendimus; isthaec vero *Solis Eclipsis* in *Plenilunio*, sive in *Lunae* cum

Sole ☍ *Oppositione* contigit. Eam itaque veram, & *Extraordinariam Solis* E*clipsim* fuisse, per *Lunae* videlicet *Oppositionem*, liquidus primum, ac locuples auctor est Phlegon *Hadriani* Libertus, qui Chron. Olympicorum lib. 13. apud Johan. Malelam Chronog. lib. 10. Hist. Byzant. T. XXIII. edit. Ven. p. 101. illam hisce descripsit verbis: *Anno Regni Tiberii Caesaris* Τῷ Ὀκτωκαιδεκάτῳ *Decimooctavo*, (qui fuit Olympiadis 202. annus 4, Christianae Aerae 33.), E*clipsis Solis erat maxima*, *qualem priora Secula videre nullam.* Cui paullo diversum ab Eusebio in Chronico, & a S. Hieronymo ibid. Oper. T. VIII. edit. Veron. p. 649. ex ipso Phlegonte testimonium in haec verba refertur: *Quarto Anno Olympiadis CCII. magna*, *& excellens inter omnes*, *quae ante eam acciderant*, *defectio Solis est facta*; *dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus*, *ut Stellae in Caelo visae sint* &c. Cum Phlegonte alios fecisse Ethnicos Scriptores etiam vidit Eusebius in Chron. p. 648, ut qui in ipsorum se legisse Commentariis hanc tradit periocham: *Tiberii anno* XVIII. *Solis facta defectio*, *& Tenebrae super* U*niversam Terram*. Quamquam postrema de Tenebris super Universam Terram verba in Codicibus Mss. Aurelianensi, Lemovicensi, Puteano, Lodonensi, Fabriciano, Petaviano, Fuxensi, Pithoeano, Oiseliano, Victorino &c. deesse observat Pontacus in Not. ibid. p. 244, unde illa ex S. Matthaeo adsuta fuisse conjicit. Sed & Phlegontis testimonium suo abunde confirmant Thallus nobilis Astronomus Historicorum lib. 3. apud Julium Africanum in Fragmento, quod exhibet Syncellus in Chronog. p. 322. edit. Paris., Ven. p. 256, Auctor Chronici Alex. p. 222. edit. Paris., Ven. Du-Cangii p. 178, Philoponus de Mundi Creatione lib. 2. cap. 2. p. 88. sq., & Origenes in Matth. Tract. 35, & adv. Celsum lib. 2. edit. Maur. T. I. p. 397, & 414: quibus omnibus iisdem omnino, queis in versione S. Hieronymi, verbis illud Phlegontis de *Eclipsi* hacce refertur testimonium, eam videlicet E*clipsim* fuisse, evenisseque anno 4. Olymp. 202, Tiberii 18: qua profecto in re Phlegontis fidem ab exceptionibus vindicant prorsus, ac liberant Huetius Demonst. Evang. Prop. III. §. 9. edit. Ven. T. I. p. 30. sq., Carolus de la Rue in Not. ad Origenis adv. Cel-

Celsum lib.2. §.33. Oper. T.I. p.414, ubi Phlegontem de hac ipsa loqui *Eclipsi* inde recte arguit, quod ipsum alia etiam de Christi rebus Chronico inseruisse suo testis accedat Origenes adv. Celsum lib.2. §.14, ac Tract. 29. in Matth., & Gussetius in Addendis ad Lexic. Hebr. p.943.

IX. Quocirca recte tum ab eodem Huetio ibid., tum a Calmetio in Differt. de Tenebris in obitu Christi, tum a Carolo de la Rue in Not. ad Orig. reprehenduntur tum Keplerus, qui in Eclog. memoratam a Phlegonte *Eclipsim* in Olympiadis 202. annum 1, ac diem 24. Novembris rejicit; tum Petavius Doct. Temp. lib.12. cap.21. T.II. edit. Ven.1757. p.251, & Animad. ad S. Epiphanii Haer. LI. *Alogorum* Oper. T. II. edit. Parif. p.176. sq., qui eam confert in annum 2. Olympiadis 202, Vulgaris Christi natalis 31; cuique in opinione adhaerent Beausobrius *Remarques* in S. Matth. XXVII. 45. T.I. p.81. sq., ac Vallarsius in Not. ad Euseb. loc. cit., ita ab Africano *Eclipsim* in Olymp.202. annum 2. fuisse conjectam contendentes; quum alioquin Olympiades duobus annis citius Africano auspicari scitum sit; tum Vossius Harm. Evang.lib.2. cap.10, ac Basnagius in Annal. Polit. Eccles. ad an.29. n.30, sq. p.248, & ad an.33.n.118.sqq. p.398. sq., aliam a Phlegonte notatam, quam quae in Evangeliis descripta legitur, *Eclipsim* fuisse opinati; tum Bodinus de Abditis rerum sublimium Arcanis libro pestilentissimo in annum 4.Olympiadis 210.observatam Phlegonti *Eclipsim* obtrudens. Nefas est enim, nulla adigente necessitate, validoque nullo cogente omnino momento, uniformi Exemplarium omnium assensu firmatam, Africani, Eusebii, S. Hieronymi, Philoponi, Origenis, Syncelli, Auctoris Chronici Alex., Joh. Malelae &c. testimonio roboratam, veterem Phlegontis lectionem deserere, a quo *Eclipsim* profecto illam Olympiadis 202. anno 4, Scriptoribus hisce omnibus testibus, fuisse consignatam recte quoque observant Ferrandus in *Reflexions sur la Religion Chretienne* T.I. p.321. sqq., ac Tillemontius Monum. Hist. Eccles. T.I. edit. Bruxel. in Not. 35. ad Tenebras, quae in obitu Christi D. obtigerunt p. 249. sq. Eò vel magis, quod Epochae hodie in Ecclesia maxime obtinenti favet, juxta quam Christus D. Olympiadis 202. an-

 no 1,

no 1, Tiberii 15. baptizatus, ideoque Tiberii anno 18, Olymp. 202. anno 4. mortuus creditur. Qua in re graviori se reprehensione dignum praestitit Kirchius in Disquisit. de Eclipsi *Solis* a Sinensibus anno 7. *Quanguuti* notata Miscell. Berolin. T.II. in Continuat. p.133. sqq., ubi Phlegontem egregie in verbo suo mentitum existimat, ut cui Olympiadis 202. anno 2, aut 4. nulla, multoque minus magna, notabilisque notari *Eclipsis*, quae nulla facta est, potuerit: ita nempe in Phlegontem invidiam conflare haud satis habuit, nisi in Evangelistas insuper injurius horum etiam fidem elevaret. Sed enim tam Phlegontis, & Thalli, quam SS. Evangelistarum magis fidem abunde liberant Tertullianus Apolog. cap.21, & S. Lucianus Martyrio anno 322. affectus apud Ruffinum lib.9.cap.6, a quo utroque adversus Ethnicos publica allegata leguntur Acta, in quibus moriente Christo D. *Solis Eclipsis* contigisse refertur: quae Acta plane fuisse Epistolam a *Pilato* exaratam ad *Tiberium* autumat Calmetius Comment. in Matth. cap.27, ac Differt. de Actis Pilati T.II. edit. Ven. p.356. Atque quidem Acta hujusmodi genuina olim extitisse, lecta, laudataque Patribus S. Justino Apolog.2, Tertulliano Apolog. capp.5, & 21, Eusebio in Chron. p.653, & Hist. Eccles. lib.2. cap.2, S. Hieronymo in Chron. loc. cit., S. Epiphanio Haer. L. *Quartadecimanorum*, S. Johanni Chrysostomo hom.27.in 11. Corinth., junctis Syncello in Chronog. p.328. edit. Paris., Ven. p.261, Auctore Chron. Alex. p.229. edit. Paris., Ven.p.184. &c.; queis demum de Actis mentionem etiam fieri in Actis Passionis SS. Tarachi, Probi, & Andronici cap.9. observat Valesius in Not. ad Eusebium loc. cit.

X. Quamobrem Patres illos, veluti falsis usos Actis, reprehendere ausi Tanaquillus Faber lib.2. epist.12, & Antonius Vandalaeus in Differt. de Actis Pilati ad calcem differt.2. de Oraculis edit.2.p.609. sq. rite vapulant a Casaubono Exercit.6. n.154. p.679, & a Fabricio in Censura Evangelii Nicodemi Codic. Pseudepig. Nov.Test. T.I. p.215. A S. Justino non equidem scriptum aliquod Actorum Pilati, sed res ipsas gestas cum Christo D. a Pilato innui existimans Basnagius in Annal. Polit. Eccles. ad annum Christi 33. n.195. sq. dignis excipitur a Fabricio

bricio de Actis Pilati Codic. Pseudepig.Nov.Test.T.II.p.480. sq., ideo quod S. Justinus voce Ἀκτῶν haud abstinuerit, cui alioqui satis fuissent verba Τῶν ἐπὶ Ποντίυ Πιλάτυ Γειομένων. Tertulliani quoque hac in re fidem elevare, sollicitareque haud veriti Faber, & Vandalaeus loc. cit., Ovenus Theolog. lib.3. cap. 14, & Basnagius Exercit. adv. Baronium, refelluntur a Schelestratio, ab Huetio Demon. Evang. Prop.III. T.I. p.45, a Tillemontio Monum. Hist. Eccles. T.II. edit. Bruxel. Nota 19. in S. Petrum p.734, a Vossio de Sybill. Orac. cap. 11, a Pearsonio in Lect. ad Acta Apost.p.63. sqq., a Moynio in Not. ad Varia Sacra p.146. sq., a Ritterhusio Sacr.Lect. lib.7. cap.22, a Pfannero, System. Theolog. Gent. cap.4. &c. Quamvis autem Phlegonti, & Thallo negotium ea de *Eclipsi* ipsis pro vera habita facessere videatur Tertullianus Apolog. cap.21, ideo quod ipse veram fuisse *Eclipsim* haud persuasum haberet, iis tamen in Tenebris Divinum haud defuisse Miraculum ipse adfirmat, confirmatque Hieremiae II. 12, & Amosi VIII. 9, vaticiniis tum hocce loci, tum lib. adv. Judaeos cap.10, tum ad Scapulam cap.3; conferendusque Havercampus in Not. ad Apolog. cap.21. edit. Ven. 1744. p.76. sq. Quae tamen Acta integra, puraque ad nos haud pervenisse, sed faecis plurimum longo temporis defluxu contraxisse concors est Criticorum sententia. Atque ita labe ista haud carere Acta, quae in Historia Martyrii S. Ignatii Antiocheni memorantur; quae in Pseudo-Evangelio Nicodemi ad calcem referuntur; quae in Synaxario Graecorum p.75. laudantur, ea de re reprehenso ab Allatio de Libris Eccles. Graecor. p.235; quae memorata leguntur a Pseudo-Hegesippo de Excid. Urb. Hierosol. Biblioth. PP. T.V. p.1211; ab Auctore Homil.7. de Paschate inter Opera S. Joh. Chrysostomi edit. Montfauc. T.VIII. p.277; a Pseudo-Marcello in Hist. Disput. SS. Petri, & Pauli contra Simonem Magum apud Florentinium Martyrolog. p.103. sqq.; ab Eutychio Alex. Annal. T.I. p.323; a Paulo Orosio Hist. lib.7.cap.4; a S. Gregorio Turon. Hist. Francor. lib.1. cap.20. edit.Ruinar. p.18. &c. Eadem infecta labe Acta, quorum exemplar in lucem protulere Ivo Carnot. in Excerpt. Chronolog., Martinus Polonus Chron. lib.4. p.118, Sixtus Senen. Bibl. S. lib.2. p.123,
Flo-

Florentinius in Martyrologio p.113, Henschenius ex Tabulario Hierosolym. ad diem 4. Februarii, Cotelerius ex Codice Regio 2431, Joh. Albertus Fabricius ex Colbertino 2493. Codic. Pseudepig. Nov. Test. T.II. p.456, &c.; quae pariter edita fuere a Cassanaeo Catalogo gloriae Mundi Par.IV. p.98.sq.; atque memorata leguntur Nicephoro, Haymoni, Cedreno, Othoni Frising.&c. Diversi vero quammaxime generis ab utrisque hisce fuere Acta Pilati Ethnicorum fraude procusa, blasphemiis in Servatorem nostrum refertissima, quae Seculo IV. ubique pervulgari, lateque per universas Imperii Provincias in Scholis perlegi *Maximinum* Imperatorem jussisse refert Eusebius Hist. Eccl. lib.9. capp.5, & 7, ac post ipsum Nicephorus lib.7. cap.26. Eorum tamen Actorum falsitatem aperte convincit Eusebius lib.1. capp.9, & 11. ex eo, quod gesta illa *Tiberii* Consulatu IV, sive anno ejus Imperii 7. consignata fuerint; quum tamen anno demum *Tiberii* 12. in Judaeam abjisse Pilatum testis accedat locuples Josephus Antiq. Jud. lib.18. cap.3.

XI. In viam, e qua paullisper deflexi, modo ut regrediar, eidem probe de *Tenebris* in morte Christi D., divino non absque Miraculo, totoque extra Naturam ordine, factis sententiae arcte institere SS. Ecclesiae Patres, eidemque utroque subscribere pollice haud dubitarunt Ecclesiastici Scriptores, & sacrorum Evangeliorum Interpretes, etsi de modo, quo factae *Tenebrae* illae fuerint, inter se postea haud conveniant. Ita Pseudo-Dionysius Areopagita Epist.7. ad Polycarpum, & Epist.11. ad Apollophanem, ubi Heliopoli, nunc Damiatae, tum degens eam se *Eclipsim* spectasse testatur, hac ipsa de re laudatus Suidae V. Διονύσιος; S.Cyprianus Serm. de Bono Patient., ac Testimon. lib.2. cap.23. edit. Baluzii p.655; S. Athanasius Serm. de Passion. edit. Colon. T.I. p.1016, inter dubia tamen recensito; Lactantius lib.4. cap.19; S. Hilarius de Trin. lib.3. cap.10; S.Hieronymus in Hier. xv, Joel. II, Amos VIII, & Matth. XXVII; S. Ambrosius in Luc. lib.10. cap.23; S. Augustinus Epist.80. ad Hesychium Vet. edit., ac de Civit. lib.3. cap.15; S. Johan. Chrysostomus in Matth. hom.89, edit. Montf. 88. T. VII. p.825; S. Gregorius Nazian. Orat. 42. in fine; S.Cyrillus Hierosf. Catech.13. edit. Touttaei §.24. p.195; S. Gaudentius in

in Matth. Tract.3; Basilius Seleuc. Orat.40; S. Leo M. serm.51, edit. Baller.53. de Passione cap. 2, & serm.59, edit. Baller.61. cap.5; Sedulius Paschalium lib.5. cap.16; Orosius Hist. lib.7. cap.4; Euthymius, ac Theophylactus in Matth.cap.xxvii.v.45; V. Beda in Marc. xv, & Luc. xxiii; Vincentius Lirin. lib. 8. cap.45; S. Thomas Par.III. q. 44, Artic.2. ad 2, ac post ipsos tum de Schola Theologi, tum S.Scripturae Interpretes universim, Miraculum illud Vaticinio confirmantes Hieremiae xv, 9. *Occidit ei Sol, quum adhuc esset dies*; Joelis ii. 10, & iii. 15. *Sol, & Luna obtenebrati sunt*, sive ut habet Textus Hebraeus שֶׁמֶשׁ וְיָרֵחַ קָדָרוּ *Sol, & Luna nigruerunt*; & Amosi viii. 9. *Occidet Sol in meridie*. Etsi vero eam *Solis* obscurationem, sive defectionem *Extraordinariam* fuisse, neque nisi Divina virtute factam haud ambigant, quo tamen modo facta illa fuerit, in explicando differunt inter se se. *Extraordinariam*, sed veram etenim *Solis Eclipsim*, per *Lunae* nempe *Oppositionem*, fuisse persuasum habuere post Phlegontem, & Thallum, Pseudo-Dionysius Areopagita, ejusque Scholiastes S. Maximus; & Pachymerus edit. Lequiennii Ven. T.II, p. 312. sq., Tertullianus adv. Marcion. lib.4. cap.42, Lactantius, SS. Athanasius, Johan. Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Hieros., Gaudentius &c., Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus in Luc. cap.xxiii, S.Thomas &c., quos utroque sequuntur vestigio Vives, & Coquaeus in Not. ad S. Augustinum de Civit. lib.3. cap. 15, Jansenius, Franciscus Lucas, Barradas, Cornelius a Lapide in Matth. xxvii, Suarez in Par.III.T.II. disput.39. sect.1, Maldonatus Comment. in Matth. xxvii. 45. T. I. p.633, Salmeron in Matth. loc. cit. Tract. 42. Oper. T.X. p.349. sq., Silveira Comment.in Evang.T.V. lib.8.cap.19.q.1.p.483. sq.&c.

XII. Non veram *Solis* vicissim *Eclipsim*, sed per Solaris obductionem lucis, sive per luminis a *Sole* subtractionem, eas contigisse *Tenebras* alii tenent, uti videntur SS. Cyprianus, Hilarius, ac Hieronymus cit. loca Hieremiae, Joelis, & Amosi allegans, Basilius Seleuc., Orosius, S. Leo M., Sedulius, V. Beda &c., queis adstipulari maluere Cajetanus Comm. in hunc loc., Philippus Priorius in Animad. adversus Praeadamitas, & in Not. ad Tertullianum Apolog.cap.21. edit. Ven.

Ven. 1744. p. 20, ac Basnagius in Annal. Polit. Eccles. ad annum Christi 33. n. 119. T. I. edit. Roterod. p. 398. sq. Contra quos collato veluti pede stetit pridem, auctoritate potissime Dionysii Areop. fretus, Albertus M. eam contendens veram *Solis Eclipsim* fuisse per *Lunae* suppositionem divinitus *Soli* factam. Alii è contra eam lucis Solaris obductionem densae *Nubis* objectu contigisse, velut olim factum in Aegypto liquet ex Exodi x. 22. sq., autumant, ut Origenes in Matth. Tract. 35. edit. de la Rue T. III. p. 922. sq., quo loci tamen Divina id factum virtute non dubitat; censere item videntur S. Joh. Chrysostomus, ac Sedulius, Euthymius item, ac Theophylactus, tenet vero Theodoretus; cui opinioni suffragio quoque suo adhaeret Calmetius. Contrarius est autem explicite S. Augustinus de Civit. lib. 3. cap. 15, ubi notat S. Lucae expresse *Solem* obscuratum memorari, adeo ut ex *Sole* obscurato *Tenebrae* exortae sint. Addit Salmeron cit. Tract. 42. p. 348. a Hieremia, Joele, & Amoso Solaris lucis defectum hunc explicite fuisse praedictum, adeo ut *Sol* tum luce defraudatus sua fuerit. Accedit & Tillemontius, qui Not. 19. in S. Petrum T. II. edit. Bruxel. p. 249. rite observat, quod illa *Nubium* oppositio multo magis impedimento fuisset, ne viderentur *Stellae*, quam *Sol*, quas attamen *Stellas*, tum *Sole* penitus obscurato, conspiciendas patuisse referunt Phlegon, & Thallus. Junge & illud valdequam validum, quod S. Lucae distinctissime cum *Tenebrae*, tum *Solis* obscuratio memoratae leguntur; quod aliud manifeste praesefert, quam solam *Nubium* objectionem. Itaque Petrus Halloixius in Not. ad vitam S. Dionysii Areop. Oper. T. II. edit. Lequien. Ven. p. 84, & Grotius Comment. in Matth. cap. XXVII. 45. Crit. Sacr. T. IV. edit. Francof. p. 843. eam *Solis* obscurationem neque *Lunae* interpositione, neque obductione *Nubium*, sed modo quodam hominibus ignoto contigisse censent, modo tamen praeternaturali, ac miraculoso, quo de prolixe quoque Polus in Matth. XXVII. 45. Synops. Crit. Sacr. T. IV. p. 679.

XIII. Jam vero eam *Solis Eclipsim*, sive uti malis, *Solis Obscurationem* fuisse *Universalem*, quod secundo loco inquirendum proposueramus, inficiari haud fuerunt veriti, sed su-

ſuper Judaeam dumtaxat factam adfirmarunt olim Origenes cit. in Matth. Tract. 35, cui favere videtur S. Ambroſius in Luc., Eraſmus in Matth. xxvii. 45, Vatablus in eumd. loc. Crit. Sacr. T.IV. edit. Francof. p. 821-, & 823, Theodorus Beza, Gualpetrius apud Polum in Synop. Crit. Sacr. T.IV. p. 678, Scaliger ad Euſeb. Chron. n. 2047, Voſſius Harmon. Evang. lib. 2. cap. 10, Joh. Markius Exercit. Scriptur. 2. 9, & Maldonatus e noſtris in Matth. xxvii. 45. Oper. T.I. p. 633, invictiſſimo vero refelluntur trium Evangeliſtarum teſtimonio, quos unanimi eò conſpiraſſe conſenſu liquido conſtat, ut *Tenebras*, Chriſto D. moriente, *Super Univerſam Terram* factas traderent. Quo profecto loci Piſcator apud Polum Synop. Crit. Sac. T.IV. p. 678, Mornaeus de Veritate Relig. Chriſt. cap. ult., Grotius Comm. in Matth. xxvii. 45, Relandus Palaeſt. illuſt. lib. 1. cap. 5. edit. Norimb. p. 22, Willelmus Moma de Varia Condit., & Statu Eccleſiae T.II. lib. 3. cap. 6. §. 84, ac Wolfius in Curis Philolog., & Crit. T.I. in Matth. cap. 27. v. 45, etſi de Proteſtantium grege, illam *Solis Eclipſim Univerſalem* fuiſſe utique, neque Divino abſque Miraculo eveniſſe, adverſus eos, qui *Tenebras* illas uni Judaeae imminuiſſe cenſent, recte demonſtrandam adſumpſere, tum ex trium maxime Evangeliſtarum conſenſu, qui omnes verba Πασᾶν, aut Ὅλην τῆν γῆν *Super omnem Terram*, non abſque emphaſi, adhibent; tum ex propria, ingenitaque confirmant notione, atque vi Graecae phraſeos Πᾶσα γῆ, quae hocce loci aeque, ac Matth. ix. 26. 31, Lucae xxi. 35, Actor. vii. 11, Roman. ix. 17, ac x. 18, & Apocalyp. xiii. 3. 5. 6, alibique totam Mundi *Univerſitatem* denotat. Guſſetius etiam in Lex. Hebr. p. 96. per Γῆν *Judaeam* heic indicari negat, ideo quod אֶרֶץ *Ares*, *Terra*, abſque affixo nunquam in S. Scriptura hoc ſignificatu occurrat. Buxtorfius quoque Lex. Hebr., & Chald. p. 51. ſq. voce אֶרֶץ *Terram* indeterminate ſignificari obſervat; Chaldaice vero אַרְקָא *Arech Terram Univerſam* denotari, atque ita cum Caelo *Terram* conjungi Hierem. x. 11. שְׁמַיָּא וְאַרְקָא *Caelum, & Terram*. Hinc vox iſta ſane אֶרֶץ *Ares* indeterminate pro *Terra* univerſim accepta a LXX. Interpretibus vertitur Γαῖα, vel Γῆ, a

Symmacho, ac Theodotione Γῆ, a Vulgato Interprete, aliisque *Terra* tam habitabilis, quam inhabitata.

XIV. Confirmat id vero vocis hujusce cum Thema, tum Etymologia. Namque R. Kimchius Comment. in Psalm. XXIV, & LXXXIX. ita distinguit inter vocem תֵּבֵל *Thebel*, *Orbis*, & vocem אֶרֶץ *Ares*, *Terra*, ut posterior ista *Terra* pro *Universa Tellure* accipi debeat, ea sive habitata sit, sive inhabitata; prior illa vero *Orbis* loca dumtaxat habitata denotet. Ita etiam vocem inter utramque idipsum adnotavit discrimen S. Hieronymus, quem laudat Constantius in Concord. Bibl. Hebr. T.I. p.286, ac post S. Hieronymum idem quoque posuit discrimen Zanolinus in Lex. Hebr. p.35. Derivatam vero hancce vocem אֶרֶץ *Ares* vel a verbo רוץ *Currere*, quod Sphaera jugiter super *Terram* veluti currat, eamque circumeat, vel a verbo רָצַץ *Conterere*, quod omnium pedibus *Terra* veluti teratur, idem Zanolinus eodem loci adnotat: quo utroque significatu *Terram Universam* sane designari non est dubium. Atque ita a postrema voce רָצַץ *Terendo* dictam *Terram* Gen.1.10, ubi plane de *Terra Universa* sermo est, autumat Buxtorfius Lex. Hebr. p.51. sq. Eòdem coincidit Etymologia vocis ejusdem אֶרֶץ, quae Samaritice, Chaldaice, ac Syriace per litterarum צ, & ע commutationem simili effertur sensu, quamve a radice Arabica أرض *Arets*, *Depressus*, derivandam autumat Clodius in Lex. Hebr. Selecto p.56, adeo ut *Terra* a situ ita denominata sit; atque sicut *Caelum* ab *Altitudine* שמים ex radice Arabica سما *Sama*, *Altum esse*, dictum observat, ita *Terra* a *Depressione* opposita fuerit nuncupata. Addit Clodius aliis derivari *Terram* a verbo אצר *Recondidit*, quasi *Terra* nempe *Thesaurus* sit rerum ad vitae sustentationem necessariarum; aliis derivari ab רצה *Gratum esse*, quod hominibus *Terra* fructibus suis gratiosa fiat: quo utroque profecto significatu *Terram Universalem* venire nemo non videt.

XV. Huicce de *Terra Universali* a SS. Evangelistis hocce loci designata testimonio jungendum & illud est Phlegontis, ac Thalli: queis ambobus Ethnicis sane *Eclipsis* isthaec per-

specta

specta haud fuisset, nisi ea fuisset *Universalis*: quod argumentum egregie urget, illustratque Grotius in Matth. XXVII. 45. Itaque non audiendus Origenes in Matth. Tract. 35. Oper. T. III. p. 923, ubi tum Phlegontis assequutus minime testimonium est, tum eadem de *Eclipsi* apud Evangelistas dubium movere videtur: siquidem S. Lucae XXIII. 44. Ἐκλείποντος Ἡλίου *Deficiente Sole* ab Haereticis ad fidem Evangeliorum elevandam fuisse supposita perperam opinatur; neque *Solis* illam defectionem totum *Terrarum Orbem* occupasse, sed *Judaeam* dumtaxat ibidem *Terrae* nomine fuisse designatam; eamque denique *Solis* defectionem haud fuisse, sed *Nebulam* late super *Judaeam* expansam. Origenis enim errorem istum teterrimum, ejus suppresso tamen nomine, late refellit Paschasius Radbertus in Matth. cap. 27. lib. 12. cum ex verbis trium Evangelistarum in idipsum explicitissime conspirantium, ut *Tenebras super Universam Terram* factas adfirmarent; tum etiam ex Vaticinio Amos VIII. 9. *Occidet Sol in Meridie, & tenebrescere faciam Terram in die luminis* id confirmat. Sed enim Paschasio Radberto sententia quam liquido, tam longe praecesserant Ecclesiae Patres, ac Scriptores Ecclesiastici paullo superius laudati, atque quammaxime Pseudo-Dionysius Areopagita, Tertullianus, S. Joh. Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus, Paulus Orosius, S. Leo M., Vincentius Lirin., Euthymius, Theophylactus, S. Thomas, queis adstipulari religioni duxere Salianus ad an. M. 4086., Gretzerus de Cruce lib. 1. cap. 31, Jansenius in Concord. cap. 143, Barradius in Evang. lib. 7. cap. 20, Johannes de Sacrobosco in fine Sphaerae, Clavius, aliique plures memorati Ricciolio Almag. novi lib. 5. cap. 18, & Laurentio Cozzae in Vindic. Areopag. Par. II. cap. 9. p. 210. sqq., *Universalem* nempe *Solis Eclipsim* illam fuisse, sive *Universam super Terram* effusas *Tenebras* fuisse illas tenentes, respectu videlicet totius Hemisphaerii nostri, quod Solari tum luce perfusum erat: quos presso sequuti perinde vestigio sunt Lucas Brugensis, Cornelius a Lapide, Salmeron, Silveira, aliique vulgo S. Scripturae Interpretes.

XVI. Atque hanc ipsam quidem in rem Historia advocari Sinensis, Hadriani Gressonii praesertim, a multis solet, in-

 que

que Sinensium Annalibus, hanc utique consignatam *Solis Eclipsim* oppido haud pauci contendunt: ubi plane notata minime fuisset, nisi fuisset eadem *Universalis*. Qua sane in persuasione intime versati, defixique profecto fuere Huetius Demonst. Evang. Prop. III. §.9. edit. Ven. T.I. p.30, Dominicus Gabianus, Bouvetus &c., ex Protestantium quinimo grege Grotius de Verit. Relig. Christ. lib.3. §.14. Crit. Sacr. T.VII. edit. Francof. p.2059, Gussetius Lex. Hebr. p.943, Relandus Palaest. illust. p.23, Alphenius in Daniel. IX. p.427. sq., Joh. Andreas Schmitdius Dissert. de Labore Solis laborante Sole Justitiae, Andreas Mullerus in Disquisit. de Eclipsi Passionali, Christoph. Tobias Windeburgius de Obscur. Solis in Pass. Dom., aliique. Contra tamen in Sinensium Annalibus non Miraculosam istam, sed Naturalem alteram *Solis Ecclipsim*, altero Christi D. emortualem antevertente anno observatam, consignari contendunt Bayerus speciali edito libro de Eclipsi Sinica, De Vignolius Bibl. German. T.V. p.30. sqq., Vallarsius in Not. ad Eusebii Chron. Oper. S. Hieronymi T.VIII. p.649. sq., aliisque praetermissis, nobile par Soc. Jesu Sinensis Historiae, reique apud Sinenses Astronomicae peritissimi PP. Gaubilius, ac Soucietus. Atque duumviri quidem hi Observat. Mathem., Astron., Geogr., Chronolog., & Physic. T.II. in Append. ad Historiam Astronomiae Sinen. dissert.4. de Solis Eclipsi Sinis observata anno Christi D. 31. sic eamdem referunt ex Computo Sinensium Astronomico: *Anno 7. Lunae 3. die Hoey, ultima Quey-hay Solis Eclipsis: locus Solis in gradu 5. Constellationis Pi.* Admonent porro annum huncce septimum fuisse Imperii *Quang-vou-ti*, qui primus ex Imperatoribus *Han* Orientalibus tenuit, imperiique sedem *Loyang* in Provinciae *Honam* parte magis Orientali defixit. Quum itaque *Quang-vou ti*, Dynastiae *Han* Imperator ordine XVI, qui Orientali huicce Dynastiae *Han* auspicia fecit, regnare ceperit Aerae Christianae anno 25, quo etiam anno ipsius Imperii initium consignant Duumviri alii doctiss., reique Sinicae callentissimi Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hist. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.22. p.445, ac De Guignesius Hist. gen. Hun. Par.I. T.I. lib.I. in Tabul. Chron. p.29. sq., inde fit evidens *Eclipsim* anno ejus impe-

imperii 7. consignatam, Aerae Christianae anno 31. contigisse. Charactere vero, sive Nota *Hoey* denotari *Lunae* diem extremum advertunt; duabus autem Notis, sive duplici Charactere *Quey-hay* designari diem 60. Cycli dierum 60, (quo de Cyclo dictum abunde nobis est, ubi de Mensibus, & Annis Sinensium &c. super. T. II. Art. III. p. 472. sqq.): quem profecto diem 60. Cycli dierum 60. Christi anno 31. incidisse in diem aut Januarii 10, aut Martii 11, aut Maji 10, aut Julii 9, aut Septembris 7, aut Novembris 6. ostendunt; qui dies tantum duobus hisce Characteribus *Quey-hay* obsignati leguntur. Sed enim diem tandem *Hoey*, idest ultimum *Lunae* 3, sive diem 1. *Lunae* 4. eo Christi anno 31. cum die 10. Maji, Charactere *Quey hay* notato, concurrisse, ideoque eo die 10. Maji *Eclipsim* illam evenisse concludunt. Constellationis *Pi* denique nomine designari *Tauri* oculum Borealem, sive *Stellas*, quae in facie *Tauri* sunt, (quarum una *Aldebaran* est, altera *Palilitium*), adnotant; ideoque Christi anno 31. *Pi* gradum 5. fuisse *Tauri* gradum 44, in quo tum existens *Sol* deliquium ex *Lunae* suppositione passus sit.

XVII. Astronomico huicce Sinensi adhaec calculo approbe respondere advertunt Duumviri laudati Sinensem Historiam Eclipsium a *Tching-hing* observatarum, dictam *Tong-Kien*, *Kang-Mon*, *Nien-y-sse*; qua Historia Dynastiae comprehenduntur omnes a principio Dynastiae *Han*, quae ante Christi natalem anno 206. cepit, usque ad finem Dynastiae *Yuen*, quae anno Christianae Aerae 1367. finiit; quaeque Historia Observationes Astronomicas eo annorum spatio a Tribubunali Astronomiae, & ab *Hing-yun-lou* celeberrimo inter alios Sinensium Astronomo supputatas complectitur. In ea igitur Historia, quae Authentica habetur, hisce descripta verbis ea legitur Eclipsis: *Anno 7. Quang-vou-ti, die Quey-hay ultima Lunae 3. Eclipsis Solis*. Annum 7. porro illum eodem loci duplici Charactere *Sin-mao* designari observant: quo nonnisi annum 28. denotatum ajunt Cycli annorum 60; eumque annum 28. Cycli XLVI. probe congruere cum anno Christi 31, velut etiam ostendit De Guignesius in Tabul. Cyclor. Sin. Hist. gen. Hun. T. I. p. lxxiij. Rursus in Versione Historiae illius Tartarica

tarica advertunt *Eclipsis* illius annum dici annum *Leporis Albae* : quo plane nomine reapse Christi annus 31. tam in Cyclo annorum XII, quam in Cyclo XLVI. annorum LX. insignitus legitur. In eadem item Versione dies *Eclipsis* hujusce dicitur dies *Porci Nigri* : qui profecto dies anno Christi 31. in Maji diem 10. incidere debuit. Et certe Observat. Mathem. &c. T.I. p.22. sq. ex Tabulis de la Hire eadem *Eclipsis* a Gaubilio supputata, anno Christi 31. *Caifong-fou*, & *Loyang* accidisse die 10. Maji hora 10. matutina, minutis 33.' 28." deprehensa est, *Sole* tamen, ac *Luna* in *Tauri* gradu 16. o.' 28." existentibus: quo anno *Pascha* circa principium Aprilis incidisse observat Soucietus in Not. ad cit. dissert.4. Observat. Astron. &c. T.II. p.169. Postremo tam Astronomico Tribunalis Sinensis calculo, quam Sinensis Historiae testimonio apprime conformem fuisse supputationem ab *Hing-yun-lou* celebri Astronomo factam ostendit Gaubilius Observat. Mathem., Astron. &c. T.III. in Tract. de Astronomia Sinen. Par.II. sect.4. p.235. sqq., quo loci Solarium Eclipsium praecipuarum Catalogum in Sinis observatarum exhibet; atque ab *Hing-you-lou* eam, qua de loquimur, Eclipsim eodem anno *Quang-vou-ti*, eadem die *Quey-hai*, eadem *Luna* 3. *Hoey*, ideoque Aerae Christianae anno 31, die 10. Maji, in quem Characteres hi congruunt omnes, consignari refert.

XVIII. Ex his itaque Missionarios nonnullos, queis *Eclipsis* eadem visa est, ac quae in Christi D. obitu contigisse legitur, ignorantiae Sinensis cum Astronomiae, tum Historiae uterque vir ille arguere non dubitat, ac maxime P. Coupletum de ea dubitantem, ac P. Bouvetum eamdem indubie adfirmantem refellere non destitit. Rationem nempe ita dubitandi, & ita adfirmandi desumpsisse illos, aliosque observant quammaxime ex Nota quadam Textui Astronomico Sinensi adjecta, & ex *Tsien-tam-pa* desumpta, quae sic habet: *Die Quey-hay Eclipsis Solis est*: *Peng*, idest *Homo Caelestis, cadit*, hoc est *Moritur*. Qua sane ex Nota ansam nonnulli arripuere aestimandi de *Eclipsi* in Christi D. obitu facta eo loci sermonem fieri, veluti Sinensibus etiam observata. Verumtamen admonent Duumviri illi specialem in Sinis curam esse demandatam Tribunali

bunali cuipiam *Tchen* dicto, ideſt *Auguriorum*, ſive *Divinationum*, quam diligenter animadvertendi quid boni, quidve mali Caeleſtibus ex Phoenomenis portendi Imperio poſſit. Eo igitur in Tribunali uſu prae aliis veniſſe *Tſien-ta-pa*, Commentarium hoc eſt in *Tchun-tſie-ou*, qui non eſt, niſi liber de *Vere*, & *Autumno* inſcriptus, ſive Kalendarium quodpiam anno Chriſtianam ante Aeram 480. elaboratum, magnoque in pretio Sinenſibus habitum, tantoque, ut Sacris, Theenicíſque comparetur libris, quo de Soucietus Hiſt. Aſtron. Sinen. T.II. in Not. p.1. ſq. Hoc igitur in libro annis *668*, & *628*. Chriſti ante natalem duas *Solis Eclipſes* eodem Charactere *Quey-hay* adfectas, eadem quoque Nota *Peng*, ideſt obitus *Hominis Caeleſtis*, conſignatas legi teſtantur; indeque factum, ut ex *Tchun-tſie-ou*, una cum Charactere *Quey-hay*, ideſt *Lunae* 3. die ultima, translata quoque fuerit in *Tſien-ta-pa*, indeque derivata in Hiſtoriam *Nien-y-ſſe*, ad *Eclipſim* anni 31. Aerae Chriſtianae deſignandam Nota *Peng*, hoc eſt *Caeleſtis Hominis* caſus. Quo plane nomine *Peng*, ſive *Hominis Caeleſtis*, haud Divinum utique deſignari Hominem, ſed Imperatorem Divino in honore apud Sinenſes habitum, atque *Solis* imagine decoratum advertunt: ſicuti ſub *Lunae* ſpecie ſubditos deſignari Populos Gens ſuperſtitioſa perſuaſum habet. Admonet denique Gaubilius Obſerv. Aſtron. &c. T.III. in Tract. de Aſtronomia Sinen. Par.II. ſect.4. p.335. ſqq., ubi Solarium *Eclipſium* in Sinis obſervatarum, tum quas ipſemet ſupputavit, tum quae pro germanis, veriſque apud Sinenſes reputatae ſunt, Catalogum exhibet, admonet, inquam, *Eclipſium* Catalogum ex Hiſtoria Sinenſi a Coupleto in ſua Chronologia Sinenſi deſcriptum non uno laborare vitio, eoque praeſertim, quo lapſus perinde Caſſinus eſt, quod veras a falſis cum in Hiſtoria, tum in Kalendario Sinenſi notatis *Eclipſes* diſcernere neſciverit: ſed hocce de argumento ſatis jam, atque ſuper.; quo de recolenda, quae T.II. Art.III. §.XXXV. ſq. p.466. ſqq. diſputata ſunt.

DE

T.V. p.710, Zegerus ibid. p.711.sq., Emanuel Sà &c. Quidam *Epaphroditum*, quem ad Philippenses missum super. c.2.v.25. testatur idem Apostolus, hocce loci Σύζυγε Γνήσιε vocabulo intelligendum credunt, uti Vatablus in hunc loc. Critic. Sacr. T.V. p.709, Grotius ibid. p.713, & Daniel Heinsius Exercit. Sacr. lib.11. cap.4. p.457, ubi hoc etiam nomine Σύνεργοις *Clementem*, ac reliquos ejusdem laboris in Evangelio participes Apostolo nuncupari adnotat; eisque ideo succenset, ac nominatim S. Isidoro Pelusiotae, quod lib.4. epist. 112. Γνησία legerit, ac *Epaphroditum* in Pauli uxorem mutaverit. Alii denique suam ipsius a *Paulo* Conjugem heic compellari persuasum habuere, veluti Clemens Alex. Stromat. lib.3. edit. Sylburgi p.448, Potteri Ven. T.I. p.535, Eusebius Hist. Eccles. lib. 3. cap. 30, Pseudo-Ignatius in Epist. interpolata ad Philadelph. cap.4, & Methodius in Symposio decem Virgin. p.82; quibus adstipulari non dubitarunt Humbertus Sylvae Candidae lib. adv. Nicetam, Stapulensis, Zuvinglius, Erasmus Comm. ad Philip. IV.3. Crit. Sacr. T.V. p.706. sq., Beveregius in Annot. ad Can.5. Apost. edit. Cotelerii T.I. p.462.sq., Potterus in Not.9. ad Clementem Alex. loc. cit., Grabius in Not. T.I. Spicileg. PP. Seculi II. p.230, Kochius in Diatriba de Pauli Conjugio, Rusius in Harm. Evang. T.I. p.580, Scharbau Observ. Sacr. Par.I. dissert 15. de Sororio Conjugum titulo p. 196. sqq., Oederus in Programmate singulari, Beausobrius in Not. ad S.Pauli Epist. ad Philip. IV.3. T.II. p.56 &c.

II. Praeposteram hancce sed enim de S.Pauli Conjugio, Uxoreque Σύζυγε nomine compellata opinionem late refellendam dudum suscepere S. Johannes Chrysostomus in Epist. ad Philip. loc. cit. homil. 13. edit. Montfauc. T. XI. p. 301, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Estius in eamdem Epist., Baronius ad an.57. n.61. sq., Cornelius a Lapide, Tirinus, Harduinus Comm. in hanc Epist. p.588. &c.; ex Protestantibus vero Castalio Crit. Sacr. T.V. p.710, Calvinus, Beza, Heinsius loc. cit., Heumannus in Poecile T.I. lib.2. p.332, & in Programmate an.1732. promulgato, Elsnerus p.255, Wolfius in Curis Philolog. Crit. loc. cit., Zeltnerus in Glossa ad hunc loc., Witbejus in Not. ad Tertullianum Exhort.8.&c.,

eo potissimo, geminoque pugnantes argumento, tum quod si de Uxore loquutus *S. Paulus* fuisset, Γνησία Σύζυγε in foeminino dixisset, non Γνήσιε, idest *Germane* in masculino: quomodo Patribus Graecis, ac Latinis eo loci legitur, ac in Codicibus Syriacis etiam scribitur; tum quod Apostolus ad Corinthios de Caelibatu loquens, eosque ad illum amplexandum adhortans dixerit cupere se eos sui esse similes, Caelibes hoc est: quod sane non dixisset, nisi Caelebs & ipse fuisset. Et certe *S. Paulo* Uxorem fuisse disertissime negant Tertullianus ad Uxor. lib. 1. cap. 3. de Monog. capp. 3, & 8, S. Hilarius in Psal. 127, S. Epiphanius Haer. LVIII. *Valesiorum*, S. Ambrosius in Exhort. ad Virgin., Ambrosiaster, sive Hilarius Sardus in Epist. II. ad Corinth. XI. 2, S. Hieronymus advers. Jovinianum lib. 1, & Epist. 22, ad Eustochium, S. Augustinus de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 4, de Bono Conjug. cap. 10, de Adulter. Conjug. lib. 1. cap. 4, ac de Oper. Monach. cap. 4, aliique. Conferendi Readingus in Adnot. ad Eusebium lib. 3. cap. 30. edit. Taurin. T. I. p. 724. sq., & Cotelerius in Not. ad Epist. S. Ignatii interp. cap. 4. T. II. edit. Amster. p. 77. Et quidem quod attinet ad Canonem V. Apostol., quo suam de *S. Pauli* Conjugio fulcit opinionem Beveregius, eum sane Canonem subdititium esse liquido ostendit Thomas Bruno in Judicio de Auctore Canon., & Constit. Apost. §. 26. edit. Cotelerii Amst. T. II. p. 189. Quod vero ad interpolatam S. Ignatii ad Philadelph. epistolam pertinet, eorum Catalogo, quos Nuptiis sociatos ibidem Pseudo-Ignatius memorat, *S. Pauli* nomen de industria, aut malitia, aut oscitantia vel Philogamorum, vel Graeculorum, vel Haereticorum, vel Librariorum insertum fuisse persuasum habuere Alphonsus Pisanus de Apostolico Caelibatu cap. 7, Martialis Maestraeus in Not. 7. ad hancce S. Ignatio perperam adscriptam epistolam, Alphonsus de Castro adv. Haeres. lib. 4. V. *Virginitas*, Pamelius Not. 13. in Tertullianum de Monog., Baronius ad an. 57. n. 64, Thomas Martinus lib. contra Sacerd. Conjugia, Hieronymus Vairlenius in Not. margin. ad eamdem Epist., Lumbertus Gruter Venrad. in Praefat. ad Clementina ab se edita, Franciscus Turrianus Defens. Can. Apost. cap. 2, Michael Medina de Sacr. Homin. Continentia

nentia lib. 2. cap. 14, Bellarminus de Clericis cap. 20, Lindanus de Virgin. voto lib. 4. cap. 5. &c., a quibus allegantur veteres S. Ignatii Codices Mss., in quibus *S. Pauli* nomen in Epist. ad Philadelph. haud comparet, uti *Magdalenensis* in Bibl. Oxoniensi allegatus ab Alphonso a Castro, a Pamelio, ac Medina; *Hungaricus* in Bibl. Budensi laudatus Ambrosio Camaldulensi, Maestraeo, & Lindano; *Vaticanus* inspectus Francisco Turriano, Bellarmino, ac Baronio. Quo circa *S. Pauli* nomen, ubi in cit. S. Ignatii epistolam irrepserat, abradendum judicarunt Johannes Maria Brasichellensis S. Palatii Apost. Magister, ac Thomas Malvenda in Indice Expurgatorio Romae an. 1607, ac Bergomi an. 1608. edito, indeque in Bibl. PP. edit. Paris. an. 1610. T. III, ac edit. Colon. an. 1618 T. I. translato. Verum *Magdalenensem* illum Codicem Richardo Smithaeo etiam memoratum, vulgatae Latinae editionis fuisse exemplar haud vetus ex Possevino Appar. Sac. in Ambrosio Camald. ostendit Usserius in Differt. de S. Ignatii Epist. cap. 17. edit. Cotelerii Amst. T. II. p. 241. sq. Profert vicissim ipse Codices *Petavianum*, *Baliolensem* in Bibl. Oxon., *Augustanum*, eosque, e quibus Editiones suas expressere Faber Stapulensis, Judocus Clichtovaeus, ac Symphorianus Champerius de Mirab. S. Script, lib. 1. cap. 8, in quibus *S. Paulus* etiam ipse inter Conjugatos a Pseudo-Ignatio cit. Epist. ad Philadelph. recensitus legitur. Qui tamen in ea & ipse arcte haeret sententia, ut de *S. Pauli* Caelibatu nullus omnino dubitet, ejusdem Apostoli de se ipso I. Corinth. VII. 7. sq. testimonio sane invictissimo subnixus, quo de supra; atque de *S. Pauli* Ζύζυγος hactenus.

III. In lineam, e qua deflexit, ut nostra modo regrediatur oratio, *Syzygiae* hocce sane loci nobis dicuntur *Lunae* cum *Sole* ☌ *Conjunctiones*, & ☍ *Oppositiones*, sive *Novilunia*, & *Plenilunia*: duo alii profecto certissimi, naturalesque Chronologiae, & Historiae Characteres. De quibus nunc loquendo, scitum est plane *Novilunium* tum contingere, quum *Lunae* cum *Sole* in eodem gradu fit *Conjunctio*; *Plenilunium* vero, quum *Lunae* cum *Sole* in gradu 180. fit *Oppositio*. Triplici porro ratione tam *Novilunium*, quam *Plenilunium* deprehendi datur, *Astronomica*, cognita nempe *Lunae* longitu-

post Kalendas Januarias anni praecedentis, adeo ut si annus ille prior a Feria 1. inceperit, posterior incipiat a Feria 2. In Anno vero *Bissextili* diebus 366. constante, Hebdomadibus omnibus absolutis, dies 2. residui siquidem sint, dies 2. ideo anni sequentis Kalendis adjiciendi erunt, indeque fiet, ut si annus praecedens a Feria 1. injerit, insequens *Bissexto* annus a Feria 3. initium capiat. Atque hae porro *Solis Epactae* nuncupari Computistis olim solebant *Concurrentes*, quod nempe Solis Epactis *Regularibus* adjectae Hebdomadis *Feriam* indicarent. *Solis* enim Epactae *Regulares* dicebantur *Feriae* Kalendarum Mensium omnium totius anni primi in Kalendario descripti, in quo nempe littera *Dominicalis* fuit G: qua proinde littera G indicabantur Kalendae Januariae in Feriam 2. incidisse. Itaque *Regulares* Januarii *Epactae* sunt perpetuo 2, ideoque Kalendas Februarias in Feriam 5. incidere inde sequitur, adeoque *Regulares* Februarii *Epactas* esse 5, & ita de reliquis Mensibus. Absolutis vero anni Hebdomadibus, dies 1. superest, qui sequentis anni Kalendis adjunctus efficit 2: quae est *Epacta Solis Regularis*. Haec vero composita cum *Solis Epacta Concurrente* 1. efficit 3: qui numerus Feriam 3. indicat, in quam Kalendae Januariae anno isto incidunt. Quo anno, Hebdomadibus completis omnibus, expleto relinquitur dies 1, sequenti anni Kalendis addendus, cujus ideo anni *Epacta Solis Concurrens* est 2, quae cum Januarii *Epacta Regulari* 2. copulata dat 4, indicatque eo anno Kalendas Januarias in Feriam 4. incidere. Verum hae *Solis Epactae* cum *Regulares*, tum *Concurrentes* jam penitus obsoluerunt, ideo quod Ποσιαῖαι τῆς Ἑβδομάδος Hebdomadis *Feriae* Litterarum *Dominicalium* beneficio facilius hodie deprehendantur; adeo ut *Lunares* dumtaxat *Epactae* hodierno tritae usu, probeque veniant, queis de fusius agere jam praestat, utpote quae non uni profecto sint commodo, utilitatique haud exiguae. Conferri interea poterunt, qui hisce de plura scire desideret, Doctiss. PP. Maurini in Addit. ad DuCangium Glossar. Med., & Inf. Latin. edit. Ven. T.I. p.482, quo loci pleraque de *Concurrentibus Epactis* tradunt, earumdemque Indicem exhibent.

V. Epa-

eoque nulla relinquitur *Epacta* pro Mense *Martio*, qui proinde *Epactam* dumtaxat *Annuam* habet, ficut Januarius. Etsi vero in *Bissextili* Februarius dies 29. colligat, *Menstruam* tamen Martii *Epactam* non auget; nam dies intercalata tam pro *Lunari*, quam pro *Solari* anno velut innumerata putatur, sive Mensis ille *Lunaris* 2, sive *Bissextus* pro Mense *Pleno* dierum 30, idest diebus 29. adjecta *Epacta Menstrua* 1, reputatur. Quia vero *Martius* tertius *Lunaris* Mensis *Plenus* dies 31. habet, supra dies 30. superest dies 1. pro *Epacta* Mensis *Aprilis*, quae dies 1. diebus 30. ejusdem Mensis adjecta efficit dies 31. Ast Mensis *Lunaris* quartus, *Aprilis* nempe, quum sit *Cavus*, diebus 29. dumtaxat constitutus, inde fit, ut è diebus 31. Aprilis detractis diebus 29, reliqui sint dies 2. pro *Epacta Menstrua Maji*. Huic vero diebus 31. constanti additi dies 2. efficiunt dies 33, e quibus ablatis diebus 30, quinti *Lunaris* Mensis *Pleni*, superfluunt dies 3. pro *Epacta Junii*. Cujusce diebus 30. adjecti dies illi 3. conflabunt dies 33, e quibus detractis diebus 29, sextus hic *Lunaris* siquidem Mensis sit *Cavus*, relinquuntur dies 4. pro *Epacta Menstrua Julii*. Jam vero Julii diebus 31. adjuncti dies 4. efficiunt dies 35, a quibus ablatis diebus 30. *Lunaris* Mensis 7. *Pleni*, residui sunt dies 5. pro *Epacta Augusti Menstrua*. Quibus additi dies 31. ejusdem Augusti dant dies 36, atque ex hisce detractis diebus 29, *Lunaris* Mensis 8. *Cavi*, supersunt dies 7. pro *Menstrua Epacta Septembris*. Cujusce diebus 30. adjecti dies 7, atque ex summa 37. ablatis diebus 30. Mensis 9. *Lunaris Pleni*, relinquuntur etiam dies 7. pro *Epacta Octobris*. Quibus additis diebus 31. ejusdem Octobris, ac e summa 38. detractis diebus 29, *Lunaris* Mensis 10. *Cavi*, superfluunt dies 9. pro *Epacta Menstrua Novembris*. Hujus vero diebus 30. adjecti dies 9. efficiunt dies 39, a quibus detracti dies 30, November siquidem *Plenus* sit Mensis, relinquunt dies 9. pro *Epacta* Decembris. Cujusce diebus 31. adjuncti dies 9. dant in summa dies 40, a quibus abjectis diebus 29, Mensis 12. *Decembris Lunaris Cavi*, supersunt dies 11. pro Epacta *Januarii* anni insequentis. Id totum, juvandae memoriae gratia, subjuncto e Schemate magis adparebit, quo *Menstruae Epactae* omnes exhibentur: quae ab Aegyptiis quidem ad Graecos, indeque

mate intelligi dabîtur. Illud obſervandum interea, quod *Epactae* dicuntur *Triginta*, non quia revera tot ſint, ſunt enim tantummodo XIX, non ſecus atque tantum XIX. ſunt *Aurei Numeri*, ſed XXX. numerantur ideo, quod, uti dixi, prima *Epacta* undecim eſt, ſeu indicat numerum dierum 11, quibus primo Cycli XIX. *Lunaris* anno *Solaris* Cyclus Cyclum *Lunarem* ſuperat. Praeterea idcirco ab *Epactis* dies 30. detrahi debent, quod his è diebus 30. fiunt *Lunationes Embolimaeae*; ita nempe ut ex diebus 11, qui anno quolibet ſuperſunt, poſt annum 3. fiant dies 33, ſive fiat Menſis dierum 30, una cum diebus 3. reſiduis, ac proinde anno quolibet 3, *Embolimaeo* ideo nuncupato, *Lunationes* 13. inſunt, ideſt *Communes* 12, & *Embolimaea* 1, ſive Intercalaris, ſeu Inſerta; ideoque reſidui dies illi 3. erunt *Epacta*. Enim vero ſi *Epactae* omnes perpetua dierum 11. aggregatione uſque ad ultimum *Aureum Numerum* 19, ſive ad ultimum annum Cycli XIX, augendae eſſent, vicies 19. dies 11. conficerent dies 209, qui diviſi efficerent Menſes 7. *Embolimaeos*, quorum ſex priores eſſent *Pleni*, ſive dierum 30, poſtremus, ideſt ſeptimus erit *Cavus*, ſive dierum 29. Igitur hoc anno Cycli XIX. ultimo detrahi tantum deberent dies 29, non 30, uti fieri ſolet: ideo tamen dies 30. detrahi conſueverunt, ut detractio eadem ſit, ac ſemper uniformis. Nec exinde inducitur error; nam continuo reſarcitur: *Epacta* ſiquidem anni ſequentis, ſeu Anni 1. Cycli XIX. alterius, quae alioqui debuiſſet eſſe 11, ſi nimirum anno antecedenti detracti fuiſſent dies 29. dumtaxat, hoc eſt ſi ultimae praecedentis anni 19. *Lunationi* adſignati fuiſſent dies 29. tantum, *Epacta*, inquam, erit 12, quo pacto fit compenſatio: quae compenſatio dici ſolet *Lunae* Ὑποτομῆς *Saltus*, quaſi nempe *Luna* diem hunc Epactae 12. omiſiſſet, ſive ſaltando praetermiſiſſet. Atque ita plane *Lunae Saltum* rectius a V. Beda in ultimum Cycli *Epactalis* annum, potius quam a Dionyſio Exiguo in annum 1. Cycli *Decemnovennalis*, infartum fuiſſe, pluribus adverſus Petavium, qui Doct. temp. lib. 6. cap. 8, & cap. 10. pro Dionyſio pugnat, oſtendit Noriſius diſſert. 3. de Cyclo Paſchali Ravennate cap. 6. Oper. T. II. edit. Veron. p. 819. ſqq. Totum id clarius ſubjecto innoteſcet e Diagrammate, in quo exhibentur

Aurei Numeri, singulisque respondentes *Epactae*, quae tot sunt, quot *Aurei Numeri*, signati hi charactere Arabico, illae vero Romano denotatae numero.

Aurei Numeri	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.
Epactae	XI.	XXII.	III.	XIV.	XXV.	VI.	XVII.	XXVIII.	IX.	XX.
Aurei Numeri	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	
Epactae	I.	XII.	XXIII.	IV.	XV.	XXVI.	VII.	XVIII.	XXIX.	

VII. Haec itaque constituta primo fuit *Aureorum Numerorum*, atque *Epactarum* series, ea tamen ratione, ut jam indicavi, quod post exactos annos 19, sive post completum *Numerum Aureum* 19, *Epacta* correspondens *Aureo Numero* 1. non esset XI, sed XII, unitate nempe major; eo quod anni 19. ultima siquidem *Lunatio* fuerit dierum 29. dumtaxat, ab *Epacta* vero dies 30. de tracti fuerint, supplenda proinde fuit *Epacta* anni sequentis 1. novi Cycli XIX, eique addenda unitas, ut proinde *Epacta* fiat XII. Atque hacce plane ratione, ope videlicet *Epactarum*, primus Cycli XIX. *Lunaris* error emendatus est, idest excessus dierum 11, quibus *Lunae* periodum periodus *Solis* praecurrit: atque si hic solus fuisset error in Kalendario *Juliano*, haec quoque *Aureorum Numerorum*, atque *Epactarum* dispositio perpetua fuisset. Sed quia, uti suo infra loco, quum de *Solis*, ac *Lunae* Cyclis sermo fiet, in aprico ponetur, alter in Kalendarium *Julianum* turpis irrepsit error, idest quum *Novilunia*, & *Plenilunia* post annos 19. suas anticipent sedes, adeo, ut tribus Centenariis annis intermittenda sit Intercalatio, fit proinde, ut *Aureus Numerus*, ac Novendecim *Epactae* ordinem suum perpetuo tenere, servareque nequeant. Enim vero quoties omittitur Intercalatio in anno, qui vetus juxta Kalendarium foret *Bissextilis*, ut annus 1700. 1800. 1900, tunc dies, qui esset Februarii 29, post Kalendarii reformationem fit dies 1. Martii, quia nempe in Februario Intercalatio non fit, isque manet dierum 28. Quapropter si *Novilunium* incidere debuisset die 1. Martii, juxta vetus Kalendarium, juxta novum incidet in diem 2. Martii:

tii: itaque retardatio iſta vocatur Μετέμπτωσις *Metemptoſis*. Rurſus quia *Novilunia*, & *Plenilunia* poſt annos 19. ſuas anticipant ſedes hora 1, minutis 30.' circiter, fit propterea, ut poſt annos 312. cum dimidio *Novilunia*, & *Plenilunia* die 1. integro citius ad ſuas priſtinas regrediantur ſedes: atque iſta quidem anticipatio dici Προέμπτωσις *Proemptoſis* ſolet. Igitur ut *Epactae*, & *Numeri Aurei* indicarent *Novilunium* poſt *Proemptoſim*, numeri ſinguli in praecedentem locum verſus anni initium eſſent reducendi; quin imo toties eſſent loco movendi, quoties vel *Proemptoſis*, vel *Metemptoſis* contingeret, ideſt quum vel *Solaris*, vel *Lunaris* aequatio foret adhibenda. Quumque *Proemptoſis*, vel *Metemptoſis* in ſingulos cujuslibet Menſis dies incidere poſſit, opus idcirco fuiſſet triginta Kalendariis, quot inſunt in Menſe dies, ut mutationes omnes, quae fieri poſſent *Aureorum Numerorum*, & *Epactarum*, indicari quirent. Aſt enim ab iſta tam moleſta tot Kalendariorum mole nos liberavit excogitatio Lilii de propagando *Aureo Numero* per *Epactas* 30, ſeu per *Epactales* 30. numeros. His etenim numeris ad ſingulos anni dies appoſitis jam facile evadit, ubi *Proemptoſis*, vel *Metemptoſis* accideret, Cyclum commutare. Namque ſi *Novilunia* ſedem anticipent die 1. ob *Proemptoſim*, aſcendet Cyclus ad *Epactam* proxime ſuperiorem; ſi vero *Novilunia* tardius die 1. contingant ob *Metemptoſim*, numerus *Epactalis* deſcendet ad ſedem proxime inferiorem, quae nempe unitate minor eſt eo numero, qui alioqui fuiſset in uſu, ſi nulla tum *Metemptoſis* intervenisſet. Juxta haec itaque anno *Correctionis* 1582. Cycli ejuſdem anni juxta vetus Kalendarium eſse debuiſsent *Aureus Numerus* 6, & *Epacta* VI: quia tamen eo ab anno *Emendationis* dies 10. abraſi fuere, proinde manente *Aureo Numero* 6, aſsumenda fuit *Epacta* decem gradibus, ſive numeris minor, ſeu inferior, videlicet *Epacta* XXVI., eaque conjungenda cum *Aureo Numero* 6: quare ſequens *Aureorum Numerorum*, atque *Epactarum* ſeries conſtituenda fuit ab anno 1582. incluſive uſque ad annum 1700. excluſive. Etſi vero non amplius ſtet *Aureorum Numerorum*, & *Epactarum* diſpoſitio ſuperiori in Schemate expoſita, nempe I. XI. 2. XXII. &c., ſtat integra tamen eadem regula ibi tradita, ſcilicet, quod

 evo-

evolutis integris *Numeris Aureis* 19, E*pacta* ſequens uno creſcit numero ad ſupplendum ideſt diem 1, qui novae *Lunationi* additus fuit, adeo ut ſi poſt annos 19. E*pacta*, quae in ordine ſuo eſse deberet v, erit vi, unitate nempe adaucta.

Aurei Numeri	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.
Epactae	XXVI.	VII.	XVIII.	XXIX.	X.	XXI.	II.	XIII.	XXIV.	V.
Aurei Numeri	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.	
Epactae	XVI.	XXVII.	VIII.	XIX.	I.	XII.	XXVIII.	IV.	XV.	

VIII. Itaque Anni 1582. *Aureus Numerus* 6. fuit, & E*pacta* XXVI; anni 1583. *Numerus Aureus* 7, & E*pacta* VII, & ita deinceps uſque ad annum 1600, cujus *Aureus Numerus* 5. extitit, E*pacta* vero XV. Aſt anni 1601. *Aureus* quidem *Numerus* 6. iterum rediit, E*pacta* vero non eadem XXVI, ſed unitate major, ſive numero 1. adaucta regredi debuit, nempe XXVII. Anno vero 1700. quoniam omiſſus eſt dies intercalaris, proinde *Novilunia* tardius die 1. ob *Metemptoſim* acciderunt, ideoque aequationis ergo Cyclus E*pactarum* uno deſcendere gradu debuit, ac proinde E*pacta*, quae ordine ſuo fuiſſet X, debuit eſse IX, uno diminuta numero. Quumque *Numerus Aureus* 10. illi anno 1700. conveniret, immutanda proinde fuit, atque nova inſtituenda diſpoſitio E*pactarum*, ſive potius ab E*pacta* X. deſcendendum fuit ad E*pactam* IX. Rurſus quamvis anno 1800. omittenda ſit iterum dies Intercalaris, quia tamen, (quod accidit ſingulis annis 300), *Luna* die 1. E*pactas* anticipabit, proinde compenſatione facta habebitur aequatio, idemque permanebit Cyclus, ſeu eadem E*pactarum* ſeries, cujuſmodi ſubjecto ex Schemate adparet ab anno 1700. incluſive ad annum 1900. excluſive.

Aurei Numeri	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
Epactae	IX.	XX.	I.	XII.	XXIII.	IV.	XV.	XXVI.	VII.	XVIII.
Aurei Numeri	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	
Epactae	*.	XI.	XXII.	III.	XIV.	XXV.	VI.	XVII.	XXVIII.	

Anni

Anni igitur 1700. *Aureus Numerus* eſt 10, E*pacta* IX; anni 1701. *Aureus Numerus* 11, E*pacta* XX, & ita deinceps, ita ut anni 1718. *Aureus Numerus* ſit 9, E*pacta* XXVIII, ac rurſus anni 1719. *Aureus Numerus* 10.redibit, E*pacta* vero X, ſicque deinceps uſque ad annum 1900. excluſive. Generatim igitur *Aureis Numeris*, & E*pactis* cujuslibet anni ab anno 1700. uſque ad annum 1900. inveniendis tres hae Regulae inſervient. I.ª Quum omittitur Intercalatio, nec ulla *Lunae* intervenit retardatio, ſive non accidit *Metemptoſis*, quae alioqui ſingulis annis 300. redit, deſcendendum eſt ad ſeriem inferiorem, adeo ut, quae ordine ſuo fuiſſet E*pacta* X, erit Epacta IX. II.ª Quum accidit *Lunae* anticipatio, nec omittitur Intercalatio, ſive quum accidit *Proemptoſis*, quae ſane poſt annos 312. cum dimidio regredi ſolet, tunc adſcendendum eſt ad ſuperiorem ſeriem, ita nempe ut E*pacta*, quae fuiſſet X, erit XI. III.ª Quum omittitur Intercalatio, ac ſimul intervenit *Lunae* anticipatio, tunc fit compenſatio, eademque ſeries E*pactarum* perſeverat. Harum Regularum diligenti obſervatione facile erit *Aureum Numerum*, atque E*pactam* cuilibet anno Seculi cujuſcumque congruentes adinvenire.

IX. Facilis altera inveniendi E*pactas* anni cujuslibet Methodus proponi ſolet apud D. Ozananum praeſertim ſuis in Problematibus Coſmographicis. Diſtinguendi ſunt igitur Anni *Juliani*, ac *Gregoriani*, hoc eſt ante, ac poſt annum 1582, quo *Gregorii* XIII. juſſu ab anno detracti fuere dies 10. Itaque ſi anni *Juliani* cujuſpiam inquiratur E*pacta*, quae *Vetus*, ſive Veteris Kalendarii vocari ſolet, inquirendus primum eſt *Aureus Numerus* propoſito congruens anno. Modus autem inveniendi *Aureum Numerum* ſeq. Art. ſuppeditabitur. Jam vero inventus *Aureus Numerus* multiplicetur per 11, qui numerus eſt differentia *Solarem* annum inter, ac *Lunarem*, ſive *Solaris* exceſſus ſupra *Lunarem*: productum ex multiplicatione dividatur per 30, qui numerus eſt dierum Menſis *Synodici*: quod ex diviſione relinquitur, E*pacta* erit inquiſita. E.g. Anno *Juliano* 1489. *Aureus Numerus* fuit 8, qui multiplicatus per 11. efficit 88: hic numerus 88. diviſus per 30. relinquit XXVIII; qui fuit E*pacta* anni 1489. Atque haece perinde Regula

gula inveniendi *Epactas* uti debent etiam ii, qui Kalendarium Reformatum hactenus non receperunt. Si vero anni *Gregoriani* cujuſpiam, ideſt poſt annum 1582, inquiratur *Epacta*, quae *Nova*, ſive Novi Kalendarii dicitur, invento, uti prius, anni propoſiti *Aureo Numero*, eodemque Numero multiplicato per 11, a producto detrahendus eſt primum numerus 10, quot nempe dies ab anno 1582. *Gregorii* juſſu detracti fuere, reliquum producti dividatur, ſicuti prius, per 30, numerus ex diviſione reliquus erit *Epacta* nova propoſiti anni. E. g. Anni 1688. *Aureus Numerus* fuit 17, qui multiplicatus per 11. efficit 187, a quo detractis 10. relinquuntur 177, quibus diviſis per 30. reſidui ſunt XXVII, qui eſt *Epacta* anni 1688. Quoties vero productum ex multiplicatione *Aurei Numeri* minus eſt, ſeu inferius numero 10, aut 11, ideoque dividi nequit per 30, idem productum erit ipſamet *Epacta*. E. g. Anni 1693. *Numerus Aureus* fuit 3, qui multiplicatus per 11. efficit 33, a quo detractis 10, remanent 23, qui dividi quum nequeant per 30, proinde ipſe numerus XXIII. *Epacta* fuit anni 1693. Obſervandum eſt denique, quod ab anno 1582. uſque ad annum 1700. detrahendus eſt, ut dixi, numerus 10. dumtaxat: at vero ab anno 1700. uſque ad an. 1900. excluſive detrahi debet numerus 11: quia videlicet annus 1700. non fuit *Biſſextus* juxta Kalendarium Reformatum. E. g. Anni 1730. *Aureus Numerus* fuit 2, cui reſpondet *Epacta* XXII; inde vero ablatis 11. reliqui ſunt 11. pro *Epacta* ejuſdem anni. Anni 1848. *Aureus Numerus* erit 6, reſpondens *Epacta* eſſe deberet VI: cui adjectis 30. fient 36, a quibus demptis 11. reſidui XXV. erunt *Epacta* anni 1848. Ab anno demum 1900. uſque ad annum 2200. ab *Epacta Juliana* detrahendi erunt haud praeciſe 12, & ita deinceps Numerus *Epactalis* auferendus haud praeciſe unitate augendus erit, veluti docet Beveregius Inſtit. Chronolog. lib. 2. cap. 6. §. 13. n. 3, ſed in annis 2200, 2300, 2400, 2500. ſubtrahendi erunt Numeri 13. 14. 13. 14, uti recte demonſtrat Thomas Pius Maphaeus de Cyclorum Soliſunarium inconſtantia, & emendatione cap. 1. §. 5. n. 29. p. 11, a quo ad operis calcem Tabula exhibetur dierum, qui reliquis in Centenariis detrahendi ab *Epacta Juliana* erunt. Conferendus etiam Guillelmus Bonjour

in ſuo

in suo Kalendario Rom., ubi p.80. Tabulam exhibet dierum in stylo *Gregoriano* omittendorum ab anno 1701. ad 13501, qui dies omittendi unitate sic augentur in singulis Centenariis, ut anno 1701. omissio fuerit dierum 11, & anno 13501. omissio futura sit dierum 100.

X. Facilius adhuc id totum intelliges ex Tabulis Kalendarii, quae Breviariis, ac Missalibus ipsis praefigi solent. Quatuor hae Tabulae constant Columnis; in 1.ª sunt *Epactae*, in 2.ª Litterae *Dominicales*, in 3.ª Kalendae, Nonae, & Idus, in 4.ª Mensium dies. Igitur in 1.ª Columna e regione diei 1, Januarii appositus est Asteriscus; e regione diei 2. apponitur *Epacta* XXIX, e regione diei 3. *Epacta* XXVIII. &c., ut demum *Epacta* I. incidat in diem 30. Januarii, tumque rursus Asteriscus apponitur diei 31. Januarii, & *Epacta* XXIX. diei 1. Februarii, ac ita deinceps. Ratio horum est, quod quum aliquando Mense Decembri duae *Lunationes* contingant, videlicet die 1, & die 30. Decembris, aliunde vero *Epacta* indicet numerum dierum, qui post *Lunationem* Mense Decembri completum supersunt, proinde diei 1. Januarii, vel *Epacta* XXX, vel nihil omnino apponi debuisset. Ne igitur ex appositione *Epactae* XXX. oriretur confusio, neve ex nullo apposito signo videretur omissus dies aliquis, congrue appositus est Asteriscus. Rursus idcirco diei 2. Januarii apponitur numerus *Epactalis* XXIX, & diei 3. numerus XXVIII, & sic deinceps; quia supposito, quod *Lunatio* postrema anni praecedentis desierit die 2. Decembris, supererunt dies 29. ejusdem Decembris, ac proinde *Epacta* anni sequentis est XXIX. Quoniam vero *Epacta* cuique anno competens designat e regione dies, quibus *Novilunia* toto eo anno contingere debent, oportuit proinde, ut *Epacta* XXIX. e regione diei 2. Januarii collocaretur. Nam posito, quod *Epacta* sit XXIX, certe dies 1. Januarii esse debuit dies 30, seu ultima praecedentis *Lunationis* Mense Decembri inchoatae, sicque *Novilunium* die 2. Januarii contingere debebit, cui adfixa est *Epacta* XXIX. Simili ratione e regione diei 3. Januarii apponitur *Epacta* XXVIII, quia post *Lunationem* finitam die 3. Decembris anni praecedentis, superfluunt dies 28. *Epactales*: quibus additi dies 1, & 2. Januarii efficiunt integram

Luna-

Lunationem, five dies 30: atque ita *Novilunium* cadet in in diem 3. Januarii. Reliquae *Epactae* eodem procedunt ordine retrogrado, quousque diei 30. Januarii apposita reperiatur *Epacta* 1, quia post *Lunationem* die 30. Decembris completam superest dies 1. *Epactalis* dumtaxat, nempe dies 31. Decembris, adeoque dies 1. Januarii est dies 2. *Lunationis*, quae cepit die 31. Decembris, ac finietur die 29. Januarii, ut *Epacta* 1. apposita diei 30. *Novilunium* indicet. Quoniam autem Menses *Lunares* sunt alternatim *Pleni*, & *Cavi*, ideo sex interruptiones appositae sunt, sive duae simul *Epactae* XXV, & XXIV. in sex Kalendarii locis, videlicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Septembri, & Novembri. Hoc enim pacto a duplicatis sex vicibus *Epactis* supplentur semper dies 11, qui alioqui non superessent ex anno *Lunari*. Rursus in Tabulis horum Mensium Februarii, Aprilis &c. è regione *Epactae* XXVI. apponitur, sed alio charactere, Arabico nempe, *Epacta 25*, in Tabulis vero aliorum Mensium, in quibus haud fiunt interruptiones, seu in quibus duplex haud apponitur *Epacta*, nempe Januarii, Martii &c., e regione *Epactae* XXV. apponitur item alia *Epacta*, sed diversi characteris etiam, Arabici idest, 25. Ratio est, quod quum intra annos 19. *Novilunia* eodem die bis accidere non debeant, proinde si intra annos 19. *Epactae* XXIV, & XXV. eveniant, tunc pro XXV. erit assumenda *Epacta 25*, alio nempe charactere Arabico, & colore nigro notata, & in anteriori sede locata. Atque ita perinde, si intra annos 19. inveniantur *Epactae* XXIV, & 25, tunc *Epacta* XXVI, quae in eodem est loco, ac *Epacta* 25, locum non habebit in eodem Cyclo annorum 19. Itaque si *Epacta* anni erit XXV, ut scias, an sumenda sit ad inveniendam aetatem *Lunae* *Epacta* XXV, an 25, observandus est *Aureus Numerus* eodem anno decurrens, qui si sit ab anno 12. usque ad 19, tunc assumenda erit *Epacta* Arabica 25 nigra, quae est è regione *Epactae* XXVI, quae ideo non erit in usu; si sit ab 11. usque ad 1, tunc assumetur *Epacta* Romana XXV. rubra, ac tum *Epacta* XXIV. in usu non erit.

XI. Jam vero *Epactarum* usus duobus inservit, ut nempe *Lunae* inveniatur aetas, inveniaturque *Paschae* dies, a quo cetera totius anni Festa Mobilia dependent. Primum igitur, ut

ut inveniri quovis die possit aetas *Lunae*, sequentia praenotanda sunt. 1.° Quod juxta dicta superiori §. v. *Epacta Lunaris Menstrua* Januarii nulla est, Februarii est 1, Martii nulla, Aprilis 1, Maji 2. &c., ut ex ibidem exhibito Schemate adparet, adeo ut anno completo *Epactae* Menstruae 9. dumtaxat colligantur. 2.° Quod a Martio computationis Mensium initium, non a Januario, fieri debet ideo, quod Januarius diebus 31. siquidem constet, *Luna* vero ei respondens constet diebus 30, ac deinde Februarius dies 28. dumtaxat habeat, quum *Lunae* sint dies 29, propterea post utrumque Mensem fit compensatio, neque proinde *Solaris* annus ullo excessu *Lunarem* superat initio Martii: quamobrem dies 11, quibus *Solaris* annus *Lunarem* excedit per reliquos Menses distribui debent, ideoque computationis initium a Martio ducendum erit. 3.° Quod *Epacta*, sive numerus *Epactalis*, qui Kalendario Breviarii, ac Missalis adponi solet, *Novilunium* proprie non indicat, sive *Lunae* conjunctionem cum *Sole*, sed postridiem dumtaxat designat, quo *Luna* prima dinumerari solet; quippe Astronomis Kalendario emendando a *Gregorio* XIII. adhibitis consulto visum est dies *Lunares*, non sicut *Solares* dies, qui numerari solent a diei initio, dinumerandos esse, sed a diei exitu, idest numerandos esse non inceptos, sed completos, ita ut *Epactali* numero designetur *Lunae* non prima dies injens, qua cum *Sole* nempe fieri conjunctio incipit, sed dies prima completa, postquam idest a facta cum *Sole* conjunctione horae 24. elapsae fuerint: cujusce rei ea ratio fuit, ut eadem Dominica post *Lunam* 14. die *Paschale* festum ab Ecclesia per Orbem diffusa perageretur; *Epactalis* vero numeri a *Novilunio Caelesti* die 1, aut etiam 2. retroacti ope *Plenilunium Caeleste* certius deprehenditur: *Plenilunium* siquidem *Medium* horis 16. additis, vel ablatis, post diem 14. a *Novilunio* completo contingat, inde fit ut numeratis ab *Epacta* diebus 14, *Plenilunium* certo indicetur; adeo ut etsi in *Novilunio Caelesti* designando *Epacta*, & *Ephemerides* inter se die 1, vel 2. interdum discordent, in *Plenilunii* die tamen indicando conveniant: qua de re denuo ad calcem Articuli iv. Quibus praenotatis inveniendae quavis die *Lunae* aetati sequens inserviet

Methodus 1.° Si Mensibus Januario, & Martio *Novilunium* inquiratur, ope praecedentis *Epactarum* Schematis §. vi. expositi, quod ab anno 1700. usque ad annum 1900. in usu est, invenienda est *Epacta* Anni, Mensisque propositi: quae *Epacta* Kalendario Breviariis, ac Missalibus praefixo in singulis exhibetur Mensibus. *Epactalis* vero numerus diem Januarii, & Martii indicabit, post quem *Luna* 1.ª denuntiatur designata per *Epactam Annuam* eidem diei adscriptam: cui diei additis diebus 13, *Plenilunium*, sive *Luna* 14. obtinebitur. E.g. Anno praesenti 1766. *Annua Epacta* est xviii, qua Januarii, & Martii designatur dies 13: itaque die 13. Januarii, & Martii *Luna* 1. denuntiatur, cujus *Novilunium* antecedenti die contigit. Si vero *Novilunium* quaeratur Mense Februario, & Aprili, *Epactae Annuae* addenda est *Epacta Menstrua*, quae duobus hisce Mensibus est 1. E.g. Eodem Anno 1766. *Epacta Annua* est xviii, cui addita *Menstrua* 1. efficit 19: quo numero indicatur *Novilunium* Februarii, & Aprilis die 10. designata per *Epactam* xix. contigisse, sequentique die 11. *Lunam* 1. numerandam esse. Methodus haec pro Mensibus *Plenis*, atque in Annis tam *Gregorianis*, quam *Julianis* inservit, dummodo *Julianae* loco *Gregoriana Epacta* adhibeatur. In *Epactis* tamen *Embolimaeis*, ac in Mensibus *Vacuis* quandoque una deficit dies ob congeminationem *Epactae* 25. Igitur si summa *Epactarum Annuae*, & *Menstruae* excedat numerum 30, indicium est annum ejusmodi *Embolimaeum* esse, *Lunationum* 13; si summa tantum 30. attingat, indicium est *Novilunium* die ultima Mensis antecedentis contigisse. E.g. Hoc Anno 1766. *Embolimaeo* si *Novilunium* inquiratur Martii, *Epactae Annuae* xviii. nihil addendum, siquidem Martius *Epactam Menstruam* non habet, ac Mensis est *Plenus*. Ab *Epacta* xviii. ad 30. deficiunt dies 12: igitur Martii dies 12. *Novilunium* accidit, dieque 13. sequenti, cui *Epacta* xviii. adfixa est, *Luna* 1. computata est. Diei 12. vero adjecti dies 13. efficient dies 26: qua die *Plenilunium* contigisse dignoscitur. Si vero eodem anno *Novilunium* inquiratur Mense Decembri, qui est Mensis *Lunaris Cavus*, *Epactae Annuae* xviii. addita *Menstrua* 9. efficiet dies 27, qui dies 27. a diebus 29. Decembris *Cavi* detracti

tracti relinquent dies 2: qua die *Novilunium* indicatur, ac postridie, die 3. nempe, *Epactali* numero XVIII. obsignata, *Luna* I. denuntiatur: cui additis diebus 13. pro *Plenilunio* habebitur dies 16. ejusdem Decembris. Alio faciliori modo *Novilunium* cujusque Mensis investigari potest; addito nempe *Epactae* currenti Mensium numero. E.g. Anno currenti 1766. *Epacta* est XVIII. Jam vero si scire velis in quotam Junii diem incidat *Novilunium*, Junius quum sit quartus a Martio inclusive Mensis, *Epactae* XVIII. addendus est numerus 4: ex diebus 30. detracta summa 22, conflata ex Epacta XVIII, & numero 4. Mensium, relinquitur 8. Itaque *Novilunium* Junii contigit die 8, ac die sequenti signata *Epacta* XVIII, *Luna* I. numerabitur: cui additi dies 13. dabunt pro *Plenilunio* diem 22. ejusdem Mensis. Conferendus, cui tantum sit otii, ac patientiae ardua in hacce re peragenda, P. Guillelmus Bonjour in Kalendario Romano juxta Periodum Norisianam annorum 1932. elaborato, ubi p. 6. sqq. duplicem *Epactarum Tetraetericarum* Cyclum duplici charactere Romano, & Sarracenico dispositum exhibet, indeque Canones totius anni *Novilunia*, & *Plenilunia* inveniendi explicat.

XII. Inventis *Syzygiis*, sive *Noviluniis*, ac *Pleniluniis*, nullo invenire negotio erit mediam *Lunae* aetatem cujusque diei propositi: quod duplici pacto fieri potest. 1.° Si a die *Novilunii* inclusive numerentur dies usque ad diem propositum interjectos, dabunt ii *Lunae* aetatem. V.g. Si scire aveas, quaenam sit *Lunae* aetas die 20. Augusti decurrentis anni 1766, cujus *Epacta* est XVIII, observa quotam in diem Julii *Epactalis* numerus XVIII. incidat, quo designari diem Julii 9. ex Tabulis Kalendarii Breviario praefixis deprehendes. Jam vero a die 9. Julii usque ad diem 20. Augusti dies 43. intercedunt: qua a summa abjectis 29, Augustus enim Lunaris *Cavus* est Mensis, relinquentur 14: itaque *Lunae* aetas die 20. Augusti currentis anni 1766. erit dierum 14. 2.° Alia communiter via quaeri, definirique *Lunae* aetas, ullo absque recursu ad Tabulas Kalendarii, solet. Siquidem enim, uti saepe dictum est, *Epacta* cujuslibet anni non est aliud, quam numerus dierum *Lunae*, qui superiori ex anno superfluunt, sive *Epacta* ipsamet est *Lunae*

 aetas

aetas die 1. Januarii, comperta proinde cujuslibet anni *Epacta*, poterit eadem in anno sequenti, aliisque continua dierum 11. additione inveniri, rejectis xxx, quoties fieri potest, nisi quod postremo currente *Aureo Numero* 19, *Epacta* debet assumi unitate major, ob *Lunae* Ὑπεροψήν saltum, uti diximus. Jam vero comperto *Epactae* numero proposito anno congruenti adjungendus est numerus *Epactae Menstruae*, sive numerus Kalendarum, quae a Martio ad propositum Mensem computantur juxta Tabulam Mensium superiori n. v. exhibitam, ac demum adjungendus item dierum numerus, qui ab ejusdem Mensis exordio usque ad propositam diem elapsi sunt. Tum ii tres numeri, Epactalis *Annuus*, Epactalis *Menstruus*, sive a Kalendis Martiis, ac Numerus dierum Mensis ab ejus initio simul collecti aetatem *Lunae* indicabunt. Namque si numerum 30. in Mense *Pleno*, aut 29. in Mense *Cavo* non excedant, ii aetatem, sive diem *Lunae* exhibebunt; si sint 30. ostendent *Novilunium* in ipsa die contingere; si vero superent 30, ablatis hisce 30, aut 29, reliqui *Lunae* aetatem designabunt. V. g. Anno currenti 1766. si quaeras die Octobris 15. quota futura sit Lunae aetas, currenti *Epactae Annuae* XVIII. adjecti *Epactales Menstrui* 7, & Octobris 15. efficient dies 40. Ab hac summa 40. abjectis 29, October enim Mensis est *Cavus*, reliqui 11. indicabunt *Lunae* aetatem die 15. Octobris. Rursus si *Lunae* aetas die 20. Novembris, qui est Mensis *Plenus*, ejusdem anni quaeratur, diebus hisce 20. adjuncti numeri *Epactae Annuae* XVIII, ac *Menstruae* 9. efficient dies 47: a quibus ablatis diebus 30, reliqui 17. erunt *Lunae* aetas die 20. Novembris 1766. Eadem ipsa ratione innotescent *Lunares* omnes *Quadraturae*, uti vulgo nuncupari solent: nam dies 8. *Lunae* est primum ejusdem *Quadrans*; dies 15. *Lunae* est ipsum *Plenilunium*; & *Lunae* dies 23. est ultimum *Quadrans*. Si tamen invenire velis *Lunae* aetatem in Mense Januario, & Martio anni cujuspiam, assumenda erit *Epacta* anni praecedentis, ipsi addendi erunt dies Mensis propositi, atque dies Kalendarum a Februario praecedentis anni, sive numeri *Epactales Menstrui* anni praeteriti, itemque *Menstrui Epactales* anni propositi. V. g. Si quaeras aetatem *Lunae* die 18. Martii anni proxime sequentis 1767.

1767, E*pactae* XVIII. *Annuae* 1766. additae *Menſtruae* E*pactae* ejuſdem anni elapſi, item E*pacta* I. *Menſtrua* Februarii anni propoſiti 1767, ac tandem adjecti dies 18. Martii efficient dies 46: a quibus rejectis 30, reliqui 16. indicant die 15. praecedenti contingere debere *Plenilunium* Martii, ac Martii die 18. numerandam fore *Lunam* 17. Rurſus hoc numero 16. detracto a numero 18. Menſis, reſidui 2. indicabunt die 1. Martii anni 1767. *Novilunium* futurum, eadem ideſt die 1, cui E*pacta* XXX, ſive *. futuri anni 1767. adſixa eſt, *Lunam* 1. fore computandam. Atque Civilem hancce profecto computationem accommodatiſſimam calculis Aſtronomicis conformem eſſe, viden, ut oſtenderint Caſſinus Monum. Acad. Scient. an. 1704, ac operoſius P. Melito Perpinianenſis Ord. noſtri in Gregoriana Correctione illuſtrata diſſert. II. de Recta Gregor. Correct. ordinatione cap. 4. ſqq. p. 181. ſqq. Conferendus etiam P. Guillelmus Bonjour in Kalend. Romano juxta Periodum Noriſianam annorum 1932. conſtructo, ubi p. 39. ſqq. Kalendarium exhibet Aſtronomicum, in quo *Novilunia* per E*pactas* Civiles inveniendi Methodum Aſtronomicis calculis eſſe concordem oſtendit.

XIII. Ex hac ipſa perinde methodo haud operoſum fit invenire, quoto Noctis tempore *Luna* illuceſcet. Inventa namque *Lunae* aetas unitate, ſive numero 1. augenda eſt, ſumma deinde multiplicanda per 4; dummodo ſumma iſta non ſuperet 15: nam ſi 15. ſuperet, tunc eadem detrahenda eſt a 30, ac reſiduum multiplicandum per 4. Productum ex hacce poſteriori ſumma dividendum eſt per 5, & quotiens exhibebit tot partes Noctis duodecimas, ſive tot horas inaequales, quot *Luna* reſplendet. Duodenas haſce partes, ſeu inaequales horas dinumerare oportet vel a *Solis* occaſu ante *Plenilunium*, vel a *Solis* ortu poſt *Plenilunium*. E. g. Si ſcire velis tempus, quo *Luna* illuceſcet nocte diei 1. Julii praeſentis anni 1766, quo *Lunae* aetas eſt 23, addendus eſt 1. ad 23, numerus 24. ſubtrahendus a 30, reſiduus 6. multiplicandus per 4, productum 24. dividendum eſt per 5, & quotiens $4\frac{4}{5}$ exhibebit horas inaequales $4\frac{5}{6}$, quibus *Luna* nocte 1. Julii lucebit ante *Solis* ortum. Si vero noſcere velis tempus, quo *Luna* reſ-

resplendebit nocte 12. ejusdem Julii, qua *Lunae* aetas erit 4.; addes 1. ad 4, & numerum 5. multiplicabis per 4, productum 20. divides per 5, & quotiens 4. indicabit quatuor partes, sive horas inaequales, quibus *Luna* nocte 12. Julii ab occasu *Solis* illucescet. Hasce jam vero inaequales horas difficile haud est ad horas aequales redigere, quibus idest 24. dies *Naturalis*, nocte, dieque comprehensis, componitur. Comperta namque noctis longitudine in Julio proposito, quam habet propositus locus, puta *Taurinum*, ubi Nox 12. Julii est horarum 9. circiter, paulloque minus, quae horae 9. divisae per 12. dabunt pro qualibet hora inaequali minuta 56. circiter, quae multiplicata per 4. horas inaequales, seu partes duodecimas, quibus *Luna* proposita nocte 12. Julii lucebit, exhibebunt horas 3. & minuta 15: quod erit tempus intercedens inter *Solis* occasum, & *Lunae* ortum. Itaque nocte 12. Julii anni 1766. *Luna* ab hora 3. min. 15. lucescere incipiet. Eadem ratione invenire licebit horam, qua *Luna* lucescere die 1. Julii dati anni ante *Solis* ortum incipiet. Nempe si noveris die 12. Julii horam ortus *Solis*, quae est Italica 9. plus, minusque, adjicies his alias horas 12, atque ex summa 21. detractis 4 $\frac{5}{6}$, quod est tempus inter *Solis* ortum, ortumque *Lunae* comprehensum, habebis reliquas horas 17. minus $\frac{5}{6}$, a quibus rursus detractis horis 12, relinquentur 5., hora 5. nempe, a qua *Luna* nocte 1. Julii anni 1766. illucescere incipiet. Videndus, si placet, D. Ozanamus in Problematibus Cosmographicis, ubi praeclara inter alia Rotam exhibet, quae cum *Solis*, tum *Lunae* Eclipses, Menses, Annosque *Lunares*, & *Epactas* ostendit; jungendusque Jacobus Betazzius in Epitome Operis Paschalis, ubi p. 129. Laterculos exhibet *Epactarum* annorum 100. juxta Magnam Periodum annorum *Gregorianorum* 20300. a se nuper excogitatam; p. 143. Tabulam adfert novae Aequationis *Epactarum* juxta Methodum Aloysii Lilii; p. 157, sq. Tabulas exhibet *Epactarum* annorum 100. juxta Cyclum alterum annorum 38. a se adinventum; & p. 190. Tabulam novi Cycli annorum 38. pro Aequatione *Epactarum* post annos 100. facienda ob saltum *Lunae* proponit usque ad annum 5000. Conferendus etiam Joh. Perrellus de Ratione Lunae, Epactarum

rum

rum &c. Antiq. Graec. T. IX. edit. Ven. p. 1010. sqq.

XIV. Alterum, ad quod *Epactarum* praeclare inservit usus, est pro inveniendo *Paschali* die; quo invento cetera Festa Mobilia facile definiri queunt. Inter *Paschatis* diem etenim, ac Dominicam *Septuagesimae* solidi dies 62. intercedunt; diem *Cinerum* inter, & *Pascha* dies 45; a *Paschate* ad *Pentecostem* dies 49. interfluunt; ante *Pentecostem* die 9. celebratur *Ascensio* D.; in *Pentecostes* die 8. Festum *SS. Trinitatis*, ac die 12. a *Pentecoste* Festum *Sacratiss. Corporis Christi*. Prima *Adventus* Dominica est proximior festo *S. Andreae*; inde ad *Natalem* D. dies 24. evolvuntur. Invento itaque *Paschate*, cetera Festa facile est invenire. Pro inveniendo *Paschali* die jam vero, pretium est operae prius advertere, quod quum *Pascha* die Dominico, qui *Lunam* 15. Martii proxime sequitur, celebrari omnino debeat, Martii vero *Luna* 15, sive *Plenilunium* a die 21. Martii usque ad diem 25. Aprilis inclusive contingere oporteat, (quod intermedium tempus *Paschalis* terminus dici consuevit,) quatenus *Novilunium Vernum*, sive Martii, si contingat die 8. Martii, aut die 5. Aprilis, *Plenilunium Vernum* contingere debebit die 21. Martii, aut die 18. Aprilis: qui dies 21, aut 18. si *Dominicam* in diem incidat, tum *Paschae* festivitas differenda erit ad *Dominicam* proxime sequentem, idest ad diem 28. Martii, aut 25. Aprilis, inde fit evidens *Paschae* festivitatem nonnisi a die 22. Martii usque ad diem 25. Aprilis celebrandam esse, prout fert Decretum Concilii Nicaeni de *Paschate* celebrando D*ominica* die proxime sequenti *Plenilunium Vernum*, ac *Vernum Aequinoctium*. Ut igitur intra eos dies 35, quot a die 22. Martii ad diem 25. Aprilis intercedunt, intra quos cadere potest, ac debet *Pascha*, dies obtineatur praecisus, in quem *Pascha* anni cujuspiam propositi incidere debeat, consulenda est primo series Cycli *Solaris*, inveniendaque Littera *Dominicalis*, quae proposito anno respondeat. Assumenda deinde *Epacta* dato quoque anno respondens, observandumque in Tabula Kalendarii ad quem diem apposita eadem sit a die 8. Martii inclusive usque ad diem 5. inclusive Aprilis: ab hac enim *Epacta Novilunium* totius anni designatur, ut dictum est. Ab eodem jam vero die signato

Epa-

Epacta dinumeratis *Lunis* 14, sive diebus 14. *Lunaribus*, deprehendetur, quo die *Plenilunium* accidet. Post *Plenilunium* autem exclusive observanda dies est, quae signetur Littera *Dominicali*: atque dies haec plane dies erit *Paschatis*. E. g. Anno 1768. sequenti Littera *Dominicalis* erit duplex CB, idest subsequens C, quae usque ad diem 25. Februarii inservit, praecedens B, quae pro reliqua anni parte usurpanda erit; *Epacta* XI. Igitur Martii die 19. *Novilunium* erit, ac postridie *Epacta* XI. obsignata *Luna* 1. computabitur, dieque 2. Aprilis *Plenilunium* accidet, dieque sequenti, Littera B. denotata, erit dies *Dominicà*, eodemque Pascha celebrandum erit.

XV. Faciliori triplici pacto deprehendi *Paschalis* dies potest ex triplici Paschali Tabula, quae Breviariis, ac Missalibus passim adponi solet. 1.° Ex Paschali Tabula *Reformata* perpetua, in qua praecipuae quatuor distinguuntur Columnae, praeter alias ceteris designandis Festis Mobilibus adaptatas. Prima *Numeros Aureos* exhibet. Secunda *Epactas Paschales* omnes a die 8. Martii ad diem 5. Aprilis. Tertia *Litteras Dominicales* a die 22. Martii ad diem 25. Aprilis. Quarta dies Mensium ostendit *Martii*, & *Aprilis*, quibus celebrari potest, ac debet *Pascha*. Cognita igitur *Epacta* anni propositi, cognoscenda est Littera *Dominicalis* in tertia Columna ei e regione respondens, eidemque Litterae *Dominicali* recta correspondebit in quarta Columna dies, qua eo anno proposito celebrandum est *Pascha*. V. g. Anno 1769. *Epacta* erit XXII, *Aureus Numerus* 3, *Littera Dominicalis* A; hisce respondet dies 26. Martii: igitur die 26. Martii *Pascha* eo anno celebrandum erit. 2.° Longe expeditior est *Paschatis* inventio in Tabula Paschali nova Reformata iisdem Breviariis apponi solita. In 1.ª Columna inveniri debet Littera *Dominicalis* anni propositi v. g. 1770, quae erit G; tum in 2.ª Columna invenienda est *Epacta* eodem anno 1770. decurrens, eidemque Litterae *Dominicali* G respondens, quae erit III; huic in quinta dierum Paschalium Columna e regione correspondebit dies 15. Aprilis, quae erit *Paschatis* dies anni 1770. Observandum tamen, quod *Litterae Dominicali* C. respondet tam *Epacta* XXV. nigra in quarta linea posita, qua *Pascha* designatur die 18. Apri-

Aprilis; quam *Epacta* 25. rubra in linea ultima, qua *Pascha* die 25. Aprilis indicatur. Cujusce rei ea ratio est, quod Litterae C. diei 4. Aprilis adfixae e regione respondet *Epacta* xxv. nigra, qua a die numeratis diebus *Lunae Paschalis*, *Luna* 14. in diem 17, ideoque *Pascha* in diem 18. Aprilis incidet. Si vero cum Littera C. sumatur *Epacta* 25. rubra, siquidem ei cum *Epacta* 24. respondeat dies 5. Aprilis, inde fiet, ut *Plenilunium* ad diem 18, & *Pascha* ad diem 25. Aprilis transferendum sit. Recole dicta superiori §. x. in fine. 3.° Facilius adhuc, ulla absque Kalendarii ope, *Paschatis* dies reperiri poterit duplici via. 1.° Si *Epacta* anni propositi non excedit numerum xxiii, eadem detrahenda est a numero 44; quod reliquum erit designabit diem Martii pro termino *Paschali*, sive *Plenilunio* Martii, si nempe reliquum istud haud superet 31; nam si 31. excedat, quod superat, designabit diem Aprilis pro Martii *Plenilunio*, seu termino *Paschali*. Si vero *Epacta* anni propositi excedit xxiii, eadem subtrahenda erit a 43, vel 42, si ea nempe fuerit 24, vel 25; & reliquum indicabit diem Aprilis pro termino *Paschali*. Sic v. g. futuro anno 1767. Epacta erit *; quo Asterisco designatur Numerus *Epactalis* xxx, istoque pro *Luna* 1. *Paschali* dies 31. Martii denotatur; qui Numerus xxx. detractus a 43. relinquit diem 13. Aprilis pro termino *Paschali*, sive *Plenilunio* anni 1767. Quum vero Littera *Dominicalis* eodem anno decurrenda futura sit D, eaque denotetur Aprilis dies 19, hacce proinde die 19. Aprilis continget *Pascha* 1767. 2.° Breviori altero *Paschae* dies inveniri modo potest. Invento nempe die *Novilunii* Martii post diem 7. ejusdem Mensis computando, exinde numerandae sunt tres *Dominicae*, ac tertia inclusive *Paschalis* absque dubio erit. E. g. Anno 1768. *Epacta* xi. erit, Littera *Dominicalis* CB, ac C. inserviet usque ad Februarii diem 25, B. deinceps usque ad finem anni. Jam vero *Epactali* numero xi. denotatur pro *Luna* 1. *Paschali* dies 20. Martii, quae signata littera B. ideo *Dominica* erit. Ab hacce vero *Dominica* tertia eadem littera B. designata incidet in diem 3. Aprilis, quae proinde anno 1768. *Paschalis* erit: atque haecce plane Regula pro juvanda memoria sequenti commendatur disticho.

 Post

Post Martis Nonas, ubi sit Nova Luna require:
Tertia Lux Domini proxima Pascha dabit.

XVI. Haud insitendum tamen, quod *Epactae* a veris aliquando *Syzygiis* deflectant, ideoque ad calculos Astronomicos sint exigendae, ne *Pascha* terminos extra *Paschales*, (qui *Martii* remotissimus est pro *Novilunio* dies 8. inclusive, pro *Luna* XIV. citimus prior dies 21, pro Dominica *Paschali* dies 22, *Aprilis* pro *Novilunio* citimus posterior est dies 5. inclusive, pro *Luna* XIV. remotissimus dies 18, pro Dominica *Paschali* dies 25: quo de utroque termino Paschali Synodus Caesareensis in Epist. apud Bucherium in Canon. Vict. p.469. allegatur ab Horrebowvio de Nova Methodo Paschali cap.8.p.16. sq., cujusce sensum haud assequutus S. Leo M. in Epist.ad Marcianum Aug. ipsi dicitur, perperam tamen, atque temere: pseudepigraphis siquidem ea Synodi Caesareensis Epistola ab emunctae naris Criticis adcensita sit, eamque pro supposititia habere neque dubitarit Vander-Haagen de Cyclis Paschal.Par.I. dissert. 11. de Anatolii salso, veroque Paschali Canone §.35. p.138, ac dissert.13. de Nicaenae Synodi Decretis Paschal. §.8. p.190. sq.; neque ad Synodum hancce Caesareensem, bene vero ad Nicaenam S. Leo respexit. Explicitissima vero de Termino utroque Paschali supradicto testimonia sunt S.Epiphanii de Haeres. lib.3. de Schism. Audianorum §.12.p.824, Anatolii in Canone Pasch. apud Eusebium Hist.Eccl. lib.7.cap.32, S. Ambrosii in Epist. ad Episcopos per Aemiliam constitutos de Paschate anni 387, S. Augustini epist. 119. ad Januarium cap.3, S. Gaudentii serm. 1, S. Leonis M. in Epist. ad Marcianum Aug. de Paschate anni 455. &c.) ne *Pascha*, inquam, Terminos extra *Paschales* incidat. Enim vero, ut de iis nihil heic regeram, qui veteri adhuc Kalendario *Juliano* addicti per *Aureos Numeros* Paschalis festi terminos inquirere perseverant, velut olim diuque Angli, Suevici &c., qui tamen anno 1753. *Gregoriano* se tandem accommodare Kalendario sua e re duxere; de iisque, qui *Lunae* XIV. Paschali *Nisan*, sive Martii definiendae Tabulas Astronomicas *Rudolphinas* Kepleri adhibere malunt, uti Protestantes Germaniae, inter eos sane, qui Kalendario recepto *Gregoriano* Reformato *Epactarum* ope

ope Paschali diei terminum praefigere solent, jamdiu convenit, juxta veterem in Ecclesia receptam, locoque retinendam disciplinam, 1.° *Pascha* celebrandum fore post Vernum *Aequinoctium*, istud sive in diem Martii 22, veluti Synodi Caesareensis tempore, sive in diem 21, uti Nicaeni tempore Concilii, ad quod utique *Gregorii* XIII. jussu restitutum est, incidat. 2.° *Pascha* celebrandum ubique Terrarum, tum idest Antoecis; & Perioecis, quam Antipodibus, & Yperoecis, Romana cum Ecclesia die *Dominica* post *Lunam* XIV. proxime, adeoque ut dies ipsa *Plenilunii* juxta nonnullos pro *Dominica Paschali* haberi nequeat; juxta alios tam rite possit, quam debeat, videndusque Petavius Doct. temp. lib. 5. cap. 11. sqq., & lib. 7. cap. 6, hacce de re copiose contra Scaligerum, ac Calvisium disputans: *Lunam* XIV. tamen, quae in ipsam *Aequinoctii* diem incidat, pro *Paschali* haud procul dubio habendam fore docuere pridem Anatolius, S. Epiphanius, S. Ambrosius, S. Leo M. &c. supralaudati; videndusque hacce de re Vander-Haagen de Cyclis Paschal. p. 149: quod fieri profecto absque ulla prorsus Astronomici computi opera nequire nemo sane non videt; eosque ideo longius abs vero cum Clavio Explic. Kalend. cap. 18, Melitone nostro Perpinianensi Apolog. 1. pro Gregoriana Correct. adv. Bettazzium p. 22. sq., & Apolog. 2. p. 7. sqq., aliisque, qui ab Ecclesia in *Paschatis* celebratione *Veros Lunae* motus, aut *Medios* exacte haud considerari, sed ad Cyclos dumtaxat *Paschale* exigi festum, falso persuasum habent. Fatente namque Clavio ipso, egregio Gregoriani alioqui Kalendarii propugnatore, in ejusdem Kalendarii explicatione, *Clementi* VIII. Constit. *Quaecumque* anno 1603. adprobata, cap. 5, & cap. 19, quatuor ab *Epactarum* Cyclo in *Paschatis* designando termino praecaveri errores ita nequeunt, quin 1.° *Aequinoctium* Vernum, ob praecessiones, queis de super. Artic. I. p. 8. sqq. abunde dictum, in Martii diem modo 21, modo 20, modo 19. incidat: quin 2.° *Novilunia* ab Epactis in Kalendario designata aliquando die 1, aliquando biduo *Interluniis* Caelestibus tardiora sint: quin 3.° *Epacta* eadem in eodem Seculo *Lunam* XIV. modo ante, modo post Medium *Plenilunium* exhibeat: quin 4.° *Epactae* in caussa sint ideo, cur *Pas-*

cha aliquando terminos extra *Paſchales*, Menſe ideſt modo 12, modo 2; aut Hebdomada aliquando poſt, aliquando ante celebretur: quomodo fit 1.°, quum Vernum *Aequinoctium* die 20. Martii contingit, eademque die *Luna* xiv. fit: quae *Lunatio Paſchalis* eſt utique, *Gregoriano* tamen a Kalendario reſpuitur, ideo quod ante diem 21. Martii incidat; 2.° quum *Aequinoctium* Vernum e contra in Martii diem 22. incurrit, *Luna* xiv. vero Martii die 21. evenit: quae *Lunatio* profecto eſſe *Paſchalis* nequit, quia ante *Aequinoctium* facta, in Kalendario tamen *Gregoriano* pro *Paſchali* recipitur. Quamobrem ex Tabulis Rudolphinis, quibus *Plenilunia* horis 12. citius, quam in Tabulis, e quibus a Petavio, utque videtur, ab Aſtronomis Gregorianis initi computi fuere, facta deſignantur, ſequentibus annis *Paſchata* terminos extra Paſchales celebrata fuiſſe, oſtendere, ut de Scaligero, Calviſio &c., Bettazzio ex noſtris &c. modo ſileam, adgreſſus eſt Horrebovvius de Nova Methodo Paſchali cap. 13. §. 188. ſqq. p. 118. ſqq., ſupputatione ad Meridianum utique Romanum inſtituta, quocum etiam conferri meretur Manfredus Elem. Chron. Quaeſt. de recta Paſchatis indictione p. 191. ſqq.

Anni

Anni Aerae Christ.	Aequinoctia Martii. Die.Ho.Mi.	Paschales Gregoriani.	Termini Veri.	Literae Dominicales.	Paschalia Celebrata.	Festa Vera.
1585.	21. 5.12.	A. 14.	13.16.57.	C.	A. 21.	14.
1605.	20.14.17.	A. 3.	2.18.18.	B.	A. 10.	3.
1612.	20.13. 0.	A. 16.	14.22.11.	G.	A. 22.	15.
1700.	20.14.58.	A. 4.	3. 5. 1.	C.	A. 11.	4.
1703.	21. 2.36.	A. 1.	M.31.20. 0.	G.	A. 8.	1.
1704.	20.14.14.	M.21.	A. 18.17. 0.	E.	M.23.	A.20.
1707.	21. 7.41.	A. 17.	16. 8.54.	B.	A. 24.	17.
1720.	20.11.20.	M.24.	23. 6.22.	F.	M.31.	24.
1723.	21. 4.47.	M.21.	A.19.10.	C.	M.28.	A.25.
1724.	20.10.36.	A. 9.	7.19. 5.	A.	A. 16.	9.
1727.	21. 4. 3.	A. 6.	5.10.15.	E.	A. 13.	6.
1734.	20.20.47.	A. 18.	17.14. 7.	C.	A. 25.	18.
1742.	20.19.19.	M.21.	A.19. 2. 0.	G.	M.25.	A.22.
1744.	20. 6.58.	M.29.	27.20.26.	D.	A. 5.	M.29.
1747.	21. 0.25.	M.26.	25.11.36.	A.	A. 2.	M.26.
7754.	20.17. 9.	A. 7.	6.15.28.	F.	A. 14.	7.
1761.	20. 9.52.	M.21.	A.18.19. 0.	D.	M.22.	A.19.
1774.	20.13.30.	M.27.	26.16.50.	B.	A. 3.	M.27.
1778.	21.12.46.	A. 12.	11. 5.32.	D.	A. 19.	12.
1780.	20. 0.25.	M.21.	A. 18.11. 0.	A.	M.26.	A.23.
1781.	20. 6.14.	A. 9.	7.20.42.	G.	A. 15.	8.
1798.	20. 9. 8.	A. 1.	M.31. 6. 0.	G.	A. 8.	1.
1799.	20.14.57.	M.21.	A. 19. 4. 0.	F.	M.24.	A.21.

XVII. Hanc ipsam exornandam spartam inter alios e Catholicis adsumpsit P. Thomas Pius Maphaeus Ord. Praed. de Cyclorum Soli-Lunarium inconstantia, & emendatione cap. 2. p. 34.

p.34. ſqq., atque tam ex *Epactarum* diſtributione *Paſchale* feſtum Hebdomadam, quam ex variatione *Aequinoctii* Menſem mutare ex Tabulis Philippi de la Hire, Pariſienſem ad Meridianum accommodatis, oſtendere adorſus eſt. Quod ad primum itaque pertinet caput ex *Epactarum* diſtributione oſtendit ſequentibus per quatuor Secula annis *Paſcha* in diem 8. tranſferri, quod alioqui die 8. praecedenti celebrari debuiſſet: in hiſce ſiquidem annis *Luna* XIV. ab *Epactis* die *Dominica* deſignetur, ideoque *Paſcha* in ſequentem *Dominicam* transferendum indicetur: in quibus tamen annis *Luna* XIV. *Vera*, aut *Media* die antecedenti *Sabbathi* incidit, ideoque proxima ſequens *Dominica* haberi pro *Paſchali*, ipſius opinione, (a qua procul abeſſe Petavium ſupra vidimus), queat, ac debeat. Sunt vero ſequentes Anni, in quibus error hic occurrere Maphaeo videtur, ſubjecto in Laterculo a Viro doctiſſ. Tab. VII. p. 213. adnotati.

Epactae Gregorianae.	Litterae Domin.	ANNI Ab 1582. ad 1999.			
XXIII.	C.	1655.	1723.	1875.	
XXII.	D.	1750.	1807.	1970.	
XXI.	E.	1625.	1902.	1997.	
XX.	F.	1720.	1872.		
XVIII.	A.	1679.	1747.	1899.	
XVII.	B.	1774.	1831.	1994.	
XVI.	C.	1649.	1926.		
XV.	D.	1676.	1744.	1801.	1896.
XIV.	E.	1828.			
XII.	G.	1635.	1703.	1798.	1855.
XI.	A.	1730.	1882.	1950.	
X.	B.	1605.	1977.		
IX.	C.	1700.	1852.		
VII.	E.	1659.	1727.	1879.	
VI.	F.	1754.	1811.	1974.	
V.	G.	1629.	1906.		
IV.	A.	1656.	1724.	1876.	
III.	B.	1808.			
II.	C.	1683.			
I.	D.	1615.	1778.	1835.	
*	E.	1610.	1862.	1930.	
XXIX.	F.	1585.	1680.	1929.	1957.
XXVIII.	G.	1832.			
XXVI.	B.	1639.	1707.	1859.	
XXV. 25.	C.	1734.	1886.		
XXIV.	D.	1609.	1953.		

XVIII. Ex

XVIII. Ex *Epactarum* itaque diſtributione ſequi, ut Seculo XVII. *Paſchata* ſaltem 14, & Seculo XVIII. *Paſchata* omnino 16. octiduo tardius indicata ſint, quae alioqui *Veros*, aut *Medios* juxta *Lunae* motus *Dominica* celebranda antecedente eſſent, Vir doctiſſ. exiſtimat p. 37. ſq. *Epactas* quidem a Lilio ita digeſtas, quae unitate *Gregorianas* a Clavio in Kalendario deſcriptas plerumque ſuperant, ut *Novilunia* unico die ad Menſis initium retrahant, dum a *Gregorianis* ad Menſis finem die uno, & amplius *Novilunia* prolatantur, minus a *Veris* aberrare *Noviluniis*, aberrare tamen aliquando obſervat p. 39. ſq. Ita nempe *Epacta Liliana* XXIV, quae *Gregoriana* eſt XXIII, adfixa diei 7. Martii indicat *Lunam* XIV. in Martii diem 20. incidere, quae ideo Lilio *Paſchati* celebrando inepta cenſetur, quum praecedat diem 21. *Aequinoctio* deſtinatum: quae tamen dies legitima haberi debet, quandocumque *Aequinoctium* Martii diem 19, aut 20. praecedit. Anni porro, in quibus *Epacta Liliana* XXIV. *Paſcha* ad ſequentem Aprilem in tribus Seculis differt, celebrandum alioqui Menſe Martio, ſunt ſequentes.

1598. 1617. 1636. 1655. 1674. 1695.
1704. 1723. 1742. 1761. 1780. 1799.
1818. 1837. 1856. 1875. 1894. &c.

Contra vero quum Vernum *Aequinoctium* Verum in diem 21. Martii incidit, tum certe *Liliana Epacta* XXIV. recte tam *Novilunia*, quam *Plenilunia* deſignari, riteque diem celebrandi *Paſchatis* indici non dubium eſt. E converſo *Lilianas* juxta *Epactas* ſaepe fieret etiam, ut *Paſcha* ante celebraretur, quam oporteret, ideſt *Luna* XIV, quin aliquando *Luna* XIII. nondum exacta, quod factum utique fuiſſet, aut futurum oſtendit Manfredus in Quaeſt. de Recta Paſchae indict. p. 208. ſq. annis inſqq.

1598. 1807. 1818. 1831. 3705.
3763. 4030. 4355. 4375. 4622.

XIX. Ex Verni *Aequinoctii* vero a die 21. Martii ad diem 20, aut 19. diſceſſu fieri quoque Vir doctiſs. advertit, ut quinque omnino *Paſchata* ab anno 1609. ad 1685, ubi Anni ſcilicet *Epacta* XXIV, aut XXV. obſignati ſunt, haud recte in Menſem 2. tranſlata fuerint. *Epacta* namque XXIV. diei 7. Martii

tii

tii adfixa *Lunam* xiv. ſiquidem indicet Martii die 20, & *Epa-ćta* xxv. diei 6. Martii adſignata deſignet *Lunam* xiv. Martii die 19, *Aequinoctium* vero diei 21. Martii adſtrictum ſit, proinde in ſequentem Menſem 2. *Paſcha* differendum indicat. Aſt enim annis ſequenti deſcriptis in Laterculo Tab. IX. p. 215. *Aequino-ctium* ſiquidem Vernum Martii die 20, aut 19. contigerit, aut contingere debeat, planum inde fit, quod *Paſcha* priori celebrari Menſe oportebat, aut oportebit: ubi obiter advertas, quod *Aequinoctio* anni cujuſpiam ſupputato, inde facile cetera ſequentium annorum ſupputare *Aequinoctia* erit, addendo ſingulis annis horas 5, minuta 49, in *Biſſextili* vero diem 1. demendo.

Epactae.	Anni.	Aequinoctia.	Epactae.	Anni.	Aequinoctia.
XXIV.	1609.	20. 1.10.	XXV.	1715.	20.17.39.
XXIV.	1628.	19.15.40.	XXV.	1734.	20. 8.12.
XXIV.	1647.	20. 6.10.	XXV.	1753.	19.22.39.
XXIV.	1666.	19.20.40.	XXV.	1772.	19.13.11.
XXIV.	1685.	19.11.11.	XXV.	1791.	20. 3.41.

XX. Contra vero per exceſſum peccat aliquando *Epa-cta* XXIII, qua *Paſcha* Menſe uno prius, quam oporteret, celebrandum quandoque indicitur, uti Maphaeus obſervat p. 188. Ita namque Seculi decurrentis in annis omnino quatuor, *Epa-cta* XXIII. deſignatis, *Paſcha* celebrandum Vernum ante *Ae-quinoctium* indicitur, veluti ſequenti adparet ex Diagrammate, quod non eſt aliud, quam Tabula XXIX. ad Romanum a Viro Doctiſs. ſupputata Meridianum p. 263, & 270.

Epactae.	Anni.	Aequinoctia.		Lunae XIV.	
XXIII.	1704.	M.D. 20.	h. 2.24.	M.D. 18.	h. 13. 0.
XXIII.	1723.	20.	16.55.	19.	11.49.
XXIII.	1780.	19.	12.28.	18.	19. 0.
XXIII.	1799.	20.	2.59.	19.	2. 0.

XXI. Laude nihilotamen minus, ingentique sua haud propterea defraudandam *Gregorianam* fore Kalendarii Emendationem ultro citroque agnovit ipsemet Horrebovvius de Nova Methodo Paschali eodem ipso cap. 13. §. 192. sqq. p. 119. sqq., quin ab inimicis Scaligeri, & Calvisii defendendam insultibus, a queis utique in tuto eadem jamdiu posita fuerat a Viris nostrae Communionis Doctiss. Clavio, Guldino, Petavio &c., in se suscepit; tum quod errores, qui a *Nicaenae* Synodi tempore *Julianum* in Kalendarium irrepserant, recte prorsus omnes emendati fuerint; tum quod *Epactarum* ope longe saepius *Paschales* termini *Gregoriani* cum Veris *Lunis* xiv, uti par est, in eodem Cyclo xxviii. *Solari* una incidant, veluti contigit annis 1586. 1587. 1590. 1597. 1598. 1599. 1602. 1603. 1606. 1607. 1609. 1611, duodecies idest intra annorum 28. ambitum; tum quod *Epactarum* juxta dispositionem *Pascha* saepius in *Plenilunio*, (atque recte quidem ipsius opinione, quam cum Scaligero, & Calvisio habuit communem, in qua pariter utroque haesit pede Maphaeus, ab eadem vero absfuisse quammaxime Petavium supra vidimus), indictum fuerit, quoties idest *Luna* xiv. in Feriam 7. incideret; qualia fuisse *Paschata* sequentium annorum supposito disces e Diagrammate.

Paschata in die ipso Plenilunii celebrata, aut celebranda Luna xiv. in Feriam vii. incidente.

Anno 1598. die 22. Mar.	1602. die 7. Apr.	1609. die 19. Apr.
Anno 1717. die 28. Mar.	1721. die 13. Apr.	1741. die 2. Apr.
Anno 1748. die 14. Apr.	1751. die 11. Apr.	1761. die 22. Mar.
Anno 1765. die 7. Apr.	1768. die 3. Apr.	1771. die 31. Mar.
Anno 1772. die 19. Apr.	1775. die 16. Apr.	1785. die 27. Mar.
Anno 1788. die 23. Mar.	1792. die 8. Apr,	1795. die 5. Apr. &c.

XXII. Hoc itaque tergemino ex capite, prae alio quocumque Cyclo, laudibus Kalendarium excipi *Gregorianum* Horre-

Horrebovvio promeruit: quo profecto melior, Nicolao Mullero quoque fatente, vidente Melitone Perpinianensi nostro Apolog. I. adv. Bettazzium p. 22, atque Thoma Pio Maphaeo de Cyclor. Soli-Lun. inconst. &c. cap. 3. p. 43. sqq. luculenter ostendente, hactenus excogitari Cyclus nequivit; in quove facili caeteroqui negotio error, quem irrepere contingat, omnis emendari recte poterit, vel diei unius, & alterius intercalatione, si *Aequinoctia* sedes anteverterint suas, ita eadem ad Martii diem 21. revocando; vel *Epactae* adjectione, aut detractione, si *Epactas* in *Luna* XIV. determinanda a vero interdum deflectere contingat, ita scilicet ad *Paschalem* terminum *Epactas* redigendo. Retinendam itaque *Gregoriani* Kalendarii formam depraedicat Maphaeus & ipse cap. 9. Propos. XXVII. p. 182. sqq., utpote quae praestantissima est, ad ususque Civiles percommoda, in qua tam *Aequinoctiorum*, quam *Epactarum* deviationes facili corrigi negotio queunt. Ita nempe ut Seculo quolibet cum *Aequinoctia* ad *Martii* diem 21. restituantur, tum *Epactae* intra *Lunam* XIV. retineantur: quam sane operam egregie Tabulis Astronomicis editis, in quibus tam *Aequinoctia*, quam *Syzygias* veras ad suas restituere sedes adnixi sunt, Duumviri illi praestitere, in diesque praestare, ut de Parisiensibus modo sileam, Bononienses Astronomi, Romanis a Pontificibus ad id operis sane constituti, non desinunt. Qua sane opera egregie jam defunctus videtur vir Cl. Eustachius Manfredus in Quaest. de Recta Pasch. indict. p. 210. sqq., ubi nova Aequationis Cycli Epactarum Tabula edita, & Aequationis radice in anno non 550. Aerae Christianae, cui defixa fuit, sed anno Christi 400. adstricta, ita *Epactas* distribuit, ut per annos 5000. *Novilunia* ac *Plenilunia* eisdem, quibus *Astronomica* futura sunt, diebus omnino indicentur, adeoque ut paucarum inter utrumque *Astronomicum*, & *Ecclesiasticum*, sive *Novilunium*, sive *Plenilunium* horarum discrimen aliquando futurum sit. Potiori adhaec retinendam utique Kalendarii *Gregoriani* fore methodum ratione, eaque trifaria egregie pugnat Melito noster Perpinianensis in Gregoriana Correctione illustrata dissert. IX. cap. 7. p. 106. sqq. 1.° Nempe *Eclipsium* 44, quas e Ricciolio Almag. novi T. I. lib. 5. deprompsit, e quibus ante Christi nata-

 lem

lem 19, ex hisque *Lunae* 10, ac *Solis* 9, Aerae Christianae reliquae 25, ex hisque *Solis* 16, & *Lunae* 9, evenere, ab anno Christi ante natalem 772. usque ad annum Christianae Aerae 1600, supputatione ad Tabulas Hirii, & Cassini Astronomicas exacta, tam enim *Solis* Eclipsibus *Novilunia*, quam *Lunae* Eclipsibus *Plenilunia* juxta *Gregorianas* *Epactas* respondisse ostendit. 2.° *Lunarum* XIV. computo Dissert. XI. cap. 9. p. 190. sq., nempe uti super. Art. III. §. XI. p. 56. sq. nobis observatum est, dies *Lunares* in Kalendario *Gregoriano* a diei exitu, non ab initio computandi sunt, idest dies completi, non incepti, adeo ut *Epactali* numero designetur *Lunae* non dies primum injens, sed dies prima completa, postquam idest a *Solis* Conjunctione dies integra effluxit. Quò fit sane, ut *Epactis* designata *Novilunia*, etsi die uno, aut biduo tardius a *Caelestibus* discrepent, in *Plenilunio* tamen tam *Ephemerides*, quam *Epactae* conveniant, ut aliquot dumtaxat horis aliquando inter se discrepent. 3.° *Noviluniorum* 235, totidemque *Pleniluniorum*, quae per Cyclum XIX. fiunt, supputatione eadem Dissert. p. 191. instituta. Ex *Noviluniis* etenim 5, cum *Epactis* convenere, 97. una die citius, quam ab Epactis designata sint, 119. biduo citius, 14. triduo citius, quam ab *Epactis* sint enuntiata, evenere. Ex *Pleniluniis* vero 145. cum *Lunis* XIV. ab *Epactis* designatis convenere, 61. una die tardius obtigere, 2. biduo tardius, 24. die una citius, quam *Lunae* XIV. ab *Epactis* enuntiatae. Observavit insuper ex *Pleniluniis* 235. Astronomicis 17. ad *Plenilunia* proxima ante dies 14. completos pervenisse, 74. ante horas 12. post dies 14, 47. post horas 12. ante dies 15, 69. ante horas 12. post dies 15, 37. post dies 15, & horas 12. Inde fit itaque, ut non fuerit utique, cur tanto Protestantes aliqui furore *Gregorianum* in Kalendarium debaccharentur: quo de argumento fusius adhuc infra, alibique iterum, quum de Cyclis sermo data opera fiet.

DE

D E
SOLIS, AC LUNAE CYCLIS,
S I V E
De Litteris Nundinalibus, & Aureis Numeris.

Articulus IV.

I. CYclus *Solis*, ita dictus, non ideo quod *Solis* ipſius annorum 28. ſpatio aliqua fiat *Ἀποκατάςασις Revolutio*, ſed a *Dominica* die *Soli* olim apud Ethnicos Sacra, Temporis intervallum eſt ſeptem annorum quadriennia comprehendens, ſive annorum 28. ſpatium eſt, quibus evolutis dies *Solis*, ſive *Dominica*, ad eamdem redit Litteram, quae *Nundinalis* olim Romanis, hodie vero *Dominicalis* adpellari Chriſtianis ſolet, ac Feriae reliquae qua prius, Littera perinde deſignari pergunt. Sunt autem hae ſeptem priores *Alphabeti* Romani Litterae, quae ſingulis diebus in Kalendario *Juliano* adponi ſolent, atque poſt annos 28. ad ſuum regrediuntur principium, videlicet A. B. C. D. E. F. G, ordine tamen retrogrado, annis 28. expletis, regredi coguntur, ideſt G. F. E. D. C. B. A, ob annum *Biſſextilem*, quo duae in Kalendario Litterae Februarii diei 25. adfixae leguntur: qui *Biſſextilis* ſi non intercederet, annis ſeptem eodem ſemper decurrerent ordine ſeptenae illae Litterae. Enim vero *Communis* annus Julianus ſiquidem diebus 365, horis 6. conſtet, *Biſſextus* vero diebus 366, dierum hic numerus in Hebdomades, ſive per 7. diviſus efficit Hebdomades 52. integras, ac diem 1. inſuper in Anno *Communi*, aut dies 2. in *Biſſexto* relinquit. Inde fit ideo, ut *Communis* quilibet annus in eamdem deſinat Feriam, ac Litteram, qua cepit, ac proximus a ſequenti Littera, & Feria incipiens in eamdem perinde deſinat: adeo ut ſi Annus *Communis* a die *Dominica* incipiat, anni ſequentis initium in diem *Lunae* incidet, tertii ſequentis initium in diem *Martis*, & ita dein-

deinceps; unde octavo quoque anno a die *Dominica* rursus annus inciperet, atque ita septem illae Litterae *Dominicales* constanti serie diem *Dominicam* septem annorum spatio indicarent, ita ut si anno 1. Littera *Dominicalis* fuisset A, anno 2. foret B, anno 3. C. &c., atque septem annis expletis, anno 8. rediret eadem Littera A, sed ordine, uti dixi, retrogrado. Namque si littera A fuisset Littera *Dominicalis* cujuspiam anni *Communis*, hoc est si dies 1. Januarii anni illius fuisset *Dominicus*, obsignatus ideo Littera A, quia anno sequenti Januarius incipiet a die *Lunae*, proinde Littera A, quae semper adficit diem 1. Januarii, diem *Lunae* eo anno denotabit, ac ideo Littera B. diem *Martis* &c., ac tandem Littera G erit *Dominicalis*; tum F, diem *Lunae* designabit, E diem *Martis*, ac ita deinceps, adeoque ordine retrogrado post septem annos regrederetur ad A. Ast enim *Bissextus*, qui anno cuilibet quarto inseri debet, in caussa est, cur communis Feriarum cursus, atque constans Litterarum series interturbetur. Ex additione enim unius diei efficitur, tum ut idem Annus *Bissextilis* duas Litteras *Dominicales* habeat, quarum una a Kalendis Januariis usque ad diem 25. Februarii, altera vero a Februarii die 25. usque ad finem anni usurpanda sit; tum ut anni sequentis initium non jam in proximam incidat diem, sed in alteram a praecedenti tertiam, ad eo ut, si *Bissextus* a die *Lunae* incepit, sequens incipere a *Mercurii* die debeat. Itaque, ne ob *Bissextum*, in anno sequenti aliqua omittatur Littera *Dominicalis*, littera illa nempe, quae responderet diei *Martis*, duae ideo Litterae *Dominicales*, ut dixi, in *Bissexto* decurrunt; indeque fit idcirco, ut Litterarum ordo perturbetur, nec ideo prius idem recurrat, quam *Bissextus* per singulas Litteras *Dominicales* pertransierit. Quocirca septem annorum quadriennia, quae spatium annorum 28. conficiunt, requiruntur, antequam eadem *Dominicalium* Litterarum series redeat: quod spatium est Cyclus *Solaris*, quo nempe absoluto, idem Litterarum ordo recurrit: quem ordinem clarius sequens ob oculos ponit totum per Cyclum *Solarem* annorum 28. Pinacidium ab anno 1748. incipiens, ac in annum 1766, quo ista scribo, desinens, indeque ad idem regrediens initium anno 1767, ac ita deinceps.

Cyclus

Cyclus Solaris, ac Litterae Dominicales.

In Annis Julianis.

1.	GF.	5.	BA.	9.	DC.	13.	FE.	17.	AG.	21.	CB.	25.	ED.
2.	E.	6.	G.	10.	B.	14.	D.	18.	F.	22.	A.	26.	C.
3.	D.	7.	F.	11.	A.	15.	C.	19.	E.	23.	G.	27.	B.
4.	C.	8.	E.	12.	G.	16.	B.	20.	D.	24.	F.	28.	A.

Cyclus Solaris, ac Litterae Dominicales.

In Annis Gregorianis a 1582. *ad* 1700.

1.	CB.	5.	ED.	9.	GF.	13.	BA.	17.	DC.	21.	FE.	25.	AG.
2.	A.	6.	C.	10.	E.	14.	G.	18.	B.	22.	D.	26.	F.
3.	G.	7.	B.	11.	D.	15.	F.	19.	A.	23.	C.	27.	E.
4.	F.	8.	A.	12.	C.	16.	E.	20.	G.	24.	B.	28.	D.

Cyclus Solaris, ac Litterae Dominicales

In Annis Gregorianis a 1700. *ad* 1800.

1.	DC.	5.	FE.	9.	AG.	13.	CB.	17.	ED.	21.	GF.	25.	BA.
2.	B.	6.	D.	10.	F.	14.	A.	18.	C.	22.	E.	26.	G.
3.	A.	7.	C.	11.	E.	15.	G.	19.	B.	23.	D.	27.	F.
4.	G.	8.	B.	12.	D.	16.	F.	20.	A.	24.	C.	28.	E.

II. Jam vero, ut Cycli *Solaris* inveniatur Numerus singulis conveniens annis, ſupponendum in anteceſſum eſt Cycli *Solaris* numerum ante Chriſti natalem anno fuiſſe 9, ſive primum Aerae Chriſtianae annum, ſive Chriſti D. communem in *Solaris* Cycli annum 10. incidiſſe. Quamobrem Annis Chriſti D., ſive Aerae Chriſtianae addendi erunt anni 9, atque ſumma deinde tota dividenda eſt per 28: ſi nihil inde reliquum ſit, id Cycli

Cycli *Solaris* erit annus 28, ſive ultimus; ſi ſuperfuerit aliquid, id erit Numerus *Solaris* Cycli eo anno quaeſitus. E. g. ſi decurrenti anno 1766. addantur 9, exſurget ſumma annorum 1775, quae diviſa per 28. relinquet 11: quo ſignificatur praeſens annus 1766. eſſe annum undecimum Cycli *Solaris*. Atque hancce porro Methodum inveniendi Cycli *Solaris* XXVIII. Numerum per additionem numeri 9. ad propoſitum annum duo ſequentes, juvandae memoriae gratia Verſiculi exprimunt.

Junge annis Domini ter Ternos, perque Viginti
Octo ſeca ſummam, Cyclus Solaris habetur.

Eadem Methodus adhibenda eſt, ulla tamen abſque annorum 9. additione, pro inveniendo *Solaris* Cycli anno in Periodo *Juliana*, qua de fuſe, quum de Periodis ſermo fiet. Nempe Periodi *Julianae* propoſito anno, eoque per 28. diviſo, quotiens oſtendet, quot Cycli ab hujuſce Periodi initio ad propoſitum annum interfluxerint, atque Numerus reliquus Cycli decurrentis in eadem Periodo annum exhibebit. E. g. Hic ipſe Chriſti D. annus 1766. *Julianae* Periodi eſt annus 6479, eorum juxta ſententiam, queis Aerae Chriſtianae Vulgaris annus 1. Periodi *Julianae* eſt annus 4714, Mundi 4004; qua de Uſſerius, Simpſonius, Eichſtadius, Wiſthonus &c. Hoc itaque anno 6479. diviſo per 28, quotiens 231. oſtendit totidem Cyclos *Solares* 231. ab initio Periodi *Julianae* uſque ad annum ejuſdem Periodi 6479, ſive uſque ad praeſentem annum Chriſtianae Aerae 1766. praeterfluxiſſe; atque reſiduus Numerus 11. indicat decurrentis Cycli *Solaris* 232. annum eſſe undecimum. Jam vero invento Cycli *Solaris* numero cujuslibet anni, facile invenitur Littera *Dominicalis* eidem anno correſpondens, utpote quae in Tabulis Kalendarii Breviariis, atque Miſſalibus praefixi e regione Numeri illius occurrit. Sic anni currentis 1766. Cycli *Solaris* 232. anno 11. reſpondet littera *Dominicalis* E. Verumtamen altera, quin ad *Solaris* Cycli numeros habeatur recurſus, inveniendi *Dominicalem* Litteram Methodus ſuppetit, Artificialis nempe Diſtichi ſequentis ope.

Aſtra Dabit Dominus, Gratiſque Beabit Egenos,
Gratia Chriſticolae Feret Aurea Dona Fideli.

III. Di-

III. Diſtichi hujuſce porro ſingulae dictiones ſingulis Anni reſpondent Menſibus, ſuiſque Litteris initialibus Litteras quoque primis cujuslibet Menſis diebus adfixas deſignant. Ita vox *Aſtra* Menſi 1. *Januario* congruens, quaeque incipit ab A, denotat diem 1. *Januarii* ſignari littera A; proinde dies 2. deſignabitur littera B, dies 3. littera C, & ita reliqui, adeo ut dies 8. notetur iterum littera A, dies 9. littera B &c., atque ita littera A notentur perinde dies 15, 22, 29; ſicque dies 30. ſignabitur littera B, dies 31. littera C. Quocirca diei 1. *Februarii* competit littera D, cui plane Menſi reſpondet vox *Dabit*; atque ita dies 2. *Februarii* ſignabitur littera E, dies 3. littera F &c., eodem profecto, quo mox dictum eſt, fieri modo in Menſe Januario. Jam vero ſi die v. g. *Junii* 25. *Jovis* anni ſequentis 1767. ſcire velis *Dominicalem* litteram huic anno competentem, ſtatim advertere debes diem *Lunae*, quae *Junii* erit 1. ſignatam eſſe littera E in Kalendario, velut indicat dictio *Egenos*, quae *Junio* reſpondet. Itaque dies praecedens, atque ultima *Maji*, ſive dies 31. notatur littera D, quae ideo erit littera *Dominicalis* ſequentis anni 1767. Breviori altero modo, in eumdem recidente, conſequi id ipſum, numerarique poteſt. Quandoquidem enim littera E *Junii* diem 1. adficiat, eaque dies 2. *Lunae* futura ſit anni futuri 1767, inſequens proinde dies 3. *Martis* obſignabitur littera F, dies 4. *Mercurii* littera G, dies 5. *Jovis* littera A, dies 6. *Veneris* littera B, dies 7. *Sabbathi* littera C, ideoque dies 1. *Dominica* littera D, quae proinde totius anni proximi 1767. *Dominicalis* erit littera. Expeditiori altera via adhuc littera cujuſque anni *Dominicalis* obtineri Kalendarii ope poterit. Noveris quo Menſe, quove die propoſiti anni *Paſcha* incidet, atque eadem, qua *Paſcha* denotatur in Kalendario, totius anni Littera *Dominicalis* erit. Ita v. g. anno 1768. dies *Paſchalis* erit dies 3. Aprilis, eademque in Kalendario notata littera B a die 25. Februarii, quae ideo a Februarii die 25, ac deinceps erit littera *Dominicalis* anni 1768, a Januarii vero die 1. uſque ad diem 25. Februarii littera *Dominicalis* C erit. Atque hac ipſa plane methodo facile eſt reperire Ferias quaſlibet anni cujuslibet, reperta nempe littera *Dominicali*. Sic

e. g. anni 1768. littera *Dominicalis* erit CB, hoc est C. a die 1. Januarii usque ad Februarii diem 25, indeque usque ad finem anni littera B: itaque dies 1. Januarii notata in Kalendario littera A, uti docet vox *Astra* Januario congruens, erit dies 6. *Veneris*, Februarii dies 1. obsignata littera D, velut indicat dictio *Dabit*, erit dies 2. *Lunae*, dies 26, qua littera B *Dominicalis* assumetur, erit *Dominica*, dies 1. Martii signata littera D, ut ostendit vox *Dominus*, erit dies 3. *Martis*, atque ita deinceps.

IV. Atque isthaec modo tradita porro Methodus Litteram inveniendi *Dominicalem* locum dumtaxat habet in anno *Gregoriano*: quae si quaeratur in anno *Juliano*, in Kalendario idest Veteri, altera profecto, hinc tamen parum aberrante, opus est methodo. Nempe si anno 1582. Correctionis *Gregorii* XIII. jussu septem dumtaxat ab anno detracti fuissent dies, idem *Dominicalium* litterarum ordo *Gregoriano* pariter in anno mansisset, qui fuerat in *Juliano*. Siquidem autem solidam praeter septimanam tres insuper dies ablati sunt, inde factum est, ut tres etiam litterae a *Dominicali* serie *Juliana* auferendae sint, ut *Gregorianam* assequi detur. Ita e. g. anno 1699. *Juliano* Cycli *Solaris* anno 28. littera *Dominicalis* fuit A, juxta stylum veterem, atque liquet ex Pinacidio supraposito: itaque tribus inde ablatis ordine retrogrado, quo procedunt, litteris, videlicet G.F.E, relinquitur D pro littera *Dominicali* in anno *Gregoriano*, sive juxta stylum novum: quod facilius ex Pinacidio Cycli Gregoriani suprapositi datur intelligi. Vice versa *Gregoriano* in anno decurrenti litterae *Dominicali* tribus aliis superadditis, ordine, uti dixi, retrogrado, littera obtinebitur *Dominicalis* anni *Juliani*. Sic v. g. in anno *Gregoriano* 1696. *Bissextili* Cyclus *Solaris* erat 25, ac littera *Dominicalis* AG: adjunctis igitur A tribus aliis litteris G. F. E, reliqua D fuit littera secunda *Dominicalis* in anno *Juliano* 1696, cui prior littera E jungenda fuerat pro eo *Juliano* anno *Bissextili*. Anno tamen *Gregoriano* 1700, cui dies *Bissextilis* expuncta est, quae dies attamen *Juliano* in anno est retenta, non tres amplius, sed duae tantummodo litterae usque ad annum 1800. a *Dominicali* serie *Juliana* detrahendae

sunt,

ſunt, ut *Gregoriana* habeatur. Ita e. g. anno *Juliano* 1764. *Biſſextili*; Cycli *Solaris* anno 9. Littera *Dominicalis* fuit DC, ablatis a D litteris CB, reliqua A fuit prima *Dominicalis* in eodem anno *Gregoriano*, cui proxima littera G jungenda fuerat pro reliqua *Biſſextilis* anni 1764. *Gregoriani* parte. Rurſus ab anno 1800. uſque ad 1900, ob diem *Intercalarem* alterum omittendum, una dumtaxat littera a *Juliana* ſerie *Dominicali* erit detrahenda, ut *Gregoriana* obtineatur. Sic v. g. anno 1830. *Juliano* Cyclus *Solis* erit 19, littera *Dominicalis* E, ablata D, ſequens C erit *Dominicalis* in eodem anno *Gregoriano* 1830. Adhaec ab anno 1900. uſque ad 2000. unica ſiquidem *Intercalaris* dies negligenda in hacce annorum Centuria erit, littera proinde *Dominicalis* in anno *Gregoriano* ei proxima erit, quae in Juliano decurret, adeo ut in anno *Juliano* 2000, Cyclo *Solis* 21, littera *Dominicalis* futura ſit CB, in Gregoriano vero BA. In anno ſed enim *Juliano* 2100, Cyclo *Solis* 9, ob diem *Intercalarem*, duae e *Juliana* ſerie *Dominicales* litterae demendae erunt, ideoque eo in anno *Juliano* 2100. litterae *Dominicales* erunt duae DC, in *Gregoriano* unica C. Anno rurſus 2200. *Juliano*, Cyclo *Solis* 25, die *Intercalari* omiſſa in *Gregoriano*, proxima ideo poſt *Julianam* ED, *Dominicalis* erit pro *Gregoriano*, ideſt E littera. Atque ita viciſſim in *Juliano* anno 2300, Cyclo *Solis* 13, litterae *Dominicales* erunt FE, in *Gregoriano* G; aſt vero anno 2400, Cyclo *Solis* 1, in *Juliano* litterae *Dominicales* erunt GF, in *Gregoriano* BA; anno 2500. Cyclo *Solis* 17, in *Juliano* erunt *Dominicales* litterae AG, in *Gregoriano* C; videndique, ſi placet, Clavius, aut Ricciolius, a quibus Tabula perpetua Litterarum *Dominicalium* in Annis Gregorianis digeſta fuit; atque Thomas Pius Maphaeus de Cyclorum Soli-Lunar. inconſt. &c. Tabula I. p. 194. ſqq., ubi ſeriem Litterarum *Dominicalium* utramque in *Julianis* annis, ac *Gregorianis* uſque ad ann. 10100. exhibet, iſtaque methodo *Dominicalis* littera in utroque *Gregoriano*, ac *Juliano* anno facile, perpetuoque computari poterit. Conferendus etiam, ſi placet, Horrebowius de Nova Methodo Paſchali cap. 9. §. 129. ſqq. p. 61. ſqq., ubi Litterarum *Dominicalium* loco Notis Numeralibus ſuffectis, quod haud

 opus

opus erat, neque a prisco receptissimo abscedere more oportebat, geminas proponit Tabulas; quarum ope Numeri *Dominicales* usque ad annum 7600. tam in annis Centesimis, quam in aliis supra, aut infra Centesimos reperiri facile poterunt: quod pe rsequi longius haud praestat. De Methodis porro reperiendi Ferias data qualibet die in annis Periodi Julianae, Aerae Christi Vulgaris, Periodi Dionysianae, Aerae Diocletianaeae, Aerae Heraclianae, Aerae Mundanae Panodori, & Aniani, S. Maximi, ac Syncelli, & Auctoris Chronici Alex., Aerae Mundi Constantinopolitanae, Aerae Victorinae, Periodi Romanae Ecclesiae annorum 84, Periodi Graeco-Romanae Pagii, Aerae Mundi Alexandrinae, Mundi S.Maximi &c. adeundus, si vacat, libetque, Vander-Haagen de Cyclis Paschalibus Par. II. Differt. de Computo Solari §.xxv. sqq. p.344. sqq., nobis enim diutius his immorari praestituti operis ratio non permittit.

V. De *Lunae* Cyclo nunc agendo, hocce non aliud profecto accipi nomine oportet, quam series annorum 19, quibus expletis, *Sol*, ac *Luna* ad idem prorsus *Zodiaci* punctum, e quo digressi fuerant, regredi demum putantur, ideoque ad eamdem perinde diem, qua prius inciderant, *Novilunia*, *Plenilunia*, reliquique *Lunae* *Σχηματισμοὶ*, sive *Phases*, atque Quadraturae recidere. Series haec porro *Numerus Aureus* dici passim, jamdiuque solet, quod eum magni facerent Antiqui, Aureisque pingere characteribus non dubitarent, adeo videlicet, ut diebus, in quos *Novilunia* incurrerent, Aureas Numerorum hasce notas 1. 2. 3. &c. in Kalendario, donec evoluti anni 19. essent, adponere solerent. Ita v. g. initio facto ab anno, in quo *Novilunium* die 23. Januarii, die 21. Februarii, die 23. Martii &c. contigisset, in Kalendarii margine notam 1. adscribendam ducebant; anno vero sequente animadvertentes *Novilunia* diebus 11. antegressa cecidisse in Januarii 12, Februarii 10, Martii 12. &c., ad hosce dies in Kalendario ad marginem numerum 2. adpingendum existimabant; atque ita deinceps anno 3. 4. 5. &c. usque ad 19.: quo elapso, anni proxime sequentis 20. iterum pro *Novilunio* dies 23. Januarii, dies 21. Februarii, dies 23. Martii &c. nota 1.

obsi-

obſignari ſolebant. Dici etiam Cyclus *Decemnovennalis*, ſeu Ἐννεαδεκαετηρις *Enneadecaeteris Metonica* conſuevit, quod Periodus ſit annorum 19, eaque a *Metone* Athenienſi, qui ſini conceſſiſſe ſuo Olympiadis 91. anno 4, quocum annus congruit ante Chriſti natalem 413, vulgo creditur, fuerit adinventa. Cujus inventi ſane, inſtitutique ea ratio eſt, quod ſiquidem ex Menſibus pure *Lunaribus* anni fierent, quos adhibere veteri poſitum Arabibus, Saracenis, Athenienſibus &c. in more fuerat; hi vero *Lunares* anni per anni *Solaris* contextum ita libere vagarentur, ut aliquando Hyeme, Aeſtate aliquando inciperent, Aſtronomicae proinde rei peritos quamplures *Lunaris* anni cum *Solari* copulandi ſtudium inceſſit, atque utrumque communi Periodo aliqua, ſive Cyclo apte conſtringendi. Cyclus iſtiuſmodi itaque, nondum plene comperto *Solis*, atque *Lunae* circuitu, variemode tentatus eſt, atque multiplici annorum intervallo definitus, primum *Biennii*, quae adpellata Διετηρις *Dieteris* eſt, a *Thalete* Olympiadis 35. anno 2. nato perinde *Quadriennii*, quae Τετραετηρις *Tetraëteris* dicta eſt, a *Solone* Olympiade 46. in vivis agente, poſtmodum *Octennii*, quae inde Ὀκταετηρις *Octaeteris*, nomen accepit, a *Cleoſtrato* Olympiade 58. florente Plinio teſte lib. 2. cap. 8, unde rite a Petavio Doct. temp. lib. 2. cap. 3. refellitur Scaliger, dum de Emend. Temp. lib. 2. p. 64. circa Olympiadem 61. Octaëteridem fuiſſe inſtitutam ſcripſit: quaſi nempe aut duorum, aut quatuor, aut octo annorum ſpatio, *Solis*, atque *Lunae* Periodo, ſive revolutione abſoluta, ad idem uterque punctum regrederetur Planeta.

VI. Quod ſane temporis ſpatium haud ſufficiens eſſe deprehenſum eſt demum: in *Dieteride* namque dies 708. comprehenſae erant, a Graecis vero tum adhuc dies 694. dumtaxat in numero habebantur, queis utpote *Lunaris* annus dierum 347. fiebat dumtaxat, Cenſorino teſte de Die Nat. cap. 18. ſq. *Biennium* adhaec quodlibet *Intercalari* Menſe adauctum dierum alternatim 29, & 28, *Lunae* rationes ideo ſuperabat diebus 15: ex duobus namque vertentibus dierum 347, ac *Embolimaeo* dierum 29. *Trieteris* fiebat dierum 723: quum tamen ex duobus *Lunaribus* dierum 354. *Trieteris* fieri debe-

ret

ret dierum 708. Facta deinde *Dieteride* dierum 738, ideft ex diebus 354. in anno *Communi*, & diebus 384. in *Embolimaeo*, inde gravis alter subortus est error, quo *Lunare* biennium superabat *Solare* diebus 8, siquidem illud dies 738. colligeret, in isto vero dies 730. dumtaxat insint. Errore deinde comperto, *Lunarem* ideft annum diebus 354, *Solarem* vero diebus 365. $\frac{1}{4}$ constare supposito, ex *Dieteride* duplicata facta *Tetraeteris* est, pro *Solari* nempe cum *Lunari* aequando anno, quadriennio nempe quolibet Mensis integri dierum 30, ex quater 11. videlicet diebus anno quolibet collectis aggregatione, facta Intercalatione, qua de tamen cum Scaligero de Emend. temp. lib.2. p.64. sqq. haud convenit Petavius Doct. temp. lib.1. cap.3. Verum & vitio laborare *Tetraeteris* haud multo post deprehensa est: *Lunares* siquidem anni 4. a totidem *Solaribus* diebus 43. cum dimidio superarentur, qui profecto excessus Mensis 1. *Intercalaris* additione haud supplebatur: in *Tetraeteride* namque *Lunari*, addito etiam Mense *Embolimaeo*, dies 1447. dumtaxat inerant; *Solaris* vero *Tetraeteris* diebus 1461. omnino constabat, unde istius supra illam excessus dierum 14. erat. Quamobrem *Lunari* cum *Solari* conjungendo anno longe aptior ab *Endymione* primum excogitata, dierum 2922, ut videtur, a *Cleostrato* postmodum emendatior facta dierum 2923, uti suspicari fas est, & ab *Eudoxo* perinde Olympiade 103. apud Graecos inducta dierum 2923 $\frac{1}{2}$, ut arguere licet, Periodus est altera Ὀκταετηρὶς *Octaeteris*, annorum 8. ideft, de *Eudoxi* nomine *Eudoxia* aliquando, *Enneaeteris* quoque nuncupata; qua de Laertius lib.8. cap.87, Censorinus de Die Nat. cap.18, Geminus Elem. Astron. edit. Petavii cap.6. Doctr. temp. T. III. edit. Ven. 1757. p.20. sq., Suidas &c., videndusque Petavius Doct. temp. T.I. lib.2. cap.8, ac T. III. Epist. lib.2. epist. 23. sq. ad Crucegerum p. 326. sqq. Comperto nempe *Solaris* anni supra *Lunarem* excessu dierum 11. cum $\frac{1}{4}$, anno quolibet 8. dies 90, ex iis diebus 11, ac horis 6. quolibet anno residuis octies multiplicatis collectos, atque tres in Menses, dierum triginta singulos, distributos, Octennio quolibet exacto, aggregandos illi duxere. Quam sane Graecam Periodum *Numae Pompilio* acceptam

perin-

perinde fuisse, juxtaque anno quoque octavo dies 90, Graecorum instar, intercalandos apud Romanos ab illo fuisse indictos, testes accedunt locupletes Livius lib. 1. cap. 8, & Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 13. Qua postea ab intercalandi ratione paullulum abscedentes Romanos, *Biennio* potius quolibet intercalandum duxisse, atque ita quidem, ut anno 2. dies 22, anno 4. dies 23, anno 6. dies 22, & anno 8. dies 23. insererentur, observant Gassendus in Kalend. Roman. cap. 2, ac Puteanus de Bissexto cap. 3. Antiq. Rom. T. VIII. edit. Ven. p. 152. sq., & p. 427. sq., qua de fusius, ubi de Periodis sermo fiet. Verum *Endymionis*, sive *Cleostrati*, sive *Eudoxi* Periodo *Octaeteride* ista errore haud vacare cognita & ipsa, quatenus *Solaris* anni a *Lunari* discrimen Octennii spatio diei 1. cum $\frac{1}{2}$ dimidio erat, eamdem *Harpalus* haud multo post emendare conatus est, interpolatione adhibita, atque Cyclum dierum 2925. conficiendo. In eo Cyclo enim anni 5, e diebus 354. compositi singuli, insunt, ac reliqui anni 2. 4. 5. ex Mensibus *Cavis* quinque, reliquis septem *Plenis* singuli conflati, dierum idest 355, ac Mensibus 3, dierum 30. singulis, aggregatis. Qua plane ratione Mensium *Neomenia* triduo, quam ab *Endymione*, aut biduo, quam a *Cleostrato* fuerat constituta, posterior ab *Harpalo* facta est: adeo ut, qui ex *Octaeteride* aut *Endymionis*, aut *Cleostrati* diem in *Harpali Octaeteride* adsequi velit, triduo *Endymionea*, aut biduo *Cleostratea* promovenda *Neomenia* sit: qua de Petitus in Eclog. Chronolog. de Anno Attico cap. 9. Antiq. Graec. T. IX. p. 1132. sqq.; conferendusque Manfredus Elem. Chron. Par. I. cap. 4. p. 8. sqq.

VII. Verumtamen & a *Solis*, ac *Lunae* rationibus aberrare *Octaeteris* tam *Endymionis*, & *Cleostrati*, quam *Eudoxi*, & *Harpali* deprehensa est, teste Gemino Isag. Astron. cap. 6. edit. Petavii p. 21. sq. *Lunaris* siquidem Annus haud praecise dierum 354, uti pridem, bene vero dierum 354. $\frac{1}{3}$ agnitus Graecis postea sit, *Solaris* vero ex diebus 365. $\frac{1}{4}$ fuerit constitutus, ideo differentia *Solaris* anni supra *Lunarem* erat dierum 10. $\frac{11}{12}$, qui per 8. multiplicati efficiebant dies 87. $\frac{1}{3}$ fere: quò fiebat proinde, ut in *Octaeteride* ex diebus 9. aggregatis dies 2. $\frac{2}{3}$ superabundarent; ideoque ut in *Octaeteridibus* 19, quae fa-

faciunt annos 152, in quibusve *Intercalares* Menses 57. agebantur, Mensis 1. fieret excessus super *Enneakaedecaeteridem*, annorum 19. Periodum ideſt: in Periodis 8. siquidem annorum 19. *Intercalares* 56. dumtaxat Menses insint. Vitio itaque, quo laborabat *Octaeteris*, ut obviam irent *Meton* Olympiade 86, ut habent Diodorus lib.12. an.4. Olymp.86, Censorinus de Die Nat., Aelianus Var. lib.10, Festus Arienus, Manilius, Aratus, aliique laudati Scaligero de Emend.temp.lib.2. p.72. sqq., sive *Euctemon* eadem sub aetate, *Philippus* Olympiade 110, & *Calippus* Olympiade 112, ut est apud Geminum Elem. Astron. edit. Petavii cap.6. p.23, *Enneadecaeteridem*, suffecere, Periodum ideſt *Decemnovennalem*, sive annorum 19: qua expleta, *Solem*, ac *Lunam* ad idem prorsus, unde digressi fuerant, regredi punctum arbitrati sunt. Quae perinde Periodus tum a Graecis ubique gentium ambabus recepta fuit ulnis, tum ab Hebraeis suis peragendis statis *Neomeniis* temporibus admissa perinde est, veluti super. T.I. de Mens., & Annis Hebr. §.xx. sqq. p.367. sqq. planum abunde factum est, tum etiam a Christianis quammaxime ultro citroque adscita est, atque ad ordinanda *Paschata*, ceteraque per annum Festa longo translata usu fuit.

VIII. Atque quidem anno Christi ante natalem 30. Cyclum xix. *Lunarem* a Romanis excogitatum jam tum usu primum venisse refert V. Beda libro de Argum. Lunae p.213, ac post ipsum Anonymus Ambrosianus apud Muratorium Anecdot. Latin. T.III. §.124. p.170. A *Julio* Caesare ait enim Cyclum huncce primo inductum fuisse adfirmare non dubitarunt Paulus Forosemproniensis, sive Middelburgensis Paulinae lib. 2, Stoefflerus in Kalend. Proposf.xxxiv.p.44, & Lucas Gauricus in Kalend. p.130; contra quos pugnant Petavius Doct. temp. lib.6. cap.12. edit. Ven. 1757. p.320. sq., ac Norisius de Cyclo Paschali Ravennate dissert.3.cap.4.Oper. T.II. p.784.sqq., longe post *Nicaenam* Synodum, nec ante Seculum VI. Aerae Christianae Cyclum xix. a Christianis fuisse concinnatum eo potissimum argumento contendentes, quod in Veteribus Kalendariis apud Gruterum p.133. sq., & apud Graevium Antiq. Roman. T.VIII. p.4. sqq. Litterae, non utique *Dominica-*

les

les VII, ſed *Nundinales* VIII adpoſitae conſpiciuntur. Atque ita ſane in Kalendariis Maffejano, Capitolino, Capranico, altero ſub colle Hortulorum eruto, altero in Eſquiliis ad S. Martinum effoſſo &c. litterae VIII. *Nundinales* adſcriptae dumtaxat adparent. In Kalendario tamen imperante *Conſtantio* deſcripto, a Lambecio Notis illuſtrato Bibl. Vindobon. T. IV, inſertoque Antiq. Rom. T. VIII. p. 95. ſqq. una cum *Nundinalibus* litteris VIII. litterae *Dominicales* VII. primo deſcriptae conſpiciuntur: quam ideo uſque ad aetatem una cum Cyclo annorum 84., ac deinde Victorino annorum 532. Latinos *Nundinalibus* uſos Noriſius exiſtimat: qua de re infra, ubi de Periodis ſermo fiet. Ad haec ad Graecanicas utique fabulas amandandum fore nullus dubito, quod ex Graecorum Epiſtolis acceptum refert Anonymus Ambroſianus a Muratorio editus Anecd. Latin. T. III. p. 109. ſqq. libro de Computo p. 121, nempe quod S. *Pachomio* Abbati una cum Monachis a Domino roganti, ut oſtenderet, quomodo *Paſcha* rite celebrandum eſſet, per Angelum Dominus Cyclum *Decemnovennalem* miſerit hoc incipientem modo: *Non. April.* &c., qui nempe Graecis alter erat *Paſchalis* Terminus, ab 8. *Idus Martii* Termino incipiente altero: quos intra Terminos dies 29. comprehendebantur, intra quos *Novilunium Paſchale* contingere oportebat, juxta Graecorum computum. Qui Termini *Paſchales* tamen Latinis alii erant, videlicet 3. *Non. Martii*, ſive dies 5. Martii, & 4. *Non. Aprilis*, ſive Aprilis dies 2: quos intra Terminos, dies videlicet 29, *Paſchale* Novilunium obſervandum erat; qua de re cit. Anonymus eo loci, conferenduſque, qui diffuſe de Terminis hiſce *Paſchalibus* diſputat, Emin. Noriſius de Paſchali Latinorum Cyclo annorum 84. diſſert. 2. Oper. T. II. edit. Veron. p. 675. ſqq. Quamquam Eccleſiae Alexandrinae jam ante Nicaenam Synodum uſu Cyclum XIX. veniſſe admodum probabile cenſet Vander-Haagen de Cyclis Paſchalibus Par. I. diſſert. 12. de Cyclo XIX. Euſebio Caeſar. ſuppoſito §. 7. p. 160, cui hac in parte adſtipulari nullus ambigo: qui & diſſert. 13. de Cyclo XIX. a Concilio Nicaeno inſtituto §. 7 p. 188. ſq., quo de mox, ab Anatolio Laodiceno Epiſcopo circa annum Chriſti 277. *Enneadecaeteridem* fuiſſe elaboratam ex Eu-

sebio Hist. Eccl. lib. 7. cap. 32. rite arguit, eamque Alexandrina ab Ecclesia, in Syria quoque, aliisque ab Orientis Ecclesiis, atque a Nicaena ipsa Synodo fuisse usurpatam opinatur. Et certe a Concilio Nicaeno pro indicendis *Lunis* XIV. *Paschalibus* Cycli XIX, sive *Enneadecaeteridis* methodum fuisse praescriptam auctores se praestant liquidos S. Ambrosius in Epist. 83. ad Episcopos per Aemiliam constitutos de Paschate anno 387. celebrando, S. Cyrillus Alex. in Epist. ad S. Leonem M. de Paschate anni 444, S. Proterius Alex. in Epist. ad eumdem Pontificem de Paschate anni 455, Dionysius Exiguus in Epist. 1. ad Petronium Episcop., & Epist. 2. ad Bonifacium, & Bonum Clericos, Auctor Chron. Pasch., Seculi VII. scriptor, in Praefat. p. 9. edit. Paris., Ven. p. 7, aliique, queis de conferendus Vander-Haagen de Cyclis Pasch. Par. I. dissert. 13. de Enneadecaeteride a Concilio Nicaeno instituta §. 2. p. 173. sqq. Quo loci adnotandum sane, quod in Epist. ad Petronium Dionysius Exiguus adjungit: nempe a Patribus Nicaenis pro Mensis I, sive Paschalis *Luna* I. terminum remotissimum fuisse definitum diem ab 8. Idus Martii usque ad diem Nonarum Aprilium, pro *Luna* XIV. citimum terminum fuisse praescriptum diem a 12. Kalendarum Aprilium usque ad 14. Kalendas Majas: sed hacce de re fusius alibi: conferendusque Vander-Haagen cit. dissert. p. 190. sqq., ubi Bucherii Comm. in Victorii Can. cap. 3. contraria in opinione versati de nullo Cyclo XIX. a Concilio Nicaeno instituto, nullisque Paschalibus Terminis ab eo definitis objecta dispungit, cum eoque conferendus etiam Norisius in dissert. 1. ad Fastos Consul., in dissert. 2. de Paschali Latin. Cyclo, & dissert. 3. de Cyclo Pasch. Raven. cap. 1, ubi paria cum Vander-Haagen facit.

IX. Illud modo advertere haud abs re erit Cyclum olim *Decemnovennalem* duas in partes distribui consuevisse, quarum prior annis 8. *Lunaribus* constans Ὀκταετηρὶς, ac deinde vulgo Ὀγδόας *Ogdoas* dicta est; posterior ex reliquis *Lunaribus* annis 11. confecta, Ἑνδεκαετηρὶς *Endecaeteris*, ac subinde brevibus Ἑνδέκας *Endecas* est denominata, veluti pridem a Dionysio Exiguo in Epist. ad Bonifacium, & Bonum Rom. Ecclesiae Clericos apud Bedam de Rat. Temp. capp. 40,

& 43,

& 43, ab ipso V. Beda eodem libro cap.44, ac in lib. Ephemerid. Oper. T.I. p.112. in Rota Paschali; videndusque Petavius Doct. temp. lib.2. cap.71. edit. Ven.1757. p.120. Atque hancce profecto juxta methodum Cyclus XIX. in *Ogdoadem*, ac in *Endecadem* egregie distributus, atque digestus ab Aerae Christianae anno 168. usque ad annum 239. per annos 71. legitur in Paschali Laterculo Seculo IX. elucubrato, ex Codice Vaticano olim Reginae Sueciae n.586. a Dominico Georgio editus, & Annalibus Eccles. Baronii novae edit. Lucen. T.I. insertus p.234. sqq., egregiis item Notis ab eodem illustratus, ex quo Pagii etiam in Paschalibus defigendis diebus errores passim Vir doctiss. emendare satagit. Verum & illud diligenter advertendum monet Paulus Forosemp. Paulinae lib.2, quod haud advertentes plerosque turpiter in errorem fuisse prolapsos adjungit, cujusmodi perinde erroris rite a Norisio de Cyclo Pasch. Raven. dissert.3. cap.4. T.II. p.779. sq. redarguitur Scaliger, advertendum, inquam, duplicem olim apud Temporum Supputatores usu Cyclum XIX. venisse, *Lunarem* alterum dictum, alterum vero *Aureorum Numerorum*, sive praecise *Decemnovennalem*: quo de utroque paucis, quod ejus fieri poterit, ne id Chronologiae imperitos, quos erudiendos adsumpsimus, omnino praetereat, disputandum incumbit.

X. Prior itaque *Lunaris* adhiberi Cyclus XIX. solebat ad prodendam *Lunam* in Kalendis praesertim Januariis, V. Beda de Temp.Rat. cap.55. teste. Ita nempe dato anno Cycli *Lunaris* undecies ducto adjungebatur *Regularis* Januarii, sive dies Kalendarum ejusdem Januarii, collectus deinde numerus dividebatur per 30, reliquum aetatem *Lunae* die 1. Januarii indicabat. E. g. Cycli *Lunaris* anno 5. multiplicato per 11. fiebant 55, addita die 1. Januarii erant 56: quo numero 56. diviso per 30. supererant 26: igitur anno 5. Cycli *Lunaris* die 1. Januarii erat *Luna* 26. Ideo Cycli *Lunaris* annus 5, addita unitate, fiebat 6, qui *Numerus Aureus* 6. in Kalendario adfixus erat diei 7. Decembris, atque Januarii die 1. exhibebat *Lunam* 26. Advertendum tamen admonet V. Beda loc. cit., quod in annis 17. 18. & 19. Cycli *Lunaris*, ob saltum *Lunae*, non unus dumtaxat, sed duo *Regulares* addendi erant

 nume-

numeri, ut aetas *Lunae* haberetur. Ita V. g. anno 18. Cycli *Lunaris* ducto per 11. fiebant 198, additis 2. *Regularibus* erant 200, qui divisus per 30. relinquebat 20: igitur anno 18. Cycli *Lunaris* die 1. Januarii *Lunae* aetas erat 20, ideoque Januarii die 12. erat *Luna* 1. Conferendus, qui de veteri hocce Lunari Cyclo plura docte, dilucideque persequitur, atque Scaligeri errores detegit, exagitatque, Cl. Norisius de Cyclo Pasch. Raven. dissert. 3. p. 782. sqq. Posterior *Aureorum Numerorum* Cyclus, praecise *Decemnovennalis* vulgo nuncupari solitus, ad *Lunas* Quartadecimas *Paschales* reperiendas adhiberi solebat, ut stato nempe die quolibet anno per orbem redirent. *Aurei* porro *Numeri* initium a *Paschali* Mense, sive Termino, qui est 12. Kalend. Aprilis, sive dies 21. Martii, ducebant; atque ita in veteri Kalendario fuere dispositi, ut diei 4. Aprilis *Numerus Aureus* 19. adpositus fuerit. Quo sane ab *Aureo Numero* 19. primi olim anni in Kalendario digesti Cyclum *Decemnovennalem* incepisse, testibus Dionysio Exiguo, & V. Beda de Rat. temp. cap. 54, quos sequuntur Paulus Forosemp. Paulinae Par. I. lib. 6, Petrus Pitatus Can. Paschal. cap. 6, ac Stoefflerus in Kalend. Prop. XXXVI. p. 56, advocatis, non vero incepisse ab *Aureo Numero* 1, diei 23. Martii adfixo, nec a *Numero Aureo* 3. diei 1. Januarii adsignato, veluti plerisque aliis visum est, atque persuasum, multis oppido, eruditeque pro more contendit Petavius in Animad. ad S. Epiphanium Oper. T. II. p. 299. sqq., ubi de duplici Lunari, & Aurei Numeri Cyclo XIX. agit, atque Doctr. Temp. lib. 6. cap. 10. sq. T. I. edit. Ven. 1757. p. 316. sqq.

XI. Contra Petavium tamen, quem sequitur Langius de Annis Christi lib. 1. cap. 1, Norisius de Cyclo Pasch. Raven. dissert. 3. cap. 5. Oper. T. II. p. 791. sqq., consentit quidem ab Alexandrinis etiam *Aureos Numeros* a Paschali Mense fuisse deductos, ac Cyclum Paschalem ab *Aureo Numero* 19. incepisse, Theophili, S. Cyrilli, & S. Proterii testimoniis motus, contendit ast vero tam a Dionysio Exiguo, quam a V. Beda annum 1. Cycli XIX. ab *Aureo Numero* 1. inceptum fuisse, argumento praesertim ducto e Cyclo XIX. in veteri Marmore Ravennate descripto, qui Cyclus idemmet ipsi ac *Dionysianus* habetur, in qua

in quo ita legitur: *Anno* 1. *Luna* 14. *Nonis Aprilis*; *Pascha* 3. *Idus Aprilis Luna* 20. Quod ipsum pluribus apud eumdem legendis ostendere pergit: quocum paria faciens Vander-Haagen de Cyclis Paschal. Par. II. dissert. 1. de Enneadecaëteride Alexandrina §. 7. p. 234. sqq. in hacce imo annum 1. Cycli xix. ab *Aureo Numero* 1. incepisse, unaque *Paschalem* Neomeniam in diem 27. *Phamenoth*, Martii diem 23, *Lunam* vero Paschalem xiv. in *Pharmuthi* diem 10, sive diem 5. Aprilis incidisse multis ostendere nititur, ex Cyclo Paschali 532. Aniani, & Panodori; ex Theophili Alex. Laterculo 100, & 418; ex S. Cyrilli Alex. Cyclo Paschali 95; ex Dionysii Exigui Cyclo 95, & 532; ex S. Isidori Hisp. Cyclo Pasch. 95; ex Cyclo 95. S. Felicis Abbatis; ex Cyclo Pasch. 532. V. Bedae; ex Syncello in Chronog. p. 36. edit. Paris., Ven. p. 28; ex S. Ambrosio Epist. 83. Paschali; ex S. Leonis M. Epistolis ad Marcianum Aug., Eudociam Aug., Julianum Coensem &c.; ex S. Proterio Alex. Epist. ad S. Leonem; ex Paschasini Lilybetani Epist. ad eumdem S. Leonem; ex Dionysio Exiguo Epist. ad Bonifacium, ac Bonum &c., ex V. Beda de Temp. Rat. capp. 20, 52, 56. sq., & 61, quae indicasse satius habeo, superque, plura dicturus, quum de Periodis sermo fiet. *Epactae* jam vero *Aureis Numeris* respondentes ante Kalendarii Correctionem antiquis Computistis numerari solebant, non eo, quo *Gregorianam* post Correctionem nos utimur, modo a *Lunae* nempe diebus, qui post diem ultimum Decembris remanent, sed tot quovis anno dinumerari solebant, quot eodem anno erant *Lunae* dies 11. Kalendas Aprilis, sive die 22. Martii, teste V. Beda. Juxta Veteres igitur *Aureo Numero* 1. respondebat *Epacta* xxix, *Aureo Numero* 2. *Epacta* xi, *Aureo Numero* 3. *Epacta* xxii, atque ita deinceps. Conferendi Doctiss. Maurini in Addit. ad DuCangii Glossar. Med., & Inf. Latin. T. I. edit. Ven. p. 479, quo loci Tabellam Epactarum, & Noviluniorum juxta vetus Kalendarium exhibent.

XII. Gradu modo ad *Metonis* Cyclum xix. reflexo, ejusmodi sane *Enneadecaeteridis*, sive Anni *Lunaris* aequatio cum *Solari* a Metone ingeniose excogitata nobis exponenda est. Quilibet itaque *Solaris* annus Communis diebus 365, horis 6,

ris 6, minutis 18.' 56." 50.''' 31.'''' 34.''''' definitus a Metone fuit, Mensis vero *Lunaris* Synodicus dierum 29, horarum 12, minutorum 45.' 47." 26.''' 48.'''' 30.''''' factus est, ideoque *Lunaris* ab ipso Annus ex diebus 354, horis 9, minutis 11.' 29." 21.''' 42.'''' constitutus: quo sane a computo multum abscedit Scaliger de Emend. Temp. lib.2. p.72. sqq., ubi *Lunarem* annum Metonicum dierum 354, hor.5, min.3.' 9." 28.''' 25.'''' $\frac{5}{19}$, ideoque Mensem Lunarem ex Metonis sententia dierum 29, hor.12. min.25.' 15." 47.''' 22.'''' $\frac{2}{19}$ fecit, reprehensus ideo a Petavio Doct. temp. lib.2. cap.10; qui cap.13. ad computum propius nostrum accedens Metonis ex mente, sive ex computo dierum 6940, quot Metonicam constitisse Periodum XIX. testes accedunt Geminus, ac Censorinus, arguit *Lunarem* annum compositum fuisse ex diebus 354, horis 9, min. 11.' 29." 21.''' 26.'''' $\frac{6}{47}$, ideoque *Syzygiam* ex 235. quamlibet fuisse dierum 29, hor.12, min.45.' 57." 26.''' 48.'''' $\frac{24}{47}$; *Solarem* vero Annum a Metone factum supponit ex diebus 365, horis 6, min. 18.' 56." 50.''' 31.'''' $\frac{11}{19}$, ideoque Διάφορον differentiam Anni Metonici *Solaris* supra Lunarem fuisse dierum 10, hor.21, min.7.' 27." 29.''' 5.'''' $\frac{403}{893}$. Metonis itaque opinione sequebatur, ut Anni *Lunares* 19. cum Mensibus *Embolimaeis* 7, aeque ac Anni *Solares* 19. totidem usque ad scrupulum dies idest 6940. colligerent; atque ita annis 19. vertentibus *Solis*, atque *Lunae* Periodi quam exactissime inter se congruerent. Erant porro in *Enneadecaeteride* Metonica *Embolimaei* Menses, non modo 6, modo 7, modo 8, ut Aldus Manutius epist.6. scripsit, ideo refutatus a Petavio cap.12, sed, ut innui, semper 7, quos in *Enneadecaeteride* fuisse 5. 8. 10. 13. 16. 18. censuit Scaliger, contra fuisse 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. contendit Petavius, fuisse 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19. mavult Dodwellus, quos ita nempe Menses Intercalares ex *Annuis Epactis* XI. conflati componebant. Ex diebus enim 11, quibus *Lunaris* Annus a *Solari* superatur, anno 1. Cycli completo fiebat *Epacta* XI, cui anno 2. Cycli additae totidem *Epactae* XI. exsurgebant XXII, quibus anno 3. adjectae totidem XI. dabant *Epactas* XXXIII, quot nempe diebus Anni *Solares* 3. totidem *Lunares* 3. excedunt. Ex hisce vero *Epactis* XXXIII. pro Mense *Intercalari* 1. detra-

ctis

ctis 30, qui Mensis ideo Cycli anno 3. inserebatur, reliquae *Epactae* III. cum *Epactis* XI. anni 4. Cycli efficiebant XIV, quae anno 5. junctis *Epactis* XI. producebant XXV, e quibus in fine anni 6. Cycli, aggregatis *Epactis* XI, fiebant XXXVI, quarum XXX. inserviebant pro *Intercalari* ejusdem anni 6, reliquis VI. pro sequenti anno 7. Cycli reservatis, ac ita deinceps. Conferendus Norisius differt. 3. de Cyclo Pasch. Raven. cap. 7. Oper. T. II. p. 836. sqq., ubi de *Embolimaeorum* in veteri Metonis *Enneadecaeteride* situ diligenter inquirit, ac disputat, deque sede, qua a Dionysio Exiguo, ac V. Beda locati fuerant. Post ipsos Helpericus SanGallensis Monachus libro de Computo a Bernardo Pezio ex Codice Ms. Monasterii Zwethalensis in Austria edito Anecdot. T. II. Par. II. p. 182. sqq. cap. 36. in Cycli XIX. annis 8. 11. 19. a *Luna Epactarum* ordinem haud servari observat, adeo ut anno 8, *Epacta* XVIII. existente, *Luna Embolismalis* I. Nonis Martii incipiat; anno 11, *Epacta* XX. decurrente, *Luna Embolismalis* II. Nonis Decembris ineat; & anno 19, *Epacta* XVIII. obtinente, *Luna Embolismalis* III. Nonis Martii incipiat, ac 3. Nonas Aprilis finiat.

XIII. Verum enim vero *Enneadecaeteris* isthaec sic a *Metone* instituta, quam ultro citroque proinde amplecti, & ad *Novilunia*, atque *Plenilunia* delineanda, & *Paschalia* festa indicenda, approbe velut accommodam, usurpare tum Alexandrina Ecclesia, tum Nicaena Synodus, tum Ecclesia Romana, uti supra indicatum est, haud ambegere, haud errore vacare, ac ideo emendatione indigere deinde deprehensa est; idest Cyclum *Lunarem* XIX. a *Solari* Cyclo XIX. hora 1, minutis 27.′ 31.″ 55.‴ deficere, nostrum juxta computum: a quo longius cum Clavio abest Petavius. Doct. temp. lib. 3. cap. 10, *Lunaris* Cycli a Cyclo *Solari* defectum horarum 7, min. 27.′ 32.″ 42.‴ faciens, ideo quod Cyclum, qui a *Metone* dierum 6940. factus est, faciendum ipse dierum 6939, horarum 16, min. 32.′ 27.″ 18.‴ putaverit. *Solaris* enim annus *Julianus* siquidem constare diebus 365, horis 6. suppositus fuerit, inde fit, ut in annis 19. summa dierum 6939. cum horis 18. insit. Quilibet vero Mensis *Lunae* Synodicus quum dies 29, horas 12, min. 44.′ 3.″ 11.‴, communiorem juxta opinionem, colligat,

gat,

gat, quae duodecies, ideſt per Menſes XII, multiplicata ſumma producit anni *Lunaris* Communis quantitatem dierum 354, horarum 8, min. 48.′ 38.″ 12.‴, iſthaec vero quantitas in annos *Lunares* 19. ducta efficit dies 6732, horas 23, min. 24.′ 5.″ 48.‴, quibus additi Menſes *Embolimaei* VII, quot ſcilicet in annis 19. intercalari ſolent, ſive dies 206, cum horis 17, min. 8.′ 22.″ 17.‴, exſurget inde ſumma dierum 6939, horarum 16, min. 32.′ 28.″ 5.‴ Jam vero ex diebus 6939, ac horis 18, quot diebus Annos *Solares* 19. conſtare diximus, ablatis diebus 6939, ac horis 16, min. 32.′ 28.″ 5.‴, relinquentur dies 0, hora 1, minuta 27.′ 31.″ 55.‴. Itaque Cyclo *Solari* annorum 19. *Lunaris* Cyclus totidem annorum 19. minor eſt hora 1, min. 27.′ 31.″ 55.‴ Idipſum rurſus ſequenti demonſtratur calculo. Menſis *Lunae* Synodicus dierum 29, horarum 12, min. 44.′ 3.″ 11.‴ ſumptus vicibus 235, prout nempe *Lunationes*, ſive *Syzygias* totidem 235. complectitur integer Cyclus XIX. *Lunaris*, ſive Annos *Communes* 12, ac *Embolimaeos* 7, *Lunationum* 13. ideſt, efficit dies 6939, cum horis 16, minatis 32.′ 28.″ 5.‴ Aſt enim *Solares* anni 19. efficiunt dies 6939, cum horis 18: itaque *Syzygiae* 235. a *Solarium* annorum 19. ſpatio deficiunt hora 1, min. 27.′ 31.″ 55.‴ Quò fit, ut quum *Sol* vigeſimum annum ingreditur, jam tum *Luna* per ſpatium horae 1, ac fere dimidiae *Syzygiam*, ſive *Lunationem* 236. inceperit, ita ut *Novilunium*, quod anno 1. Cycli XIX. Januarii V. g. die 20, hora 10. confectum fuerat, Cycli XIX. anno 20, ſive poſt 19. anno 1. eadem Januarii die quidem *Novilunium* conficiatur, aſt non eadem hora 10, ſed hora 8, min. 32.′ 28.″ 5.‴ Inde ſequebatur itaque, quod annorum 304. ſpatio, quo *Enneadecaeterides* XVI. interſunt, Προήγησις iſthaec Σεληνιακή *Lunaris Praeceſſio* eſſet horarum 23, min. 20.′ 30.″ 40.‴, hoc eſt diei 1. fere integrae ſpatium intercederet, quo *Solem Luna* praeceſſerat; atque ſpatio annorum 312. ſolidus anticiparetur dies, adeo ut idem *Novilunium*, quod E. g. hoc anno 1766. die 11. Januarii hora 9, min. 3. contigit, poſt annos 312. Januarii die 10, hora 9, min. 3. retrovertendum ſit. Hoc itaque ſpatium a Kalendarii Artificibus diu neglectum maximam paullatim in *Noviluniorum*, atque *Pleniluniorum* calcu-

calculos labem invexit; adeo ut anno 1582, quo Fasti *Gregorii* XIII. P. M. opera correcti demum sunt, *Lunaris* Προήγησις *Antecessio* deprehensa quatridui circiter fuerit a tempore *Nicaeni* Concilii, nempe in annis 1257, qui *Enneadecaeterides* paullo plus 66. conficiunt. De altero, quo eadem Metonis *Enneadecaeteris* laborabat vitio, dicam paullo infra, deque medica eidem a *Gregorio* XIII. tandem imposita manu.

XIV. Priori ergo, quo *Metonica* laborabat *Enneadecaeteris*, sive Periodus XIX, errori ut obviam iret *Calippus*, Periodum ipse quadruplo majorem adsumendam fore putavit, Cyclum idest ex *Metonico* quater in se ducto conflatum, sive *Solarium* annorum 76. spatium, quo *Syzygiae* 940, hoc est *Lunares* dies 27758, horae 18, minuta 9.' 52." 20.''' comprehendebantur, quae minimum a spatio annorum 76. *Solarium*, sive a dierum 27759. summa differebant, relictis tamen eo, quo jam pridem in *Metonica* erant Periodo, situ *Embolimaeis*, ut Isag. Astrom. cap.6. indicat Geminus. Atque Periodus isthaec porro ab Astronomis, velut omnium exactissima, vulgo ambabus ulnis admissa fuit, adeoque ut Ptolemaeus ipse eadem haud raro sit usus; eamdemque Τοῖς Φαινομένοις Caelestibus *Apparentiis* quammaxime consonam adpellare non dubitavit Geminus Elem. Astron. cap.6. edit. Petavii Oper. T. III. p.23. Duplicem porro a *Calippo* institutam fuisse Periodum LXXVI, alteram *Lunarem*, exordio ab Autumno ducto, Periodi Julianae anno 4383, quo ab *Alexandro M.* ad Arbelam reportata de *Dario* victoria est; alteram Πρυτανείαν, in gratiam Athenienſium nempe, Periodi Julianae anno 4384, cardine *Solstitio* ab Aestivo capto, quo nempe *Prytanes* munus, diebus 35. duraturum, inire solebant, pro more commentus est Scaliger de Emend. temp. lib.2.p.84.sqq., & p.91.sqq., lib.4.p.421.sqq.; ac Isag.Can.lib.1.cap.8, & lib.3. cap.8, quem multo castigavit merito nomine Petavius Doct. temp.lib.2.cap. 16.sqq., & lib.4.cap.28.&c. Juxta Petavium itaque cap.19.sq. lib.2, & cap.22.sq. lib.4, Var. Dissert.ad Uranolog.lib.6.cap.2, ubi adversus Salmasium gravissime disputat, ac Ration. Temp. Par.II. lib.1. cap.5, juxtaque Dodwellum de Cyclis Graecor. &c. dissert.2, primus quidem Cycli XIX. *Metonici*, sive *En-*

neadecaeteridis annus incidit in annum 1. Olympiadis 87, Periodi Julianae 4282, Christianam ante Aeram 433, ac *Neomenia* prima, sive *Novilunium* primum, a quo *Metonica* incepit Ἐννεαδεκαετηρίς, fuit dies 16. Julii in Attico Meridiano anni mox recensiti; primus vero Periodi LXXVI. *Calippicae* annus in Olympiadis 112. annum 3, Periodi Julianae 4384, Christi ante natalem 331. incurrit, exordio a *Solstitio* Aestivo ducto, sive a Junii die 29, quo *Darius* ad Arbelam devictus ab *Alexandro M.* fuit: quod multis ostendit Petavius ex Observationibus a Ptolemaeo Almag. lib.3. cap.1, Graece p.60, lib.4. cap.5, Graec. p.142, & lib.7. cap.3, Graece p.169, atque liquido ipsius Ptolemaei testimonio quammaxime lib. 3. p.63, quo loci *Solstitium* ab Aristarcho Τῷ ν' ἔτει λήγοντι τῆς πρώτης κατὰ Κάλιππον Περιόδου *Anno 50. Periodi I. Calippicae desinente* observatum fuisse diserte refert: quò patet ab ipso *Solstitio* Periodum incepisse *Calippicam*. Quare proposito quovis anno Periodi *Calippicae*, si congruentem ei in *Juliana* Periodo quaeras annum, Periodos *Calippicas* completas duc in 76, productum anno decurrente adauctum ad Periodi *Julianae* annos 4383. completos adjunge, & aggregatum est annus Periodi *Julianae* quaesitus. E. g. Ptolemaeo referente Almag. lib.6. cap.5. apud Usserium in Annal. Vet. Test. Aetate M. VI. p.345, anno 37. Periodi tertiae *Calippicae*, Aerae *Nabonassari* 607, Mensis Aegyptii *Tybi* die 2, quae fuit Januarii dies 27. desinens, hora 2. ante mediam noctem in Insula Rhodo *Lunae Eclipsis* ab Hipparcho est observata. Duas itaque Periodos *Calippicas* integras si multiplices in 76, productum erit 152, quod annis 37. decurrentis Periodi tertiae *Calippicae* augendum est, eritque summa 189, quae aggregata Periodi *Julianae* annis 4383. producit 4572: qui est annus *Julianae* Periodi, quo *Eclipsis* illa contigit. Vicissim ex Periodi *Julianae* anno 4572. detractis annis 4383, relinquentur anni 189, qui per 76. divisi in quoto exhibent 2, in residuo 37: igitur anno *Julianae* Periodi 4572. annus 37. Periodi tertiae *Calippicae* iniit, quo celebris illa Rhodi *Lunae Eclipsis* observata Hipparcho est.

XV. Altero quoque vitio laborare *Metonis* Cyclum XIX, sive

sive *Enneadecaeteridem* animadversum demum est, quod anno nempe mere *Juliano Solari* usus sit Meton, ideft diebus 365, & horis 6. constante; quandoquidem, uti super. Proleg. IV. §. 2. p. 5. ostendimus, quilibet revera *Solaris* annus dies 365, horas 5, minuta 49.′ circiter haud amplius complectatur; indeque fiat, ut in *Solaribus* annis 19. colligantur dies 6939, horae 14, minuta 31.′, adeo ut *Lunaris* Cyclus XIX. *Solarem* superet horis 2, minutis 1.′ 28.″ 5.‴, ideoque spatio annorum 209, in quo *Enneadecaeterides* XI. recensentur, excessus sit horarum 22, min. 16.′ 8.″ 55.‴, quibus a *Lunari* Periodus *Solaris* XIX. deficit: quae ideo correctione indiguit, sicuti factum denique *Gregorii* XIII. opera suo planum infra loco fiet. Jam vero tantum abest, ut punctum omne prorsus tulerit *Calippi* Periodus LXXVI, quod neque priorem omnino sustulit penitus errorem: post annos 76. quippe *Solis* inter, ac *Lunae* rationes discrimen adhuc horarum 6. circiter mansit ante, quam ideft *Luna* ad idem cum *Sole* punctum, unde digressa fuerat, perinde regrederetur; adeoque ut post *Callippicas* Periodos 4. *Solaris* Periodi supra *Lunarem* excessus diei unius fere esset. Sed & alter ex Periodo *Calippica* LXXVI. sequebatur error annorum 300. spatio. Siquidem enim *Calippus* anno *Juliano*, qui alioqui fuerat emendandus, dierum $365.\frac{1}{4}$ contra & ipse uti haud dubitaverit; inde fiebat, ut anni 300. colligerent dies 109575, diem 1. ideft amplius, quam totidem *Solares* anni *Tropici* 300. exigerent. Ab *Hipparcho* siquidem *Tropicus* annus *Solaris* anno *Juliano* minor die 0, hora 0, minutis 4.′ 48.″ constitutus fuerit, hinc ipsius opinione in *Solaribus* annis 300. *Tropicis* dies 109574. dumtaxat inerant; ut propterea idem *Hipparchus* apud Ptolemaeum Almag. lib. 3. Graece p. 61. explicite tradiderit in annis 300. *Solarem* annum *Tropicum* diebus 5. minorem esse totidem annis *Metonicis* 300, a *Metone* quippe *Solaris* annus dierum 365, hor. $6.\frac{1}{19}$, supra *Julianum* nempe horae 1. parte 19. major, definitus fuisset, Gemino, ac Censorino testibus; quò fiebat, ut in annis 300. *Metonicis* dies 109579. minus $\frac{1}{9}$ diei 1, ideft hora $1.\frac{5}{19}$ minus, inessent; atque in annis 300. *Tropicum* annum *Solarem* mi-

N 2 norem

norem esse totidem *Calippicis* 300. die 1, a *Calippo* utpote *Tropicus* annus *Juliano* fuisset aequatus.

XVI. Quamobrem annis post *Calippum* 200. circiter *Hipparchus*, quem Ἄνδρα Φιλαλήθην Ptolemaeus, ac Plinius *Consiliorum Naturae participem* adpellare non dubitarunt, haud utique ex sola *Julianae Solaris Enneadecaeteridis* cum *Lunari Metonica*, & *Calippica* Periodo collatione, unde *Solarem* hora solida 1, ac sesquialtera hora fere *Lunari* majorem esse deprehenderit, qua perinde methodo pariter usus sit Ptolemaeus, veluti Scaliger de Emend. temp. lib.2. p.108.sq., & lib.4. p.273.sq., ac Isag. Can. lib.3. cap.5.p.256. persuasum habuit, aliisque ipsum pone sequutis persuasit; bene vero ex diuturna *Aequinoctiorum*, atque *Solstitiorum* observatione, uti multis suadere Petavius Doct. temp.lib.2. cap.33, & lib.4. cap.18. adnixus est, ut huicce *Calippicae* Periodi errori obviam iret, novi Cycli auctorem se praestitit, ex quatuor *Calippicis* conflati, quo scilicet *Enneadecaeterides* 16, sive anni 304. contrahuntur. Isto nempe Cyclo, & adjectione Mensium *Intercalarium* 112, quorum sexdecim diebus 29, reliqui diebus 30. perficerentur, *Aequinoctia*, atque *Solstitia* ad sua restituisse principia sibi visus est, diem 1. *Intercalarem* omittendo, ut Mensium initiis rite *Novilunia* responderent. Verbo. Ptolemaeo teste Almag. lib.3. Graece p.63. ab *Hipparcho* *Syzygia* ex diebus 29, horis 12, min. 41.′ 3.″ 20.‴ constituta est, unde *Lunaris* annus dierum 354, hor.8, min.48.′ 42.″ exsurgit: quò fit ideo, ut in *Lunaribus* annis 304, sive *Calippicis* Periodis 4, sive *Metonis Enneadecaeteridibus* 16. dies 111035, hora 0, minuta 48.′ 53.″ 20.‴ inessent. In *Julianis* vero annis 304. quum dies 111036. insint, inde sequitur, ut *Julianorum* 304. excessus supra *Lunares* totidem 304. esset horarum 23. min.11.′ 6.″ 40.‴; unde diei 1. *Intercalatione* in annorum 304. spatio omissa, sive *Calippicis* e Periodis 4. die 1. exempto, *Solis*, atque *Lunae* ratiocinia proxime ab *Hipparcho* reconciliata fuere; deficientibus tamen minutis 48.′ 53.″ 20.‴, ut justa peraequatio fieret: quae sane peraequatio annorum 408, aut 410, aut 412. spatio fieri utique contigisset, quo

tem-

temporis intervallo a *Julianis* diebus 110136. solida, integraque dies exempta rite fuisset.

XVII. Itaque ex hoc ipso capite vitio haud vacasse *Hipparchi* Periodum CCCIV, sive ab eo, quo *Calippica* LXXVI. laborabat, vitio haud omnino ab *Hipparcho* liberatam fuisse aperte constat, in qua scilicet *Hipparchaea* Periodo CCCIV. ad *Lunae* paria cum *Sole* facienda integra eximenda dies jubetur, quum horae 23, minuta 11.′ 6.″ 40.‴ dumtaxat eximenda fuissent. Multo vero minus *Hipparchaeae* Periodi CCCIV. beneficio vitium, quo *Calippica* LXXVI. laborabat, praecaveri alterum potuit, *Solaris* nempe *Juliani*, sive *Calippici* anni supra *Tropicum* intra spatium annorum 300. diei unius excessus; ut proinde ab *Hipparcho* non tam de nova *Solis*, atque *Lunae* rationibus aequandis Periodo cogitatum fuisse, quam de gemino, quo cum *Methonica* XIX, tum *Calippica* LXXVI laborabat vitio Periodus, *Hipparchum* se dedisse sollicitum persuasum habuerit Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 32. sq., & lib. 4. cap. 18. sq. Ast enim neque sic ex sententia *Hipparcho* successit, ut tam accurate *Solaris* Periodi XXVIII. supra *Lunarem* XIX. excessum definiret: *Lunaris* quippe Periodus XIX. a *Solari* XIX. spatio horae 1, minut. 27.′ 32.″ 41.‴, atque a *Solari* XXVIII. differentia horarum 2, minut. 21.′ 28.″ 5.‴ superari postmodum deprehensa est, adeo ut annorum 310, aut 312. intervallo *Novilunia*, & *Plenilunia* die 1. integro anticipare comperta sint; quam *Tropici* anni a *Juliano* defectum exacte determinaret; postea siquidem *Juliano* minor anno *Tropicus* hora 0, minutis 11.′ 14.″ 43.‴ repertus sit: praeterquam item quod ab *Hipparcho* neque *Solstitiorum*, atque *Aequinoctiorum* praecessiones justo circumscriptae fuerant termino, gradu 1. scilicet annorum 100. spatio. Quo factum est, ut duplex, qui *Julianum* in Kalendarium irrepserat, error, eoque Festa perturbari exinde sequebatur, emendari adhuc indiguerit: qua de emendatione demum a *Gregorio* XIII. adhibita, suo, quum de Periodis disputatio instituetur, abunde loco, si Superis placebit, agendum erit.

XVIII. Age modo pro Cycli *Solis* XXVIII, atque *Lunae* XIX. coronide, de Methodo inveniendi *Aureum Numerum*, sive

ſive Cycli XIX. quemlibet annum, haud difficili alioqui, tum ante, tum poſt Chriſtum natum obiter dicere incumbit. Atque ſiquidem ex communi Chriſtianorum conſenſu anno, qui proxime vulgarem Chriſti D. natalem anteceſſit, *Aureus Numerus* I, ſive Cycli XIX. *Lunaris* annus I. adfixus fuit, adeo ut primus Aerae Chriſtianae annus Cycli XIX. *Lunaris* fuerit annus 2, ſive pro *Aureo Numero* tulerit 2, inde fit, ut Annis Chriſti ante natalem, unitate dempta, reliquis per 19. diviſis, quod relinquitur, id *Aureus Numerus* ſit, ſive Cycli XIX. *Lunaris* annus quaeſitus. Ita V. g. ab Anno Chriſti ante natalem 50. unitate dempta, ac reliquis 49. per 19. diviſis, ſupereſt 11, qui Chriſti ante natalem anno 50. fuit *Aureus Numerus*, ſive Cycli XIX. *Lunaris* annus 11. E converſo ſi Cycli XIX. *Lunaris* annus, ſive *Numerus Aureus* quaeratur in annis Chriſti poſt natalem, ſive Aerae Chriſtianae, quum primus Chriſtianae Aerae, ſive poſt Chriſti natalem annus in Cycli XIX. *Lunaris* annum 2. inciderit, uti dixi, ſive *Aureus Numerus* 2. fuerit, proinde Anno Chriſti propoſito addita unitate, ac reliqua ſumma diviſa per 19, quod ſupereſt, erit *Aureus Numerus*, ſive Cycli XIX. *Lunaris* annus quaeſitus. Ita E. g. ſi futuri Chriſti anni 1770. ſcire deſideres quotus futurus ſit Cycli XIX. *Lunaris* annus, ſeu *Aureus Numerus*, anno propoſito 1770. addita unitate fit 1771, quae ſumma diviſa per 19. relinquit 4: itaque futuro anno Chriſti 1770. *Aureus Numerus* erit 4, ſive Cycli XIX. *Lunaris* annus 4. erit. Methodum hancce porro inveniendi propoſiti Aerae Chriſtianae anni Cycli XIX. *Lunaris* annum, ſive *Numerum Aureum*, juvandae memoriae gratia hi duo exprimunt Verſiculi.

Unum addes Annis Domini, ſummamque Novenis,
Et denis tribues, Numerus tibi ut Aureus adſit.

XIX. Jam vero invento Cycli XIX. *Lunaris* anno, ſive *Aureo Numero*, haud arduum erit *Paſchalis* feſti diem invenire. In Tabula namque Temporaria Feſtorum Mobilium Breviariis, atque Miſſalibus adponi ſolita e regione *Numeri Aurei* dies indicatur *Paſchatis* celebrandi. Ita E. g. Anno 1770. *Aureus Numerus* erit 4, Littera *Dominicalis* G, utrique vero e regione reſpondet dies 15. Aprilis, qua ideo *Paſcha* celebran-

brandum indicitur. Si vero *Pascha* secundum veterem stylum adinvenire desideres, adeunda est Tabula Paschalis Antiqua Reformata, ubi I. Columna *Aureos Numeros* exhibet. II. *Epactas*. III. Litteras *Dominicales*. VI. Dies *Martii*, & *Aprilis*, intra quos *Pascha* incidere potest, idest a *Dominica* citima Martii die 22, ad remotissimam *Dominicam* Aprilis diem 25. In ea itaque Tabula Paschali reperto, methodi supra expositae ope, *Aureo Numero*, & infra Numerum ipsum reperta Littera *Dominicali*, e regione ipsius dies indicatur, quo celebrandum esset *Pascha* veteri stylo, Ita V.g. Anno 1770. *Numerus Aureus*, uti supra dixi, erit 4: namque 1770. additus 1. efficit 1771 qui divisus per 19. efficit in quoto $93\frac{4}{19}$. Itaque a Natali Domini anno usque ad annum 1770. Cycli XIX. *Lunares* integri 93. interfluent, eodemque futuro anno 1770. Cycli XIX. *Lunaris* 94. numerabitur annus 4, sive *Numerus Aureus* 4. erit; Littera *Dominicalis*, nisi emendata fuisset, C futura esset: ab ipsa namque duabus ablatis B A, reliqua G *Dominicalis* erit *Gregoriana* eodem anno 1770, juxta regulam supra traditam de *Gregoriana* Littera *Dominicali* reperienda in anno *Juliano*. Igitur infra *Numerum Aureum* 4. Litterae *Dominicali* C respondet dies 18. Aprilis, quo *Pascha* veterem juxta stylum celebrandum anno 1770. foret: quo tamen anno juxta stylum novum Aprilis die 15. celebrandum erit. Nempe *Aureo Numero* 4. indicatur *Novilunium* Martii *Paschale*, ab eodem *Numero* 4. computatis diebus 14. habebitur *Plenilunium*, post hos itaque dies 14. reperta littera *Dominicali* C designabit pro die *Paschali* Aprilis diem 18. in anno *Juliano* 1770, in eodemque *Gregoriano* Littera G diem 15. Aprilis ostendet.

XX. Ejusmodi denique Cycli XIX. *Lunaris* ope, sive *Aurei Numeri*, deprehendere licet dies, in quos *Novilunia*, atque *Plenilunia* quotannis incurrunt, absque Tabulis Astronomicis. Veteres porro, queis, uti paullo superius indicavi, usu *Julianus* veniebat annus, ea persuasione decepti, quod post annos 19. elapsos, *Novilunia* ad eamdem prorsus diem redirent, sequenti proinde Methodo, quam ignorare nefas est, pro reperiendis *Noviluniis* ope *Aurei Numeri* ad Kalendarii mar-

marginem adſcripti uti ſolebant. Ita. E. g. quum obſervaſſent *Novilunium* Cycli XIX. anno I. contigiſſe Januarii die 23, Februarii die 21, Martii die 23, ſicque deinceps uſque ad finem anni, dies hos in Kalendarii margine adnotabant Numero 1; anno 2. vero animadvertentes *Novilunia* diebus 11. antegreſſa cecidiſſe Januarii die 12, Februarii die 10, Martii die 12. &c., ad iſtos dies Numerum 2. adpingebant. Anno 3. deinde *Novilunia*, diebus 11. item antevertentia, commiſſa fuiſſe deprehendentes Januarii diebus 1, & 31, Martii diebus 1, & 31. &c., dies hoſce Numero 3. obſignabant, atque ita deinceps in annis ſequentibus uſque ad annum 19. expletum dies Menſium uſque ad finem anni, quibus *Novilunia* contigiſſent, Numeris 4. 5. 6. &c. denotare conſuebant. Inde facile ipſis obtingebat *Novilunia* in quolibet anno, *Numeri Aurei* ope nempe, reperire. Ita V. g. propoſito anno 325. Aerae Chriſtianae, quo Nicaena Synodus habita eſt, Cyclus *Solis* erat 26, *Lunae* Cyclus 3. Itaque *Aureus Numerus* 3. quaeſitus in Januario dies 1, & 31, quibus adpoſitus erat, pro *Novilunio* indicabat, in Martio pro *Novilunio* item dies 1, & 31, in Aprili diem 29, ſicque deinceps. Jam vero eadem, vitioſa etſi Methodo, emendato vitio, nobis uti licet ad *Novilunia* invenienda *Numeri Aurei* beneficio, modo ſingulis annis 312. ſolida detrahatur, integraque dies, & ab anno propoſito, in quo *Novilunia* quaeruntur, detrahantur anni 325, quo Synodus Nicaena celebrata eſt: quo anno in Kalendariis *Aurei Numeri* deſcribi ceperunt. Ita E.g. ex hoc anno decurrente 1766. ſubductis annis 325, relinquuntur anni 1441, quibus diviſis per 312, quotiens eſt 4, reliquum anni 193. Quotiens 4. itaque *Novilunia* quatuor diebus a Nicaeni Concilii tempore ad hunc annum 1766. retroverſa demonſtrat, ac reſiduum 193. praeterea indicat eadem *Novilunia* horis 14. fere antegreſſa fuiſſe. Hoc item anno 1766. Cyclus *Lunae* eſt 19, qui in Kalendario quaeſitus in Martio indicat diem 13. pro *Novilunio*, juxta veterem ſtylum: quo a die 13. detractis diebus 4, & horis 14. circiter, reliqua dies 9. hora 10. circiter erit dies *Novilunii* Martii anni 1766, juxta ſtylum novum: quae die haud integro a die Aſtronomico *Novilunii* aberrabit. Diei huicce

10.

10. die 1. fere adauctae diebus 15. additis habebitur dies Martii 26: qua die sane *Paschale* obtinget *Plenilunium*. Ex duobus porro *Solis*, atque *Lunae* Cyclis hactenus explanatis, Periodis hoc est annorum 28, ac 19. celebris illa conflata est Periodus *Victoriana*, quae a *Victore* Aquitano tempore, hortatuque *S. Hilari* P. M. anno 457. instituta fertur; aut *Dionysiaca* nuncupata a *Dionysio* cognomento *Exiguo*, qui ad conciliandum discrimen, quod circa *Paschatis* celebrationem Romanos inter, & Alexandrinos vertebatur, eamdem adhibere non dubitavit. Qua de Periodo tamen, una cum aliis longe plurimis suo disputandum copiose loco suscipiam, postquam de Mensibus, & Annis, qui Gentibus adhuc plerisque adhibiti fuere, disputationem absolverim, & ad umbilicum usque perduxerim.

DE
MENSIBUS, ET ANNIS

Arabum, sive Hagarenorum, Mohammedanorum, seu Arabum Sinensium, Tartarorum, sive Ougurorum, Mogullensium, sive Indostanorum, Turcarum, sive Mohammedanorum.

ARTICULUS I.

I. AD Arabum Menses, & Annos nostra antequam se transferat oratio, eorumdem de origine, & antiquitate paucis, quoad ejus fieri poterit, quantumve praestituti operis ratio deposcit, atque temporis permittit angustia, disserere, unde lux dicendis adfulgeat haud parva, operae pretium est. Atque in *Indigenas* primum, & *Alienigenas* Gentem partiri suam Arabibus vulgo Scriptoribus in more positum est. Quamquam fluxa hi admodum fide laborant, quam ut ipsis tuto quis adquiescat, qui utpote longissimo suis ab originibus distant intervallo. Deperditis enim temporum injuria, siquae vetustiora extitere, Gentis monumentis, Genteque tarda admodum sub aetate litteris addicta, recentiora sunt quam nimis, ut fidem obligent nostram, quae ejusdem de Gentis antiquitate venditantur.

tur. Primi namque Arabum, qui libris, hisque quidem *Alcorano* illustrando dicatis, elucubrandis operam impenderint, sub Dynastia *Ommiadum* aliis fertur *Imam Abdol Melik*, filius *Abdolazizi*, qui vita functus est Hegirae anno 155, Christi 771; in hanc ab aliis laudis partem advocatur *Abounassar Said*, filius *Abou Arouba*, qui anno insequenti Christianae Aerae 772, Hegirae 156. mortem oppetiit; aliis jactatur *Rabia*, filius *Sabib*, qui Hegirae anno 160, Christi 776. finem vivendi fecit. Nec ante sane Philosophiae Arabes operam dedisse leguntur, quam sub *Abou Giafar Al-Mansor*, in Dynastia *Abbassidarum* Kalipha II, qui mortalitatem explevit Hegirae anno 158, Aerae Christianae 774; magisque sub *Al-Mamon*, in eadem *Abbassidarum* Dynastia Kalipha VII, vita functo Hegirae anno 218, Christi 833, cujus opera, e Constantinopoli libris Platonis, Aristotelis, Hippocratis, Galeni, Euclidis, Ptolemaei &c. impetratis, litterae apud Arabes florere ceperunt: videndique Herbelotus Bibl. Orient. p. 545. sq., ac De Guignesius Hist. gen. Hun. T. I. lib. 6. de Arab. p. 315. sq. Ut Arabum tamen Scriptorum fert opinio, siquo in pretio habenda sit, *Indigenae*, sive Αὐτόκτιστοι audiunt, qui omnium primi Arabiam, (olim Hebraeis עֲרָבִים *Arbim*, Syris *Arbajam*, Popularibus *Arab*, a Regione עֲרָב dictam, nomine vel a *Desertis* locis derivato, uti volunt aliqui, nam עֲרָבָה *Arabah*, non vero עֲרֻבָּה *Arubbah*, quod est *Pignus* I. Reg. XVII. 18, & Prov. XVII. 18, uti perperam scripsit Clodius in Lex. Selecto p. 392. Hebraeis, Syris, Arabibus Desertum sonat, quo de Schultensius de defect. ling. Hebr. p. 88, ac Zanolinus in Lex. Hebr. p. 359; vel a *Mixtione* Populi, non quod ex mixto nempe complexu progeniti Arabes fuerint, veluti perperam Hofmanno in Lex. V. Arabia visum, sed quia scilicet ex diversarum colluvie Gentium orti Arabes fuerint, unde עֲרָב *Arab* idem est, ac *Miscuit*, unde עָרֹב *Arob* derivatur, *Mixtura* idest, sive *Colluvies*, velut ex Syro Auctore censent Ecchellensis in Hist. Arab. cap. 2, ac Gussetius in Lex., conferendique Hillerus Onom. Sac. p. 50, 160, & 824, ac Simonius Dict. p. 107; vel a radice עֶרֶב *Ereb*, quod est *Vespera*, sive עֹרֵב *Oreb*, quo *Corvus* significatur, a *Nigredine* idest, uti Bo-

 char-

chartus in Phaleg, five Geogr. Sac. Par.I. lib.4. cap.2. p.216. exiftimat; vel a *Jaarab*, feu *Arab Cathani*, feu *Jectanis* filio; quae communis Arabum perfuafio eft apud Ecchellenfem Hift. Arab. cap. 2, Chronico Orient. edit. Ven. p. 109. fq. inferta: quamquam *Jarabum*, non ex *Jectanis*, fed ex *Ifmaelis* pofteris defcendiffe obfervat Cl. Affemanus in Differt. de Syris Neftor. cap. 10. §. 1. n.7. Bibl. Orient. T. IV. p. 565. fq., ubi priori, quae Ecchellenfi probata eft, adhaeret ipfe opinioni); Arabiam, inquam, primi inhabitandam fufcepere: qui nempe tum ex *Jectane Heberi* filio, ejufque filiis, tum ex *Sabo* filio *Chufi*, ac filiis ejufdem progeniti fuere; queis de fufe Ecchellenfis Hift. Arab. cap.3. p.111. fqq., Bochartus Geog. Sac. lib. 4. cap. 8. fqq. p. 221. fqq., ac Blanchinius Hift. univ. cap.30. p.424. Atque ex hifce praecipuas feptem *Indigenarum* Arabum genealogias enumerare fas Ecchellenfi fuit, & Affemano in Differt.4.§.10. Chron. Orient. adjecta edit. Ven. p.236. fqq. Quarum I. *Tatabitarum*, fic denominata a *Tataba* filio *Homairi* primogeniti *Sabae* filii *Heberi* eft. II. *Taitaram*, nomine accepto a *Tajo* filio *Adadi*, filii *Zaidi*, filii *Cahlani*, filii *Sabae*. III. *Madhagitarum*, ita dicta de *Madhagio* filio *Adadi* altero. IV. *Hamdanidarum*, origine ducta ab *Hamdado*, filio *Rabibae*, filii *Hajani*, filii *Madhagii*. V. *Tauritarum*, derivata a *Tauro*, filio *Hofairi*, filii *Harethae*, filii *Zaidi*. VI. *Maraditarum*, orta a *Marado* filio *Cahlani*. VII. *Agaritarum*, indita nuncupatione ab *Agaro* filio *Cahlani* altero: e quibus aliae fubinde, aliaeque fubortae cognationes funt, in quarum tamen recenfione Scriptorum Arabum fidei valdequam fublеftae parum fidendum eft, queis utpote Gentis origines fabulis non tam amplificare, quam inquinare, cujufmodi funt, quae de Familiis *Adi*, & *Thamoudi* ideo a Deo exterminatis, quod in Patriarchas *Saleh*, & *Heberum* rebelles fuiffent, quae de *Tafmi*, & *Giadis* familiis, Diluvio, *Irem* dicto, five *Magno* abforptis &c. referri folent, familiare fuit.

II. Altera jam vero, in quam Arabum difpefci Natio folet, *Alienigenae* funt, ita adpellati, qui ex *Abrahamo* cum per *Ifmaelem* ex *Hagare*, tum per filios alios ex *Chetura* fufceptos, originem duxere, atque fedem in Arabiam deportarunt.

runt. Inter hasce porro Cognationes, undecim praesertim Arabibus Scriptoribus apud Ecchellensem in Chron. Orient. p.112. sqq., & Assemanum ibid. p 240. enumerari solent, a totidem idest *Ismaelis* filiis, *Cedare*, *Hamelo*, *Nabeto*, *Salamano*, *Hamisabe*, *Adado*, *Ado*, *Adnano*, *Maado*, *Nazaro*, *Massaro* progeniti: e quorum filiis aliae perinde, aliaeque Genealogiae prodiere, queis de fuse loc.cit. Ecchellensis. E *Cedare* porro genealogia *Mohammedis* deduci Arabibus vulgo solet: quos attamen in *Cedaris* posteris recensendis usque ad *Adanum* patrem *Maadi* per annos bis mille, quingentos, & amplius longo inter se discrepare Mohammedanos intervallo Viris doctiss. observatum est Herbeloto Bibl. Orient. p. 63, & 120, Marraccio in Refut. Alcorani Par.I. p.10, & Assemano Bibl. Orient. T. IV. p. 574. sq. Inter hasce tamen Genealogias ex *Cathano* filio *Heberi* altero deductae quatuor aliae illustriores Arabibus celebrari solent. I. *Chetemitarum*, a qua egregie *Phatemitarum* imperium adjutum fuisse, promotumque fertur. II. *Sanhagitarum*, quae suo totam, qua late patet, Africam olim imperio subjecisse perhibetur. III. *Zanatitarum*, e qua suborti *Talemsami* Reges, atque *Salgiamasae* referuntur. IV. *Massamaditarum*, Duni Montis habitatorum, e qua Kaliphae regnasse traduntur usque ad Hegirae annum 652, Aerae Christianae 1254. a die 21. Februarii initae. Quatuor hisce viginti quinque aliae minus illustres adcenseri Familiae solent ab Arabibus, queis de loc. cit. Ecchellensis, & Assemanus: quamquam de hisce, quemadmodum de aliis definiri certi quidquam nequeat. Inde factum itaque puto, quod aliis duas tantum in Tribus tota Gens Arabum divisa fuerit, in *Indigenas*, qui ex *Jectane* descendisse censentur, ideoque *Arab Al-Ariba*, idest *Arabes Genuini* nuncupati; atque in *Alienigenas*, qui ex *Ismaele* profecti, *Arab Al-Mostaraba*, hoc est *Arabes Insititii*, sive *Inquilini* adpellati sunt. Distingui adhaec Arabes hodie solent in *Cives*, qui Urbes incolunt, & in *Campestres*, qui in Agris pro domibus papiliones habent, ac *Bedovini* dici solent. A Mohammedanis praeterea distingui solent in *Moslemos*, hoc est *Fideles*, qui *Mohammedi* nempe doctrinis imbuti sunt, ac in *Gentiles*, ipsorum lin-

lingua *Al Giabeliat*, , ideſt *Ignorantes*, quos inter Ethnici, Judaei, & Chriſtiani computantur, videndusque Herbelotus Bibl. Orient. p.120. Veterum in Arabia Regum Dynaſtias quod attinet, ſex nobis praecipuas ſuppeditavit Pocockius in Specim. Hiſt. Arab. p.55. ſqq., ac poſt ipſum Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. lib. 3. cap. 15. p. 294. ſqq., De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. lib.6. de Arab. p.317. ſqq., & Herbelotus Bibl. Orient. p.444, 477. &c. I. *Jemenitarum* Regum, ſive *Hemiaritarum*, vulgo *Homeritarum*, qui regnarunt in Jemen, hoc eſt Arabia *Felici*, in qua Reges e J*aarabo* filio *Cahtani*, ſive J*ectanis*, filii *Heberi* prognati XLVIII, inter quos poſt J*aarabum* regnum obtinuiſſe feruntur J*aſchabus* filius, *Sabus*, iſtiusque filius *Hemiarus*, unde *Homeritae* derivati; quique in ſerie hacce Regum XVII. fuit, *Africhis*, ſuam in poteſtatem *Africa* traducta, ei ſuo de nomen feciſſe traditur. Poſt hunc ex *Homeritis* regnaſſe per annos 2020, juxta alios per annos 3000, Reges alii XXVI. referuntur, in quibus *Hadhadus* XX. pater *Balkis* Reginae, *Salomonis* conjugis fertur; *Kolaikarbus*, aliis *Malik* J*acrab* XXX. inter Arabes Judaiſmum dicitur invexiſſe; *Dzoudgiadanus* XLIII, Chriſtianorum perſecutor, ab Aethiopibus regno exſpoliatus eſt, ab *Ariathe* nempe, *Abrahami* Aethiopiae Regis filio, quo de Herbelotus Bibl Orient. p.12, quem tam in Aethiopiae, quam Arabiae *Felicis* imperio tres alii per annos 80. circiter excepere. Perſarum ope recuperatum ab *Homeritis* regnum, poſtquam in *Seifo*, ejusque filio *Maadikarbo* aliquot permanſiſſet annis, ad Perſas demum translatum eſt, eique a Perſarum Regibus quinque praefecti leguntur 1. *Ouahzar*, 2. *Marzaban*, 3. *Sihan*, 4. *Dgiordgis*, 5. *Buzan*, qui poſtremus in *Mohammedi* partes ſe tranſcripſit. II. Regum *Giorhamidarum*, qui regnarunt in Hedgiaz, ideſt Arabia *Petraea*, ubi inter alias, illuſtriores Meca, & Medina Urbes, ita dicta de *Giorhami*, fratris J*aarabi*, nomine, in qua Reges XII. fuere, quibus dein expulſis, locum ex *Iſmaele* deſcendentes impleverunt. Agit de hacce Dynaſtia ceteris operoſius Mouhibeddinus Aboul Valid Mohammedus Ben Kemaleddinus, vulgo Ben Schohnah in *Raoudhat Almenadhir*, ideſt Hiſtoria gener., in *Meſtab*, hoc eſt Prae-

Praefatione, qua de Herbelotus p. 444, & 792. III. *Hiraitarum* Regum, qui in Iracha Arabica, ſive Chaldaea regnum obtinuere. *Hemiaritae* porro & hi genere fuere, e *Maleko* filio *Cahlani* filii *Sabae* prognati; quorum poſt *Alexandri M.* tempora regnum exordium cepit, eodemque, quo *Arſacidarum* in Parthia, tempore obtinuit; atque in Regibus XXIV. per annos 622, ac Menſes 8. duravit, everſum denique a *Khaledo* filio *Validi Ben Mogairah*, ſtrenuo ſub *Mohammedo* duce, a quo, ob res egregie in bello geſtas, *Saifallah*, ideſt *Dei gladii*, titulo inſignitus fuit apud Herbelotum p. 984. IV. Regum *Gaſſanitaram*, qui e familia *Azadi*, e ſtirpe *Cahlani* filii *Sabae* progeniti, Arabia *Felice* relicta, in *Scham*, ideſt Syria locum inhabitandum advenere, ubi prope *Gaſſanum*, locum aquis redundantem, ſede defixa, inde *Gaſſanitae* nomen obtinuere, eòdem, quò Arabes pridem alii venerant, una cum ipſorum Regibus *Dhagiaamenis* cognominatis, loco pulſis. Hi porro *Gaſſanitae* Reges Arabibus Syriae a Romanis fuiſſe praefecti feruntur; ex hiſque Reges XXI. per annos 400. ante *Mohammedi* natalem, juxta alios per annos 600, juxta Abulfedam per annos 616, regnaſſe uſque ad *Homarum* Kalipham: quorum primus *Giafnah*, e ſtirpe *Maziah* Regis Irachae fuit, poſtremus *Giabalah* primo ſub *Homaro* Kalipha II. *Mohammedo*, deinde Conſtantinopolim ſe recipiens, Chriſto nomen dedit, videnduſque Herbelotus Bibl. Orient. p. 386. ſq. *Hareth* porro nomine potior *Gaſſanitarum* Regum pars delectata eſt, unde Regum *Aretharum* Graecis, ac Latinis efformatum eſt. V. *Chenditarum* Regum, qui numero III. dumtaxat, iique Perſarum Regibus obnoxii, regnum adminiſtrarunt. Dynaſtia iſthaec ab *Hagiare* cognomento *Akel Al-Marar*, e ſtirpe *Zeidi* filii *Cahlani*, filii *Sabae*, fundata eſt; quem excepit filius *Aretas*, iſtumque *Amrilcaìs* filius, quo deinde amoto, regno in Arabia *Felice* a Perſarum Rege *Cobado* admotus *Mondhirus*, ſecta Jacobita, eſt, cui cum *Juſtino* Imp. bellum fuit, quo de Herbelotus p. 620, & 956. ſq. VI. Regum *Laitharum*, quae in Regibus VI. dumtaxat permanſit, qui totidem potius Tribubus in *Hedgiaz*, ideſt Arabia *Petraea*, praefuiſſe videntur. Fundata eſt ab *Amro* filio *Laithi*, unde nomen

men adepta est, fratre *Jacobi*, a quo *Soffaridarum* in Chorasaina, Pharside, sive Perside, ac in Iracha, sive Gebal, idest Parthia, Dynastiae fundamenta posita fuere. Verum haec omnia spissis adeo sunt obsita tenebris, totque scatent undique fabulis, ut quidquam de hisce statuere vix, ac ne vix quidem rite queat. De aliis porro, quae has excepere a *Mohammedi* aetate, ac deinceps, celebrioribus in Arabia Dynastiis, I. *Koraiscitarum*, II. *Ommiadum*, III. *Abbassidarum*, exindeque aliis longe plurimis derivatis, dicam prolixius alibi, quum de Arabum &c. Aeris sermo instituetur.

III. Veteribus jam vero Arabibus tam Menses aliis, quam queis vulgo hodie circumferuntur, nominibus adpellatos, quam Annum *Solarem* fuisse aequabilem, S. Epiphanii adhuc sub aetate, atque a *Vere* incepisse observat Petavius in Adnot. ad S. Epiphanium Haeresi LI. Oper. T. II. p. 133. sq. & Doct. Temp. lib. 2. cap. 34. sqq., ac lib 4. cap. 10. S. Doctori namque inter alios commemorati Menses *Aleom*, & *Angalthabaith* in vulgatis Arabicorum Mensium Parapegmatibus, & Kalendariis jam nullum amplius locum habent. Neque vero *Lunares* hosce fuisse Menses inde liquido patet, quod *Aleom* dies 21. cum die 6. Januarii a S. Epiphanio conjungitur, quae eo *Juliano* anno 44, quo Christi D. Natalis ab eodem consignatur, *Lunae* dies 12. erat *Cyclo* 1: namque ut ex Ptolemaicis Mulleri Tabulis constat, *Neomenia* eo anno Decembris die 26, hora 8, min. 32.' *Cyclo* 19. commissa est; *Angalthabaith* vero dies 22, quo Christi D. Baptismus a S. Epiphanio consignatur, in diem 8. Novembris ab eodem conjicitur: quo fit, ut *Angalthabaith* Neomenia in diem 18. Octobris inciderit, ideoque Menses apud veteres Arabes ad *Solis* periodum exacti fuerint. Adhaec a *Vere* Annum suum Arabes inchoare consuevisse testis accedit locuples Simplicius in Comment. ad Aristot. Physic. lib. 5; atque ita pariter Annum Damascenis, Arabum olim dominio subjectis, auspicari positum in more, nempe circa Τροπὰς Ἐαρινὰς, circa *Conversiones Vernas*, subjungit. Quo loci Petavius Scaligerum pro more suscipit exagitandum, idcirco quod de Emend. temp. lib. 2. p. 110. sqq., & lib. 5. p. 518. sqq., ac Isag. Can. lib. 2. cap. 9, & lib. 3. p. 235, & 485. veteres Arabes,

bes, ut & Chaldaeos, ac Judaeos, *Calippica* anni forma usos fuisse velut e tripode decernat; duplicem quoque Annum usu apud illos venisse, *Damascenum*, sive *Hagarenum*, qui desultorio intercalaretur more, cujusque Periodus *Julianis* annis 228, *Arabicis* 235. definiretur, in qua Menses singillatim omnes annum inchoarent, vicissimque finirent; *Lunarem* alterum, sive *Indicum*, nulla intercalatione adhibita, qui olim Indis usu fuerit, indeque Arabibus, ac praesertim Mohammedanis usurpatus: quodque Hagarenis triplicem adscribere Periodum non dubitet, *Minorem* annorum 30. Solarium, *Majorem* annorum 210, ac *Maximam* Solarium item annorum 228, Arabicorum 235, qua *Muharram* per totum *Solaris* anni contextum vagatus ad eamdem demum redeat diem. Quatenus id totum, ullo absque Auctoris testimonio, in medium Scaliger proferat, atque Periodos hasce, proprio excogitatas marte, velut ab Arabibus ipsis institutas propinet. Tum postremo a Scaligero gravissime peccatum ostendit, quod Periodum *Hagarenam* Arabes inchoasse a *Confusionis* anno, qui proxime *Julianum* I. praecessit, anno Periodi Jul. 4668, de Emend. temp. lib. 2. p. 112. sqq., & lib. 5. p. 518. sqq. scripsit; contra vero Isag. Can. lib. 2. cap. 9. p. 235. Periodi hujus Epocham cum *Antiochena* Aera exordiri, sive ab Imperii *Julii* Caesaris anno 1, Periodi Jul. anno 4666, biennio idest citius, inchoare non ambegit. Cum Petavio, & Scaligero ex parte facit Norisius de Epochis Syromaced. dissert. 2. cap. 2. §. 2. edit. Veron. p. 94. ex eodem similiter S. Epiphanii loco Haer. LI. *Allegorum* veteres apud Arabes *Solarem*, & Aequabilem fuisse annum, eumque anno *Aegyptio* persimilem, quamvis initium a diverso cardine apud utrosque deduceretur, colligens. Siquidem enim S. Epiphanii sententia *Aleon* dies 21. juxta Arabes in diem 6. Januarii, & rursus *Angalthabaith* dies 22. in diem 8. Novembris inciderint, inde patet, quod *Aleon* dies 1. cum die 17. Decembris, ac dies 1. *Angalthabaith* cum die 18. Octobris conferenda est: ab Octobris vero die 18. ad diem 16. Decembris tricennarii duo decurrunt Menses: igitur Arabibus, inquit, Annus *Solaris* erat, *Aegyptiaco* similis. Atque hancce quidem *Solaris* Anni formam Arabiae *Petraeae* incolis, finiti-

 mis-

misque Damascenis, (queis alioqui, dum in *Seleucidarum* dominio censiti sunt, ceteris una cum Syris, Annum ab *Autumno* inchoari solitum, deinde Arabum imperio subjectis a *Vere* Anni desumi ceptum initium adnotat ibid. Norisius), ejusdem Regionis Dynastis, *Aretis* nempe adpellatis, obnoxiis receptam fuisse ultro citroque consentit Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis Vet. cap. 2. §. 22. p.75: etsi haud firmam existimet Scaligeri, ac Norisii argumentandi rationem, qua ex geminis dierum 30. Mensibus ceteros etiam Menses tricennarios, indeque Annum Aequabilem exsculpunt: juxta quam perinde arguere fas esset *Tyriorum* Annum similem fuisse *Aegyptiaco*, Menses utpote quinque primi, nedum gemini, *Hyperberetaeus*, *Dius*, *Apellaeus*, *Audinaeus*, ac *Peritius*, quorum primus Arabico *Angalthabaith*, & quartus *Aleon* aequari poterant, tricennarii erant omnes: ast falsum est oppido *Tyrium* Annum Mensibus constitisse tricennariis omnibus, cum *Epagomenis*, juxta *Aegyptiaci* formam Anni, qua de suo infra loco.

IV. Ut ut haec attamen se habeant, illud indubium haberi debet, veteribus Arabibus *Solarem* Annum aequabilem adhibitum fuisse, siqua fides adhibenda Novveirio in Bibl. Arabica, Mashudio in Pratis Aureis, aliisque Scriptoribus Arabibus apud Ecchellensem in Supplem. Hist. Orient. ex ipsorum Orientalium Monumentis Mss. descripto ad calcem Chron. Orient. cap. 11. edit. Ven. p.149. sq., Golium in Not. ad Alfraganum p.4, Moynium in Var. Sac. T.I. p. 467, Longuerue de Var. Epoch. cap. 2. §. 19. p. 71, Fabricium in Menologio p.75. &c. Atque Annus porro *Solaris*, ac fixus priscis Arabibus in sex dispesci partes ita solebat, ut singulis duo pariter tribuerentur Menses I. *Rabi Al-Aval* nuncupabatur, nempe *Proventus prior*, idest herbarum, florum, ac tuberum. II. *Saiph*, hoc est *Aestas*. III. *Kaidh*, videlicet *Aestus*, quo scilicet incalescere magis tempestas solebat. IV. *Rabi Al-Thari*, idest *Proventus* alter, fructuum intellige. V. *Kariph*, nempe *Autumnus*, sive pars Autumni posterior. VI. *Schetav*, videlicet *Hyems*. Itaque Anni Menses apud veteres Arabes duodecim erant, ast nominibus aliis Jemenis, sive Arabiae *Felicis* incolis, incolisque *Petraeae* Arabiae, sive Hedgiaz aliis nominibus

bus nuncupati, Novveirio teſte in Bibl. Arab., quorum ſpecimen habes in ſequenti Tabula columna I, a *Mutemer* incipientium. Horum vero Menſium veterum nominum uſum circa *Moslemici* imperii auſpicia prorſus obſolevisse, atque nova certis a rebus, quae in Menſem quemlibet forte incidiſſent, deſumpta, a *Kelabo* iniquiſſimi Mohammedis tritavo fuiſſe procuſa ex Mashudio in libro *Moroug Eddhebeb*, ideſt Pratis Aureis, Hegirae anno 336, Chriſti 947, elucubrato, aliiſque Scriptoribus Arabibus perhibet Golius in Not. ad Alfrag. p. 4. Quod ipſum ex eodem Mashudio adnotavit Abraham Ecchellenſis loco ſupra laudato, veteribus ſcilicet Arabum Menſibus diverſa ſubinde impoſita fuiſſe nomina, ad factum, aut effectum aliquem deſignandum aptata, cujuſmodi ſunt ea, quae ſubjecto in Schemate exhibentur columna II; quibus cum conferre, tam qui Recentioribus uſu poſt Arabibus venere, quam Romanos, quales Veterum, ac Recentiorum Arabum Menſibus reſpondent, Menſes operae pretium duximus, ut inde pateat qualis Veteres apud Arabes, Recentioreſque fuerit Anni forma, & quatenus eadem fuerit immutata; diverſa apud diverſos, ut Ecchellenſem, Golium, Armainium Regis Gall. interpretem, De Guigneſium, Longuerue &c. pronuntiatione.

MENSES

VETERUM ARABUM.		ROMANORUM.
1. Mutemer	1. Nabu	Martius
2. Nagir	2. Foail	Aprilis
3. Chavan	3. Taliu	Majus
4. Sauvan	4. Nager	Junius
5. Ritma	5. Aſmah	Julius
6. Ida	6. Aunah	Auguſtus
7. Aſam	7. Adlac	September
8. Adil	8. Laſah	October
9. Natel	9. Zahero	November
10. Vail	10 Barat	December
11. Varnat	11. Nahis	Januarius
12. Burec	12. Morhais	Februarius.

MENSES

RECENTIORUM ARABUM.				ROMANORUM.
1. Muharram	30.	30.	Muharrem	Auguſtus
2. Saphar	29.	59.	Iſafer	September
3. Rabi prior	30.	89.	Rebeji 1.	October
4. Rabi poſterior	29.	118.	Rebeji 2.	November
5. Jomadi prior	30.	148.	Dgemaſi 1.	December
6. Jomadi poſterior	29.	177.	Dgemaſi 2.	Januarius
7. Ragiab	30.	207.	Redgeb	Februarius
8. Schaban	29.	236.	Sciaban	Martius
9. Ramadhan	30.	266.	Rhamadan	Aprilis
10. Schaval	29.	295.	Scev-Val	Majus
11. Dulkadah	30.	325.	Zilkideh	Junius
12. Dulhaggia	29.	354.	Zilhhidgeh	Julius.

V. Itaque tam Veteres apud Arabes, quam apud Recentiores diverſis Menſes efferri nominibus conſueviſſe abunde hinc

hinc adparet. Quae diversitas quidem cum pro diversa temporum conditione, tum pro diversis Regionum moribus, Gentisque consuetudine accidere potuit, adeoque ut Pocockius in Not. ad Specimen Hist. Arab. p. 177. ex Al-Makrisio in *Muaed-Etebar*, Hist. Aegyp., Hegirae anno 845. vita functo, & ex Ebn Ahmedo in *Naschk-Alazhar*, hoc est *Odoratio florum*, Opere Historico, & Geographico anno Hegirae 922. elucubrato, queis de Herbelotus Bibl. Orient. p. 525, & p. 663, observet Mensium nomina alia usurpata fuisse apud Arabes *Al-Ariba*, idest puros, apud *Al-Mostaarab*, Arabes hoc est mixtos alia, alia apud *Caum-Thamoud*, & *Caum-Saleh*, idest Populum e *Thamudo* prognatum, & a *Saleh* Propheta eruditum, Regionis Hagiar, idest Arabiae *Petraeae* incolas, apud Arabes *Eththania*, secundi hoc est ordinis, alia, aliaque apud Arabes *Tabamah*, & *Jamameh*, Arabiae *Felicis* idest habitatores, atque apud Hegiaz, Arabiae *Desertae* incolas. Quò fieri potuit, ut ex his alterutri fuerint *Aleon*, & *Angalthabaith* S. Epiphanio memorati, quorum alioqui ne vestigium quidem est reperire in Arabum libris. I. *Nabu* itaque ex Mensibus a Mashudio commemoratis, qui deinde Most-Arabibus, idest Ascititiis Ismaelitis dictus est *Muharram*, ita vocatum adnotat Ecchellensis a verbo حرّم *Harrama*, quod est Arabice *Probibuit*; ideò quod primo hocce Mense, ipsis Sacro, ad bella prodire Arabibus prohibitum esset; cujusce denominationis originationem, juxta cum ignorantissimis, se ignorare Scaliger ingenue fassus est de Emend. temp. lib. 5. p. 520. Is primus Mensis dies, utpote Anni quoque caput, Arabiae *Felicis* praesertim Regibus, olim solemnis erat, festivitate, & munificentia celebratus: cujusmodi ritus Persis etiam, Indis, aliisque vulgo Orientalibus, antiquissimus erat, atque fixo celebrari tempore solebat, *Neuruz* ideo Persis, idest *Novus* dies dictum, circa Vernum *Aequinoctium*, licet Annum *Hegirae* vagum una cum *Eslamitica* religione recepissent. II. *Foail* mutato deinde nomine, *Saphar* denominatus est, ab *Itinere* idest, veluti visum Longuerue de Var. Epoch. cap. 2. p. 71, quod induciarum Mense transacto, liceret jam Arabibus ad bella, & ad praedas exire; sive

ſive a *Locis* quibuſdam Arabiae *Felicis*, ut autumat Ecchellenſis loc. cit., in quibus eo Menſe celebres induci ſolebant Nundinae. Ubi & adnotat id ſane cognominis aliis Menſi inditum videri a verbo *Saphar* صفر quod ſignificat *Vacuum eſſe*, aut *Sibilum edere*, quia eo Menſe Arabibus ad incurſiones egredientibus, Urbes Incolis vacuae remanerent, ſive ita Civibus deſtitutae veluti ſibilum emittere viderentur. III. *Taliu*, & IV. *Nager*, quoniam in ipſa prima anni inſtitutione in *Ver* uterque inciderat, Mashudio teſte, propterea *Rabiel*, ſive *Rabiho Al-Aval*, ideſt *Ver primum*, ſive *Proventus prior*, dictus ille prior eſt Menſis; poſterior vero *Rabi Al-Achar*, ſive *Rabiho Al-Thani*, hoc eſt *Ver ſecundum*, ſive *Proventus poſterior* deinceps eſt denominatus. V. *Aſmah*, & VI. *Annah*, quia ambo Menſes hi in Hyemem, ac Brumam inciderant, docente eodem Mashudio, inde factum, ut primus *Giamadi Al-Aval*, ſive *Prior* adpellaretur; ſecundus vero *Giamadi Al-Thani*, ſive *Giomadi Al-Achar*, ſive *Poſterior* deinde nuncuparetur, a *Giamada* nempe, ſive *Giumada*, Arabice *Frigore*, nomine accepto, quod duobus hiſce Menſibus aquam frigore conſtrinctam forte vidiſſent.

VI. Quo ſane loci advertit Ecchellenſis, quod ſi duo poſteriores hi Menſes in *Hyemem* inciderant, priores illi duo cum *Verno* tempore neutiquam conjungi poterant. Quare putat duos illos non a *Vere* utique dictos fuiſſe, ſed potius a *Virore*, quod ea nempe tempeſtate in Arabia flores, & herbae vireſcere, ac luxuriari viderentur. Etſi fortaſſis etiam a *Vere* dictos inde cenſet Vir doctiſs., quod ea in Regione, ubi primum anni facta inſtitutio eſt, duplex vigeat *Ver*, atque hinc in ſex ideo tempeſtates totius anni diſtributus fuerit decurſus. VII. *Adlac*, & VIII. *Laſab* quod aliud poſtinde obtinuerint nomen, haec eſſe ratio potuit, quod primus ex quatuor illis unus ſiquidem eſſet Menſibus, quibus bella gerere Arabibus nefas erat, ei proinde *Ragiabath* impoſitum eſt nomen, ideſt *Pavor*, ſive ideo quod eo tempore Spectrorum quorumdam adſpectibus perterriti fuiſſent Arabes, velut auguratur Ecchellenſis: poſteriori vero, quod eo Menſe ad incurſiones faciendas,

das, pro more patrio, egredi catervatim Arabibus esset solemne, nomen *Sciaban* inditum est, sive *Schaban*, idest *Dividens*, accepta nempe a divisione praedae, denominatione. IX. *Zabero* suffectum est postea *Ramdhan* nomen, inde petitum, quod eo, quo institutus est, anno *Sol* ingentibus efferbuisset aestibus, uti conjicit Ecchellensis; etsi una ejusdem, vel altera parum felix videri conjectura queat. Unum est praeterea ex *Dei* epithetis, ac proinde Arabibus haud absolute usurpari solet, sed cum addito Mensis, quum ad Mensem indicandum traducitur. Idem porro Mensis a priscis Arabibus crapulae totus, ebrietatique dicatus, a *Mohammedo* deinde Jejunio mancipatus est, uti docet Al-Macrisius apud Longuerue de Epoch. p.72; unde & apud Veteres illos dictum etiam *Tatel* adnotat, ab amplo nempe cyatho, in quo vinum copiose bibere consuebant, usque dum saucii essent. X. *Barat*, quoniam hoc Mense libidinis aestro efferri Cameli solerent, ideo *Sciavel*, sive *Scha-Val* inditum nomen est, a verbo حرّ *Aestuo* derivatum. Quo plane Mense, pudoris gratia, a Nuptiis abstinere ipsis Arabibus in more positum erat. Mensem huncce porro *Athyr* Aegyptio respondisse ex Kalendario Aegyptio apud Golium in Not. ad Alfrag. p.8. adparet; respondisse Attico *Maemacterioni* scripsit Aristoteles Hist. Animal. lib.5.cap. 14: qui duo sane Menses *Juliano* Novembri magna ex parte respondent; ideoque *Scia-Val* Arabum in Novembrem plane nostrum circa medium incidere observavit Leo Africanus lib.9. apud Longuerue loc.cit. p.72. XI. *Nahis*, quia unus è quatuor erat Mensibus, in quibus bellum gerere, ac praedas agere prohibebantur Arabes, sequiori proinde sub aetate *Dulkada*, sive *Dual-Kaadati* denominatus est, a verbo قعد *Kaada*, quod est Arabice *Quievit*, quia nempe domi se continere debebant. XII. *Morhais* aliud postea *Dul-Hagia*, sive *Dual-Hagiati* nomen induit, a vocabulo חג *Hag*, quod Hebraeis, & Arabibus *Festum* sonat, sive חָגַג *Hagag*, unde factum *Haggia*, quod est *Festum agere*, desumptum, a Festo nempe solemni *Mecano*, quo Mense videlicet ad *Mecam* peregrinari solemne erat. Atque is postremus est ex iis, in quibus bellis vacare, operamque

que latrociniis dedere grande nefas habebatur, velut Ecchellensi p.151. adnotatum est. Peregrinorum ad *Mecanum* porro Templum concursum, & conventum a tempore jam *Abrahami*, & *Ismaelis* decimo semper die Mensis *Dzul-Haggia* fieri consuevisse ex Arabum traditione refert Al-Macrisius, ex ipsoque Pocockius in Not. ad Specimen Hist. Arab. p.177, quocum conferendus Herbelotus in Bibl. Orient. V. *Caabah* p.219. sqq., V. *Hagge* p.417. sqq., V. *Meccah* p.568. sqq., & V. *Zemzem* p.927. sq. Nempe quum antea Conventus iste *Ismaelitarum* in omnes anni tempestates incideret, unde liquet veteribus *Ismaelitis* annos fuisse vagos, certo demum anni Mensi, dieique adfixus est, unde conjicere licet intercalandi rationem eos demum a Judaeis didicisse, eaque interjecta, Menses fixos effecisse, veluti Al-Macrisius testis accedit; quos denuo vagos *Mohammedo* reddere adlibuit, ad *Lunae* cursum nempe digestos, exactosque.

VII. Ad nuperos Arabes itaque reflectendo, ad eosdem nempe, postquam *Islaismo* nomen dedere, Mohammedanorum jugo subactos, principio Menses in Annis *Hegirae* computandis dividere per Hebdomades occepere sequenti descripto a De Guignesio Hist. gen. Hun. T.I. in Tabulis Epocharum Orient. p.XLV. modo, ut in Hebdomada Dominica, sive dies I. ipsis dicatur *Joum El-Ahad*, dies II. *Joum El-Thani*, dies III. *Joum El-Thalet*, dies IV. *Joum El-Arbaa*, dies V. *Joum El-Khamis*, dies VI. *Joum El-Dgioumaa*, dies VII. *Joum El-Sabt*. Mensium autem caput, quod attinet, non a *Novilunio* ipso, veluti persuasum habuit Gyraldus de Annis, & Mens. Oper. T.II. p.789, sed a prima post coitum Φασι adparitione vespertina, quae uno plerumque die, ac nunquam biduo serior ipso *Novilunio* est, auspicari solent. Hinc est, quod Arabibus, non secus atque iis omnibus, Judaeis, Atheniensibus &c., queis usu *Lunaris* Mensis venit, dies a *Solis* occasu computare solemne evaserit, ideo quod ab ortu *Lunae*, qui *Solis* occasum sequitur, dies Mensis exordiri solent, ab ipsa nocte incipientes, velut admonent Ulug Beigh in Prolegom. ad Epochas celebriores, & Alfraganus in Rud. Astron. cap. I. Di s jam vero Mensium post diem 15. saepe, aut post diem 20. semper, ordine retrogrado

grado Arabibus aeque, atque Atheniensibus dinumerari solent. Ut enim hi post Εἰκάδα, sive Εἰκοστη, diem 20, dicere solent Δεκάτη φθίνοντος, sive Πρώτη ἐπὶ εἰκάδι, diem 21, Ἐννάτη φθίνοντος &c.; diem 22. &c., qua de re consulenda Tabula Mensis Attici Proleg. II. §. 5. p. 312, ita pariter Arabibus Mensis dies 1. vocatur *Mustaballa*, idest Νουμηνία, a verbo scilicet Arabico حلل *Halla*, quod est *Adparuit*, de quo Elmacinus Hist. Sarac. lib. 1 cap. 7. sq.; dies 2. *Madeina*, idest *Praeteritorum*, ita dictus a verbo مضا *Mada*, quod est *Praeteriit*; dies 3. *Madeina*, nempe *Praeteritorum*, atque sic de aliis deinceps usque ad diem 20: post quem dies 21. dicitur decimus *Bakeina*, hoc est *Reliquorum*, qui adhuc supersunt, dies 22. nonus *Bakeina*, dies 23. octavus *Bakeina*, nempe *Reliquorum* &c., atque ita retrorsum usque ad finem Mensis. Eutychio Alex. tamen Annal. T. II. p. 342. dies 21. denominatur etiam *Primus e decem ultimis diebus Mensis*, eamdemque dies Mensis numerandi rationem tenet item Abulpharagius in Hist. Dynast., veluti Dynast. IX. p. 207, 227. &c. Aliquando vero post diem 15, qui *Nasph* نصف, idest *Medius*, dictus legitur Elmacino lib. 1. cap. 7, ordine retrogrado etiam dies numerantur. Hinc eidem Elmacino lib. 1. cap. 12. dies 18. *Jomadi prioris* dicitur 13. *Bakeina Jomadi prioris*, idest dies 13. *Reliquorum*, seu eorum dierum 12, qui post 18. supersunt usque ad diem 30, qui postremus est Mensis dies. Id unum heic adjungere haud abs re erit, quod Abrahamo Ecchellensi in Supplem. Hist. Arab. ad calcem Chron. Orient. cap. 11. p. 151. sq. persuasum fuit. Nempe falli oppido Scaligerum de Emend. temp. lib. 2. p. 138, dum Feriam 6, Arabibus dictam *Arubu*, Mohammedanis nunc *Giomba*, idest Σύναξιν, Ἐκκλησίαν, Ὁμιλίαν, עֲצֶרֶת *Atzereth*, idest *Synaxim*, *Conventum*, *Coetum*, *Festum*, inde denominatam autumat, quod *Muharram* primus *Hegirae* Mensis a Feria 6. inceperit; quodque eo die Arabibus *Venus*, ipsis dicta *Chobar*, maximo apud Arabes in honore olim haberetur. Utrumque porro falsum reputat Ecchellensis, primum, quod Arabes ad unum omnes Historiographi, & Chronologi *Mohammedi* fugam a Meca Urbe ad Medinam, e qua *Hegira* duci-

ducitur, *Muharram* die 12. consignent, quae aliis Feria 2.est, aliis Feria 5, nemini Feria 6. Verum *Mohammedi* fuga Mensis *Rabi Al-Aoval* die 12. etsi commissa fuerit, non ab hocce tamen Arabum Mense tertio, sed a Mense primo *Muharram Hegirae* cardo deducendus Arabibus, ac Moslemis visus est. A Feria 5. vero Moslemis quidem, & Arabibus *Hegira* exordiri solet, ast Christianis Chronologis a Feria 6. eadem inchoanda visa est, Novilunii *Muharram* initio a *Solis* occasu desumpto. Atque inter alios ita, qui primas hac in re obtinet, a Principe Ulug Beigho de Epochis Arabum cap. 1. p. 8, & 10. *Hegirae* caput ab exordio *Muharram* anni Aerae Christianae 622. desumptum, illudque secundum medium calculum Feria 5, a qua ipse *Hegiram* auspicatur, secundum *Lunae* phasim vero Feria 6, a qua *Hegiram* exordiri Turcas, a Phasi Menses incipientes, adfirmat, diserte traditur: qua de re fusius, quum de Cyclis, & Epochis sermo fiet; videndique Johan. Gravius, & De Guignesius in Tabul. Hegirae.

VIII. Secundum adhaec a Scaligero adsertum haud magis veritate constare censet Ecchellensis: Arabum siquidem Scriptorum nemini aut *Venus* aliquando vocata *Chobar*, ipso judice, sit, aut *Veneri* alicubi cultus ab Arabibus impensus commemoretur. Falli perinde turpissime subjungit eos quoque, queis *Venus* a Mohammedanis invocari vocibus illis visa est, quibus e Templorum turribus Populus ad Synaxim invitari solet: *Allaho Achbaro*; quippe vocibus his Arabibus nihil indicetur aliud, quam *Deus Maximus*. Nam *Achbaro* vox est superlativae formae a positivo *Chabiro*, hoc est *Magnus*, adeo ut duae voces illae *Allaho Achbaro* sonent idem, ac *Deus Maximus*: quae loquendi formula ab ea, Romanis diu usurpata, *Deus Optimus Maximus*, parum differt. Sed enim, sicuti Chaldaeis, Syris, Phoenicibus &c., sic & Arabibus *Solem*, & *Lunam*, & *Venerem* pro Diis olim habitos fuisse, cultosque indicat Jobus cap. 31, atque testantur Herodotus lib. 3. cap. 8, ac Theophrastus Hist. Plantar. lib 9. cap. 4. Qui enim Chananaeis, Syris, Chaldaeis &c. בעל *Bahal* Judic. 11. 13. dicitur, idest *Dominus*, ut adnotat heic David Kimchius, is Poenis *Jupiter* denominatur, S. Augustino teste Quaest. 16, Tyriis *Hercules*,

Jose-

Josepho Antiq. lib.9. cap.6. referente, Aquilejensibus *Apollo*, Herodiano tradente in Maximino, *Saturnus* Latinis, adnotante Servio Aen.1, *Belus* Assyriis, S.Hieronymo in Oseae 11, Diodoro lib.2. cap.2, Plinio lib.37. cap.10, & Eusebio Praep. Evang. lib.9. cap.4. auctoribus, *Sol* omnibus illis indicatur, quo de Serarius in Judic.11, ac Seldenus de Diis Syris syntag. 2. cap.1; idem, qui *Baal-Berith*, idest *Deus foederis*, qui *Baal-Sebub*, in figura Muscae, qui *Baal-Peor*, qui facinoribus, atque flagitiis praeest, de quo Sebastianus Schmidtus in Comment. ad lib. Judic. cap.2. quaest.5. T.I. p.175. sqq., & T.II. q.3. ad Judic. cap.19. p.913. sqq. Qui vero Moabitis *Chamos*, unde profecta vox Hebra חַמָּנִים *Chammanim* Levit.xxvi. 30, qua Simulacra, Figurae, Idola, Symbola designantur *Solis*, aut etiam *Ignis* cultui dedicata, queis de Avenarius, ac Schindlerus in Lex., Vossius de Orig. Idolol.lib.2.cap.9, Buxtorfius in Lex., Kircherus Obelisc. Pamph. lib.1. cap.2. p.14. sqq., Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. lib.2.cap.25.edit.Pfaffii T.I. p.469. sqq., aliique; qui Madianitis *Beel-Phegor* dicebatur, Ammonitis *Moloch*, sive *Melchom* Levit.xviii. 21, & xx. 2. מֹלֶךְ, Numer.xxv. 3, 5, & xxxi. 16. בַּעַל פְּעוֹר; Deuter. iv. 3, Josue xxii. 17, III. Reg. xi. 5. sqq., & Hierem. xlviii. 7. sqq.; quique Chaldaeis, Syris, & Phoenicibus *Baal*, sive *Bel*, sive *Baal-Thalassius*, idest *Deus Maris*, sive *Baalsamin* denominatur, *Caelorum Deus* idest, sive *Dominus*, quo de Seldenus de Diis Syris syntag.1. cap.5. sq., & syntag.2. cap.1. sq., *Sol* nempe, idem Arabibus *Urotal* dictus apud Herodotum lib.3. cap.8, (qui fallitur tamen *Dionysium*, sive *Bacchum* hoc designatum nomine opinatus, falliturque rursus non alios, nisi duos *Urotal*, ac *Uraniam*, ipsis *Alilat* nuncupatam, Arabibus fuisse Deos adfirmans; fuere namque geminos praeter hosce Dii alii, ut *Hafedhah*, qui Itineri, ut *Sakiah*, qui Pluviae, ut *Razecah*, qui Vitae, ut *Salemach*, qui Infirmitatibus praesto esse Aditis, veteribus idest Arabibus ex *Amalecho* progenitis, in Arabia *Felici* ad Sinum Persicum consitis, credebantur, queis de Herbelotus in Bibl. Orient. V. *Ad* p.51. sq., & V. *Houd* p.460. sq.; uti *Lat*, ex depravato *Allah*, Dei nomine, efformatus, ut Mohammedanis videtur, quod Idolum

lum similiter Indis Urbis Soumenat incolis in honore olim habitum observat Herbelotus p.512; ut *Uza*, quod ex Dei attributo *Aziz*, quod Arabice *Magnus* est, ac *Potens*, effictum putat Herbelotus p.916; qui veteres apud Arabes pro Diis habiti sunt; ut *Assaf*, & *Nailah*, quo duo Koraisitis Idola simul locata in honore olim habita observat Herbelotus p.928.); *Urotal*, inquam, sive *Erat-Allah*, dictus *Ignis Deus* idest, Hebraice אור־אֵל *Ur-El*, sive *Orot-El*, hoc est *Luminarium Deus*, nempe *Sol*; qui Scythis *Pape*, idest *Jupiter*, Herodoto lib.4. p.116. vers. Vallae teste, cognominatus est, unde fortassis ad Mexicanos *Papa* manavit, uti suspicatur Hornius de Orig. Gent. American. lib.4. cap.15. p.279.

IX. Quae vero Chaldaeis erat בַּעֲלַת *Baalath*, idest *Domina*, בַּעֲלָתִי *Baalathi*, sive *Belati*, hoc est *Domina mea*, atque בַּעֲלַה־שָׁמַיִם *Baalah-scamaim*, nempe *Domina Caelorum*, idest *Luna*, *Juno*, *Venus* apud Seldenum de Diis Syris syntag.2; eadem plane, quae Judic. 11. 13. עַשְׁתָּרוֹת *Astaroth*, Ovis figura exprimi solita, ut ex R. Salomone Aben Melech Sat refert Serarius Comm. in Jud.11. q.11, & ex R. Kimchio Seldenus loc. cit.; Syris *Atergata* dicta est, Caelesti e militia derivato nomine, ut est apud Athenaeum lib.8, Plinium lib.5. cap.23, & Macrobium lib.1. cap.21; Aegyptiis *Osiris*, ac Latinis *Rhea*, uti plurimis ex Sanchoniatone, & Plutarcho ostendit Cumberlandus in Fragm. Sanchon. p.107, quocum conferendus Bedfordius Script. Chron. p.2; Phoenicibus *Juno*, teste S. Augustino Quaest.16, de qua etiam Deodatus ad Judic. cap.2. vers. 13; *Venus* Aphacitis, ut est apud Zosimum in Aureliano; Phrygibus *Cybeles*, de qua Serarius loc. cit.; *Urania* Graecis, a Caelorum Stellis nomine deducto, Assyriis, Babyloniis, & Chaldaeis *Athara*, sive *Militta*, qua de Serarius loc. indic., ac Sebast. Schmidtus ad Judic. cap.2. T.I. q.6. p.179. sqq., Arabibus erat *Allat*, sive *Alitta*, sive *Alillat* apud Herodotum lib.1. p.27, & lib.3. p.79. vers. Vallae, (qui tamen fallitur a Persis *Mithram* vocari subjungens, Persis quippe *Mithra* erat *Sol*), dicta etiam Arabibus *Ozza*, sive *Uza*, ac *Zoharah* apud Herbelotum Bibl. Orient. p.938, Judaeis *Lilith* לִילִית *Venus* nempe, derivato nomine, non ab *Helal*, quod est *Novilunium*,

nium, neque ab *Allailat*, quae *Diana* est, sive *Nox*, neque ab *Jilad*, sive *Valad*, quod est *Gignere*, veluti censet Seldenus de Diis Syr. syntag.2. cap.2, sed ab *Allah*, quae vox Latinis est *Genitrix*, Graecis *Aphrodites* Ἀφροδίτης, Romanis *Venus*, Assyriis *Mylitta*, sive *Mauladtha*, Judaeis alias הֵילֵל *Heilel* dicta, *Lucifer* idest, sive *Stella Matutina*, Persis *Mader*, idest *Mater*, Arabibus, uti dictum, *Allat*, hoc est *Dea*, velut observat Cl. Assemanus dissert. 4. de Arabum Orig., ac Relig. §.16. in Adpend. ad Chron. Orient. edit. Ven. p.249.sq., ac in Dissert. de Syris Nestor. cap.10. §.2. Bibl. Orient. T.III. Par.II. p.581. sqq. Cui sane voci adfinis est *Alon*, Poenis, sive Phoenicibus *Deus*, sicut & *Alonim*, nempe *Dii* apud Plautum in Poenulo Act.5. Scen.1, ac Sisennam ad hunc locum; cujusce vocis loco Hetruscis olim *Aesar* erat *Deus*, atque *Aesi* exinde *Dii* apud Svetonium in Augusto cap.97, & Hesychium in Lex., ut adnotatum est Bocharto Geog. Sac. lib.1. cap.33. p.584. Atque hinc excusari videtur Herodotus, dum *Alittam*, sive *Militam*, Persis adpellari *Mithram*, sive *Metram* adfirmat; ita scilicet ut *Mithrae* voce Persicam intellexerit *Mader*, qua revera *Mater* significatur: nisi eodem *Milittae*, ac *Mithrae* nomine promiscue tam *Lunam*, quam *Solem* acceperit; apud Persas siquidem diversi sexus Dii haud cogniti fuerint; quin etiam apud Hebraeos *Baal* indiscriminatim foeminini, atque Masculini generis fit in Graeca LXXvirali Versione maxime III. Reg. XIX. 18, Hierem. XI. 13, XIX. 5, & XXXII. 35, Oseae II. 8, Sophon.I. 4, & Roman. XI. 4, videndique Bochartus in Chan., sive Geogr. Sac. Par.II. lib.2. cap.17. p. 775, & Scriptores Angli Hist. Univ. T.V. Par. I. cap.6. edit. Ven. p. 160. sqq. Eoque vel maxime, quod observante Macrobio Satur. lib.1. cap.17. sq. veteribus Ethnicis *Sol* idem fuerit, diversis etsi nominibus adfectus, distinctusque, nempe qui *Caelus*, qui *Saturnus*, qui *Chronus*; qui *Jupiter*, qui *Mars*, *Bacchus*, sive *Dionysius*, *Apollo*, *Ammon*, *Osiris*, *Apis*, *Serapis*, *Adonides*, *Mercurius*, *Hercules*; quin imo diversi sexus *Vesta*, *Juno*, *Cybeles*, Smyrnaeis dicta *Sipylena* a Monte *Sipylo*, eademque, quae *Dea Syria*, *Isis*, *Ceres*, *Diana*, *Venus* &c., de quibus Herodotus lib.1. cap.131, & lib.2. cap.44,

Or-

Orpheus apud Macrobium Satur.lib.1.cap.18, jungendus & ipse cap.23, Servius in Aen.1, unde Marcianus Capella de Nuptiis Philologiae lib.2. versus finem cecinit: *Te* Serapim *Nilus*, *Memphis veneratur* Osirin, *dissona Sacra* Mithram, *ditemque*, *ferumque* Typhonem, Ammon, *& Arentis Lybies*, *ac Byblius* Adon. Conferendus etiam Origenes adv. Celsum lib.6. edit. de la Rue §.39. p.661, quo loci ex Herodoto lib.4. p. 275. Celsus refert a Scythis *Apollinem* vocari *Gongosyrum*, Neptunum *Thagimasadem*, Venerem *Argimpasam*, Vestam *Tabiti*, a diversis idest *Solis* effectibus; Celsum tamen cum Herodoto egregie mentiri ipse suspicatur. Archias etiam Antholog.lib.1. cap.38. epigr.31. scripsit: *Aegypti quidem* Osiris *ego*; *Mysorum vero* Phanaces; Bacchus *inter vivos*, *inter mortuos* Adoneus; *Ignigena*, *Bicornis*, *Titanicida*, Dionysius. Cui similia cecinit Ausonius Epigr.29: *Ogygia me* Bacchum *vocat*, Osirim *Aegyptus putat*, *Mysae* Phanacem *nominant*, Dionysion *Indi existimant*, *Romana Sacra* Liberum, *Arabica gens* Adoneum. Diodorus quoque lib.1. p.159. de fabulis agens *Osirim* tum *Serapidem*, tum *Dionysium*, tum *Plutonem*, tum *Ammonem*, tum *Jovem*, tum *Panum* dictum adnotat, & post ipsum Gyraldus de Diis syntag.8. p.274, videndusque Nicolaus Calliachius in Dissert. de Osiride Antiq. Graec. Suppl. Poleni T.IV. edit. Ven. p.309. sq. Accedit & Varro rei hujuscemodi locuples testis de Ling. Lat. lib.4. p.17, quo loci *Principes Deos*, in Samothracia dictos Θεός Δυνάτος *Divos Potes*, non alios esse, quam *Caelum*, ac *Terram* adfirmat, eosdemque fuisse ipsos, qui *Serapis*, ac *Isis* in Aegypto, qui *Taautes*, & *Astarte* apud Phoenices, qui *Saturnus*, ac *Ops* in Latio; quique apud Samothraces *Castor*, & *Pollux* in honore habebantur. In hanc ipsam rem locuples est, liquidumque testimonium Tertulliani Apolog. cap. 24. unicuique Provinciae, ac Civitati eadem esse *Numina*, diverso tamen sub nomine advertentis; & S. Augustini de Civit. lib.4. cap.10, ubi eumdem fuisse Deum Ethnicis refert, diversis adfectum nominibus, ob diversa officia, *Jovem* nempe, qui in Aetere fuerit *Juno*, in Mari *Neptunus*, in Terra *Pluto*, in Inferis *Proserpina*, in Bello *Mars*, in Vineis *Bacchus*, in Silvis *Diana*: qua pariter

ter in opinione fuit Seneca de Benef. lib. 4: quod argumenti genus operose persequuntur Herbertus de Antiqua Relig. Gentil. Tennisonius de Idolol. cap. 5, Stackhouse Theolog. Specul. T. III. cap. 8. de Statu Idol. p. 584. sqq., aliique. Non secus atque ii sane cuncti, qui diverso efferri nomine solent, *Tytiri*, *Fauni*, *Pani*, *Satyri*, *Syleni*, *Curetes*, *Corybantes*, *Dactyli*, *Idaei*, *Cabyri*, *Telchines*, *Saliares*, *Sabatiani*, *Musae*, *Bacchantes*, *Menades*, *Mimallonides*, *Nymphae*, e quibus aliae Nemorum accolae *Driades*, Agrorum aliae *Oreades*, Aquarum *Nereides*, Fontium, ac Fluminum *Najades* adpellatae leguntur &c., officio Dei cultui, religionique mancipati, a diversis, non utique *Diis*, sed officiis erga *Deum* ipsum nomen obtinuere: quo de argumento conferendi Huetius Demonst. Evang. Prop. IV. cap. 10. T. I. edit. Ven. p. 152. sqq., ac Lafiteau de Morib. Silvest. Americ. cap. 4. de Relig. p. 114. sq., & p. 129. sq. Et persuasionem hanc certe de pluribus *Diis* ad unum referendis, unaque distinctis adpellatione, Ethnicis arcte inhaesisse ex Pantheis fit manifestum. Erant *Panthei* sane Idola, sive figurae Symbolis aliorum Deorum characteristicis onusta magis, quam ornata: cujusmodi *Panthei* Neapoli repertam Inscriptionem, qua Lapis dedicatus legebatur *Herculi*, *Mercurio*, *Silvano*, & *Pantheo*, refert D. Abbas Bassius in Not. ad Banierii Mytholog. T. II. edit. Neap. lib. 2. cap. 9. de Theogonia Americ. p. 531. Atque ita *Harpocrates* omnium Deorum insignibus exornatus Πάνθεος jure dictus observatur Cupero, a quo una cum *Mercurio*, ac *Sole* confunditur Epist. 22. ad Scheuchzerum edita a Schelhornio Amoen. Hist. T. II. p. 903. sqq. Ita *Fortuna* alata depicta videtur quandoque cum loti flore in capite, qui symbolum *Isidis* est; cornucopiam, in quam finit Aries, Arietis vero cornibus incumbente Corvo, cujus effigie *Apollo* exprimitur, & cum Gallo eidem superincumbente cornucopiae, qui *Mercurii* signum est, sinistra tenens; dextera Navis gubernaculum, quod est *Neptuni* character; humeris ferens *Dianae* pharetram; in pectore *Minervae* aegidem. Videndus Cuperus in Harpocrate Antiq. Rom., & Graec. Suppl. Poleni T. II. p. 463. sqq., quo loci Deos omnes unum esse *Solem* multis ostendit.

X. In lineam, unde deflexit, ut nostra modo regrediatur

tur oratio, Annum ſane Arabes, a Damaſcenis, ut indicare videtur Simplicius in Ariſt.Phyſ. lib.5, edoctos, a Verno *Aequinoctio*, ſive Ἀπὸ Τροπῶν Ἐαρινῶν; non ſecus atque priſcis olim Perſis in more poſitum erat, auſpicari prima ab aetate conſueviſſe, veri ſit valde quam ſimilius: etſi non deſint, qui ab *Autumno* eos olim Anno exordium feciſſe putent. Quorum neutra Ecchellenſi Suppl.Hiſt.Orient. cap.11. p.151. probatur opinio, ubi priſcis Arabibus, haud ſtabilis, fixuſque ſiquidem fuerit annus, proinde neque fixum, ſtabileque anni principium haeſiſſe, perſuaſum habet. Adhaec Annos per Noctes ſupputare, non autem per dies, Arabibus ſolemne eſſe; atque ita vel Acta publica, contractuſque, vel memorabilem aliquem obſignantes eventum, noctem pro die uſurpare Arabes obſervat ibid. p.152. Ecchellenſis. Ideo nempe quod a *Neomenia* ſupputationes exordiri ſuas Arabes ſoliti, *Solem*, ac *Lunam* duces habent, *Moyſis* exemplum ſequuti, a quo *Creationis* opus prius Noctis obſignatum nota legitur. Quam, aliaſque ritus hujuſmodi apud Arabes rationes proponit apud Ecchellenſem Jeſudadus Chaldaeus Scriptor in Chaldaica Elucidatione locorum S. Scripturae difficilium, ubi duas haſce inter alias profert cauſſas, ut ſicut a tenebris, quae lucem anteceſſere, Creationis opus exordium cepit, ita non a die, ſed a nocte temporis rationes auſpicandae viſae Arabibus ſunt; utque inde Manichaeorum putidus coargueretur error, a quibus duo ſtatuuntur *Principia*, unum, illudque *Bonum*, a quo *Dies* proceſſerit, alterum, illudque *Malum*, a quo *Nox* producta fuerit. Anni formam quod attinet, ex quo Islamiſmum amplexi ſunt Arabes, *Lunaris* eis, ac vagus ſimiliter Annus uſu, ſicut Islemis, confeſtim venit, dictus ideo *Mohammedicus*, nomine ab Arabum Pſeudopropheta accepto, ſive etiam *Hegiranus*, ab Epocha *Hegirae*, fuga nempe *Mohammedis* a Meca Urbe ad Medinam, a qua exorditur. Atque *Lunaris* hic porro Annus, vaguſque, quo nunc utuntur, nullo ideſt intercalationis fraeno coercitus, per omnes *Solaris* anni tempeſtates impune vagatur: quod ipſum de veteri Aegyptiorum anno obſervatum alibi eſt. Is vero duplex eſt, *Aſtronomicus*, & *Civilis*; prior diebus 354, horis 8, min.48.' conſtat: Arabibus enim Menſis quilibet *Aſtronomi-*

nomicus computari ſolet dierum 29, horar. 12, helakim 792, uno minus ideſt Kelek, Menſe Judaico. Poſterior vel eſt *Communis*, ideoque *Cavus* dicitur, ſive *Imperfectus*, ac diebus 354. conſtat; vel eſt Ὑπερήμερος, ſive *Embolimaeus*, ac dicitur *Plenus*, ſive *Perfectus*, diebuſque 355. componitur. Quippe quum annus *Lunaris Aſtronomicus*, praeter dies 354. ſolidos, horis 8, min. 48.′ inſuper conſtet, proinde, ut *Civilis* annus *Lunari* concordet, dies intercalaris, ex horis, ac minutis hiſce collectus, ad finem anni, ſive ad finem *Dulhaggiae*, qui poſtremus eſt Arabum Menſis, adjungi ſolet, non omnis quidem anni, ſed in annorum 30. ſpatio, ſive Τριακονταετηρίδος, annis 2. 5. 7. 10. 13. 15. 18. 21. 24. 26. 29: quomodo ab Ulug Beigh in Epochis Arab. cap. 1. p. 8, & 10. ordinati leguntur, & apud De Guigneſium in Tab. Epoch. Orient. p. XLIV; quam plane annorum 30. ordinationem ita Mohammedanis etiam acceptam ire, ut ex annis 30. Cycli *Arabici* anni 19. *Cavi* ſint, ideſt dierum 29, anni 11. vero ſint *Pleni*, hoc eſt dierum 30, confirmat Ulug Beigh. Annos namque ſuos Arabes in *Triacontaëterides* idcirco diſpeſcere malunt, quod Annus ipſorum *Aſtronomicus* e diebus 30. dumtaxat completis, ulla abſque horarum, ac ſcrupolorum adpendice, coaleſcat. Quippe ſi dies 354, cum horis 8, ſcrup. 48.′ trigeſies multiplicentur, dies 10631. 0. 0. producentur; diebus 326, ac horis 12. ideſt minus, quam annis *Julianis* 30. inſint, qui dies 10957, ac horas 12. complectuntur, ideoque a diebus 10631.0.0, quot *Arabici* anni 19. *Communes*, & anni II. *Embolimaei* conſtant, ablatis e diebus 10957, & horis 12, quot *Juliani* anni 30. componuntur, reliqui ſunt dies 326, & horae 12. In qualibet itaque Arabica *Triacontaeteride* anni, ut modo innui, *Communes* 19, & anni *Embolimaei* 11. inſunt, ita ſcilicet ut *Embolimaei*, quorum ideſt ad finem dies adponitur, in qualibet *Triacontaeteride* ſint 2. 5. 7. &c., uti ſupra dictum eſt: quibus expletis, ſive *Triacontaeteride* completa, *Arabicus* rurſus Annus ad primum regreditur ordinem, atque nova Τριακονταέτηρις init: non ita tamen, ut & anni principium ad eamdem feriam, atque diem Menſis regrediatur, quam non aſſequitur, niſi annis 538. expletis, utramque nempe feriam, ac diem, etſi alterutram,

diem ideſt, aut feriam, annis vel *Arabicis* 235, vel *Julianis* 228. evolutis, attingat: videndique Joh. Morinus in Epiſt. 25. ad Petrum a Valle, & Petrus ipſe a Valle in Epiſt. 26. ad Morinum Antiq. Eccl. Orient. p. 129. ſqq., Ubbo Emmius in Opere Chronolog., ac Nicolaus Mullerus in Diatrib., qui duo tamen poſteriores in eo falluntur, quod pro annis 15, & 17, *Intercalares* apud Arabes, & Perſas annos 16, & 18. faciunt. De Methodo denique *Arabicos* componendi annos cum *Julianis* agemus infra Volum. ſq., quum de Aeris, Cyclis, & Epochis diverſarum Gentium ſermo inſtituetur.

XI. Ad Menſes, & Annos modo qua Tartaris, qua Mogulis, qua Turcis adhibitos noſter antequam ſermo ſe accingat, de Gentis utriuſque Originibus, & Antiquitatibus nonnulla attingere opus eſt: queis de ſane, ut ſuperiori Tomo, ubi de Indis, ageremus ordo poſtulaſſet utique, ſed quia cum Arabibus maxima Turcis, atque hiſce cum Tartaris adfinitas intercedit, ne juſtae ſuperius magnitudinis Volumen excederet molem, de Tartaris ideo, atque Turcis poſt Arabes in hunc diſputationem rejicere Tomum adacti ſumus. Principio itaque Tartari ab Hebrea voce טותָעַרִי *Tothari*, qua *Relicti* ſignificantur, nomenclationis originem duxiſſe viſi ſunt Genebrardo Chronog. lib. 1, quaſi nempe *Reliquiae* fuerint decem Tribuum, quae Medorum olim, ac Perſarum ultra Montes a *Salmanaſare* tranſductae fuerant: ſed longe antiquior Tartarica gens eſt, quam ex Iſraelitarum progenie cenſenda ſit. A voce Syriaca *Thetra* viciſſim, quae *Faecem* ſonat, ob morum nempe ferocitatem, impuritatemque, aut a *Tataro* flumine nomen accepiſſe Tartaros perſuaſum habuit Leunclavius in Pandectis Turcicis. A *Tataro* e contra, e ſeptem Nationibus, quae vaſtiſſimae olim Regioni inſedere, prima ſic nuncupata, e quave *Chingius* Tartarici primus imperii fundator originem duxiſſe fertur, Tartaros fuiſſe denominatos ſcripſit Haytonus de Tartaris cap. 16: qua de varia nomenclatione multis Cl. Aſſemanus diſſert. de Syris Neſtor. cap. 9. §. 5. Bibl. Orient. T. III. Par. II. p. 468. agit; Tartaros vero ſemet *Jagioug*, ac *Magioug*, ideſt ex *Gog*, & *Magog* prognatos, adpellare, adpellatos aſt olim *Kerit*, ſive *Carit* etiam, Chatajae nempe conterminos, docet Herbelotus in Bibl.

Orient.

Orient. p. 256, 811, 915, & 959. Ex Tartaris porro, quo nunc nobis nomine veniunt, non utique qui Crimaeam, five Tauricam Cherſoneſum inhabitant, *Europaei* dicti, ſed qui Aſiae longe, lateque intra, & extra Imaum, *Aſiatici* ideo dicti, inſidunt, ad Oceanum uſque Septentrionalem diffuſi, omneſque Regiones occupant illas, quae gradibus 75, & 150. longitudinis, gradibuſque 138, & 152. latitudinis Septent. comprehenduntur, alii Orientales, Occidentales alii diſtingui, reſpectu ad Sinicas Provincias Chenſi, Chanſi, & Petcheli habito, debent. Origine ſane utique Sinenſibus habentur ſuppares: ſub *Yao* namque Imperatore Sinenſi ante Chriſtianam Aeram anno 2000. amplius Tartari *Chen-yong*, ac ſub Dynaſtia *Hia* Sinenſium prima T*chong-yo* denominati Sinenſes apud Scriptores De Guigneſio memoratos leguntur. Eorum tamen antiquitates tot undique oblitae tenebris ſunt, ac in obſuro ſepultae adeo, ut nonniſi ab anno Chriſti ante natalem 210. Tartarici Imperii exordium certo deduci queat. De Orientalibus itaque Tartaris, Occidentalibus antiquitate, potentiaque longe potioribus, prius loquendo, prima, ac praecipua horum Dynaſtia *Topa*, qua Sinica voce T*errae Princeps* ſignificatur, fundata, eaque ex *Hoam-ti*, veteri Sinenſium Imperatore, genus traxiſſe fertur. A T*opa* deinde Reges LXII. uſque ad annum Chriſti vulgarem 277. regnaſſe, ac Regna XXXV. ad Sinarum Septentrionem habuiſſe a Sinenſibus Scriptoribus referuntur apud De Guigneſium Hiſt.gen. Hun. T.I. lib.4.p. 180. ſqq., ac T.II.lib.7. p. 13. ſqq., ubi eorum Catalogum deſcribit. Aerae Chriſtianae anno 295. Dynaſtia iſthaec T*opa*, dicta etiam *So-teou*, in tres alias diviſa eſt; I. *Lou-Kuon*, aliis T*chao-Hoamti*, quae rurſus anno 376. in duas & ipſa Dynaſtias K*ou-gin*, atque *Lieou-goei-Chin* ſubdiviſa eſt; annoque 386. in unam denuo conflata, *Tai* dicta, ac deinde G*oei*, in Sinis imperare cepit in Urbe *Si-gan-fou*, Provinciae *Chen-ſi*, regni ſede Chriſti anno 409. defixa, reliqua Sinici imperii parte Dynaſtiae *Sum* veteri Sinenſi, in Urbe *Nan*-K*im* regnanti, relicta, uſque ad annum 556, quo in Sinis extincta eſt. II. O-*ta*, five *Huon-hoam-ti* denominata; ac III. O-*liu*, alias M*o-ham-ti*, quae utraque Aerae Chriſtianae anno 310. a priori Dynaſtia abſorpta eſt. Ex eadem

R 2 Dy-

Dynaſtia *Topa* anno Chriſti 402. conflata a Kano *Tou-lun* Dynaſtia Tartarorum altera eſt, *Geou-gen* dicta, quae imperium a Coreae Aquilone ad Occidentem uſque Irtiſchum longe, lateque amplificavit, regnumque tenuit uſque ad annum 554, quo a Turcis everſum eſt, Dynaſtiae iſtius *Geou-gen* reliquiis in Europam diſperſis, ubi *Avarorum* nomen hiſce deinceps adhaeſit: videnduſque De Guigneſius Hiſt. T. II. lib. 7. p. 4. ſqq.

XII. Tartaris Occidentalibus, ad Sinarum Aquilonem ſitis, *Hunnis* dictis, Sinice *Hiong-nou*, a Sinenſibus debellatis, qua de re infra, quum de Occidentalibus Tartaris ſermo fiet, a Tartaris aliis horum occupato loco, ac nuovo Kano *Tan-che-hoai* ſibi praefecto, nova Tartarorum Dynaſtia *Sien-pi*, novumque imperium Aerae Chriſtianae anno 181. fundatum eſt; quod uſque ad annum 233. duravit, quo in Dynaſtias alias diviſum illud eſt: quarum I. *Lea-tong*, aliis *Tſien-yen* ad ortum, quae anno 370. a *Kien*, Dynaſtiae *Tſin* Imperatore, deſtructa eſt. II. *Si-yen* ad occaſum, quae anno 394. a *Tcho-vi*, Rege *Heou-yen*, everſa eſt. III. *Nan-yen* ad auſtrum, quae anno 410. a *Lieou-yu*, Dynaſtiae *Sum* in Sinis fundatore deſtructa fuit. IV. *Heou-yen*, quae anno 408. a *Pim-po*, Dynaſtiae *Jen* ad ſeptentrionem conditore profligata eſt. V. *Tou-Kohoen*, quae anno 700. a *Touſanis*, Regione occupata, loco pulſa eſt. VI. *Ju-ven*, quae anno 344. a *Mou-yong-hoam*, Rege *Jen*, e quo perinde Dynaſtia *Heou-tcheou* in Sinis derivata eſt, expulſa prorſus fuit. VII. *Leao-ſi*, alias *Kia-chi*, quae anno 356. a Rege *Jen* pariter everſa eſt. VIII. *Ho-ſi*, ſive *Nan-Leang* ad meridiem, quae anno 414. a *Tchi-puon*, Sinenſi ad occaſum Rege, extincta eſt. IX. *Heou-tcheou*, quae a *Ju-ven* Dynaſtia ortum duxit anno 557, poſt anno 581. a *Jam-Kien*, Dynaſtiae *Sui* in Sinis fundatore, abolita penitus fuit. X. *Long-ſi*, deinde *Si-tſin* ad occidentem, quae anno 431. ab *Hia* Rege deleta eſt. XI. *Ki-tan*, aliis *Leao*, ab anno 696. obtinuit, cujuſce Dynaſta *A-pao-ki* deinde anno 926. ingenti Sinenſis Imperii ad Septentrionem occupata parte, Imperatoris *Je-liu* adſumpto titulo, Dynaſtiae *Leao* originem fecit, *Jen*, hodie *Pekini*, Imperii ſede defixa. Sed enim anno 1225. Dynaſtia iſthaec a Sinenſi Imperatore *Hoei-tſong*, Dynaſtiae *Sung*,

Sung, Tartaris *Niut-tche* in auxilium accersitis, destructa est. XII. *Si-leao*, sive *Leao* ad occasum, sive *Kara-kitan*, quae nempe ex superiori *Kitan*, sive *Leao* derivata est, a Tartaris *Niu-tche* loco pulsa, versus Obyum fluvium, & Aksovium profuga, in Korasaina primum, deinde in Kaschgar anno Christi 1136. moram defixit, donec anno 1207. a Turcis *Naimanibus*, ad ostia Selingae, Olvii, & Irtischi incolis, duce *Keschlou* Kano, abolita est. XIII. *Kara-kitan* altera, ex superiori quoque *Leao* Dynastia, sive *Kitan*, profecta, a *Barak-hadgeb*, genere & ipso *Karakitane*, anno 1224. in Kermania fundata, quae a Mogulis post annos 86. extincta est, anno scilicet 1364. XIV. *Po-hai* Dynastia, quae Tartarice *Niu-tche*, de qua post, surculus fuit, ad Coreae septentrionem posita, a *Kao-van* anno Christi 720. fundata, post anno 925. a *Kitanis* profligata est. XV. *Kin*, aliàs *Niu-tchin*, hodie *Man-tcheous* dicta, sive *Altoun*, ad Coreae boream usque ad Mare Orientale consita, *Kitanis* pridem obnoxia, post ab O-*ko-ta* duce Christianae Aerae anno 1118. fundata est. Quae in Sinas pervasa, ad Septentrionem parte omni, sub Dynastia *Sung*, potita est: sed post annos 120, Christi videlicet 1234, a Mogulis, genere Turcis, ab *Octai-kano*, nempe *Ginghi-schani* successore, destructa est. XVI. *Tsim*, quae scilicet ex *Niu-tchin* Dynastiae, a Ginghischanidis debellatae, reliquiis, a *Tai-tsou* Aerae Christianae anno 1586. fundata, in Sinis *Leao-tong* Provinciam primo obtinuit; defuncto *Tai-tsou*, paulloque post ipsius quoque successore *Tai-tsong*, istius filius, successorque *Chun-tchi* anno Christi 1644. Pekino potitus, ac Imperator proclamatus, atque perinde *Hung-Kuang* Imperatore Dynastiae *Mim*, in Sinis Nanquini imperante, capto; captaque Nanquino ipsa, totoque Sinensi potitus imperio, a Sinensibus ad Tartaros, e Dynastia *Mim* Sinensi ad Tartaricam *Tsing*, quae hodiedum regnat, illud transtulit: quae brevi contracta compendio, accepta cuncta De Guignesio Hist. gen. Hun. T. I. lib. 4. p. 179. sqq. ingenue referimus, ubi operose ille de his agit, harumque catalogum Dynastiarum, quae vix heic indicatae sunt, amplum contexit: videndus etiam Par. II. T. I. in Descrip. Tartar. Cap. 1. sqq. p. VII. sqq., ac lib. 4. p. 277. sqq.

XIII. Ad

XIII. Ad Occidentales modo Tartaros converso sermone, hosce sane origine *Hunnos*, ac in Tartaria *Hiong-nou* nuncupatos, amplum in Tartaria olim imperium, ab anno Christi ante natalem 1200. habere cepisse, quo perinde a Sinensibus everso, magna se versus Occidentem copia, & impetu effusos, haud exiguam Asiae, & Europae partem occupasse, aliis ad Sinarum septentrionem dispersis, a quibus postea Sinici pars Imperii pervasa est, e Scriptoribus Sinicis amplo traditionis adparatu ostendere pergit De Guignesius Hist. gen. Hun. T.I. lib.5. p.213. sqq., ac T.II. lib.1. sqq. p.20. sqq., ubi eorum, qui ab anno Christi ante natalem 209. in Tartaria regnum obtinuere, catalogum exhibet, capto a *Teou-man*, qui primus *Tanjou*, quo Sinice *Caeli filius* significatur, adsumpto titulo, pro Imperatore habitus est, suoque de pronomine Dynastiae huicce primae ab se fundatae denominationem fecit, exordio. Atque is porro Sinenses apud Scriptores ex *Chungoei*, qui & ipse ex antiquissima Sinensi Dynastia prima *Hia*, Christianam ante Aeram anno 1122. extincta, genus duxerat, in Tartariam profugo originem traxisse fertur. Ab hujus filio *Me-te* deinde, Tartaris Orientalibus usque ad Coream debellatis, longe lateque amplificatum imperium est, adeo ut Regna xxv. obtinuerit: quod imperium ab ipsius filio K*i-yo* perinde, Tartaris aliis, *Jue-chi* dictis, ad Aquilonem devictis, novi adhuc regni accessione magis adauctum est. Ex hisce vero Tartarorum Aquilonarium reliquiis, ad occasum profugi, Jaxtarte fluvio transmisso, novum successu temporis in Bactriana regnum fundarunt, J*etae* deinceps, sive *Getae* denominati. Alii ad Thibeti septentrionem delapsi, ad fluvium Ilium defixa sede, occupatisque perinde Karismo, Parthia deinde, & Korasaina, novum & ipsi regnum usque ad Indum condidere, dicti *Indo-Scythae*, videndusque De Guignesius Par.II. T.I. lib. 1. p. 41. sqq. Duravit autem in Dynastia *Tanjou*, post *Theou-man* in ipsius e stirpe successoribus Imperatoribus xxii. Tartarorum ad Sinarum occidentem imperium per annos 300. usque ad annum Aerae Christianae 93, quo a Sinensibus profligati, alias sibi versus Occidentem quaerere ad inhabitandum sedes compulsi sunt. E reliquiis vero, quae per Asiam dispersae sunt,

Tar-

Tartarorum Orientalium, ſive *Hiong-nou*, ſucceſſu temporis multiplicati, noviſque adaucti viribus, in duas rurſus Nationes diviſi ſunt Aerae Chriſtianae anno 48, *Meridionales*, & *Aquilonares*, ad Sinarum confinia poſitos: queis poſtremis debellatis, priores amplum in Tartaria fundarunt imperium; quorum Dynaſtae, a *Pe* in Dynaſtia Meridionali primo incipiendo, recenſentur a De Guigneſio T. I. lib. 5. p. 219, & Par. II. lib. 2. p. 145. ſqq., ab anno Chriſti 56, uſque ad annum 216. Quo a tempore Hunnorum *Meridionalium* regnum in parva alia quinque ſciſſum eſt; atque ex his I. *Tſien-tchao* fuit, quod ab anno Chriſti 309. ad 329. ſubſtitit; II. *Heou-tchao*, quod ab Aerae Chriſtianae 319. duravit uſque ad annum 351; III. *Goëi*, quod annos 3. vix ab anno 352. obtinuit; IV. *Hia*, quod ab anno Chriſti 407. ad 431. loco ſtetit; V. *Pe-leang*, quod ab anno 401. obtinuit uſque ad annum 439, queis de plura De Guigneſius p. 220. ſqq. Ex Hunnis, ſive Tartaris hiſce *Meridionalibus* orti deinde ſunt *Turcae*, & ipſi Orientales alii, Sinenſibus *Tou-Kiove* dicti, qui Aerae Chriſtianae anno 553. circiter, duce ſibi *Tou-muen* conſtituto, peramplo in Tartaria imperio fundamenta poſuere, Imperii ſede in Monte *Tou-kin* verſus Irtiſchi oſtia conſtituta: quorum Dynaſtarum, K*ani* nomine donatorum, ſeriem videre eſt apud De Guigneſium p. 226. ſq. uſque ad Chriſti annum 634, quo a Sinenſibus deſtructum ipſorum Regnum eſt, eorum in locum novis K*anis* ab Imperatore Sinenſi ſuffectis, quos penes rerum ſumma permanſit uſque ad annum 744, quo a Tartaris *Hoei-ke* Turcorum Orientalium everſum imperium eſt: queis de Tartaris, aliiſque horum Tribubus xv. per Tartariam diſperſis adeundus De Guigneſius Hiſt. T. II. lib. 7. p. 5. ſqq. Alii e Turcis Occidentales, ad Montis Altai occaſum poſiti, ubi anno Chriſti 585. amplum & ipſi fundarunt imperium: quorum Dynaſtarum, vulgo K*anorum* catalogus proſtat apud De Guigneſium p. 227. ſq. uſque ad annum 693, quo partim deſtructum a Tartaris eſt, partim in diverſas partitum eſt Dynaſtias: cujuſmodi fuere I. *Tou-Ki-chi* ab anno 706. ad annum 714; II. *To-Kive-chi* ab anno 737. ad annum 752; III. *Kie-Kia-ſu* ab anno 840. ad annum 866: quae poſtea a Tartaris *Hoei-Ke* dictis, qui regnare ad oſtia Amouri, & Selin-

lingae ceperant anno Christi 648, ac prius ipsi debellati anno 856. a *Kie-Kia* fuerant, quorumque seriem exhibet De Guignesius Hist. T.I. p.231. sq., pariter anno 900. circiter abolitae fuere: qui Tartari *Hoei-ke* postremo & ipsi a Turcis *Selgiudis* anno Christi 1037. profligati fuerunt. E Turcis hisce vero *Li-ke-yong* a Sinensis Dynastiae *Tam* Imperatore Rex *Tsin* factus est, de quo De Guignesius p.233. sq. Sub Dynastia *Leam* deinde, qui *Li-Ke-yong* in regno *Tsin* successerat, filius *Li-tsun-hiu* anno Christi 923, Dynastia *Leam* abolita, imperium ipse occupavit, novaeque *Heou-tam* Dynastiae locum, nomenque fecit: quae post anno 936. a *Lou-hoam-ti* pariter extincta & ipsa est; qui vicissim a *Che-Kim-tam* profligatus, cedere huic imperium eodem coactus est anno. Eisdem e Turcis Occidentalibus altera a *Lieou-tchi-yen*, sub Dynastia *Heou-han*, Sinensis imperii parte Christi anno 948. arrepta, Dynastia fundata est, quae tamen post annos 5. extincta prorsus est. Sex denique, sed ignobiliores, Tartarorum Dynastias alias enumerare De Guignesio fas fuit T. I. lib.5. p. 300. sqq., quarum I. *Ou-sun* dicta Christi ante natalem anno 174. fundata est, ejusque Dynastae *Ta-Kuen-mi*, sive Magni Kani nuncupati, ad fluvium Ilii regnum obtinuere usque ad annum Christi ante natalem 105, quo in Occidentem ejusdem reliquiae dispersae sunt. II. *Igour*, quae in duas perinde distracta est, unaque *Un-Ovigouridarum*, a decem fluviis, queis regio irrigabatur, accepto nomine, adpellata; altera vero *Tokos-Ovigouridarum*, a fluviis novem, quorum ad ripas inhabitabat, ita denominata, regnareque cepit ante Christianam Aeram anno 140, desiitque anno Christi 460, quo a *Kan-pe-tcheou* destructa est, nova fundata Dynastia, quae usque ad annum Christi 921. substitit. III. *Cha-tcheou*, quae Christianae Aerae anno 961. ab *I-Kin* condita ad lacum Lopium, anno 1015. circiter deleta est. IV. *Ju-tien*, sive *Khoten*, quae ab anno Christi 55. usque ad annum 964. duravit. V. *Chao-tche*, alias *Jerken*, quae cepit Aeram ante Christianam anno 74, finemque anno Christi 86. habuit. VI. *So-le*, sive *Kaschgar*, quae Christi anno 73. fundata, anno 133. exterminata fuit: videndusque De Guignesius, e quo paucis ista indicata sunt, hisce de copiose agens, de Turcarum autem origine paullo post agendum erit.

XIV. Ac-

XIV. Accepisse porro Tartaros, *Gingbischano* imperante, una cum Religione, litteras, atque scribendi artem a *Juguritis*, sive *Jusbergis*, Gente nempe, quae olim in Regno Tharsae inter Caucasi Montis juga sito inhabitaverat, quae profligatis deinde Gothis, Alanis, Ruthenis, ac Vandalis, sedem ibi defixit, ubi nunc Hungaria est, cui suo de nomen indidit, testes accedunt Haytonus de Tartaris capp. 2, & 16, Abulgazi Hist. Genealog. Tartar., Tartarus & ipse, Par. II. cap. 7. p. 91, Vincentius Bellovac. Speculi Major. T. IV. lib. 31. cap. 9, Abulfaragius in Chronico Syriaco apud Assemanum Bibl. Orient. T. III. Par. II. p. 469. sqq., Herbelotus Bibl. Orient. p. 487. sq., Sicardus Soc. J. in Memor. Mission. T. VI. p. 199, Minchovius de Sarmat. Asiat. lib. 1. cap. 10. sqq., Rubruquius Itiner. cap. 26. p. 53. sqq., ac post ipsos Joh. Laurentius Moshemius Hist. Tartar. Eccles. cap. 2. §. 2. p. 39. Quo loci ex Crozaeo Hist. Christ. Ind. lib. 6. p. 515. observat *Juguritarum* etiamnum litteras easdem sane esse, queis hodiedum Tartari utuntur, easque plane cum Bengalensium, ac Tangutensium litteris convenire. Hinc inferre licet eisdem Juguritis acceptam fortasse referre Tartaros debere Mensium itidem, & Anni formam, quae ipsis usu perinde venit. *Juguriticos* porrò Characteres aut Syriacos, aut parum a Syriacis diversos fuisse putat Soucietus Observat. Mathem., Astron., Chron. &c. T. I. p. 224. Menses, & Annos quod nunc attinet, Tartaris quoque, non secus atque passim Orientalibus, ad *Lunae* periodos Mensium spatia dirigi consuevisse, Annumque ideo *Lunarem* esse, sicut Arabibus, ac Turcis, observat Goguetius de Orig. Leg. Art., & Scient. T. I. p. 219. Mensium porro nomina secundum ordinem primi, secundi, tertii &c. procedunt, sequenti, quo apud Tartaro-Sinenses, Iguritas, Turcostanos, & Cathajos usurpari, atque Romanis nostris respondere observant, post Ulug Beighum de Epochis Orient. vers. Gravii p. 88, Hydaeus de Vet. Relig. Persar. p. 228, Moynius in Var. Sacr. p. 457, Velschius in Tabula Mens. in Comment. ad Ruzname Neuruz p. 48, ac Fabricius in Menologio p. 81.

MENSES

JUGURITARUM, TARTARORUM ORIENTALIUM, TURCOMANNORUM, CATHAJORUM &c.

1. Aram, ſeu I. December.
2. Ikindi, ſeu Aicandi II. Januarius.
3. Ugjungi, ſeu Aucong III. Februarius.
4. Dordungi, ſive Turtang IV. Martius.
5. Beshingi, ſive Biſchnang V. Aprilis.
6. Altingi, ſive Alnatag VI. Majus.
7. Yedingi, ſeu Jatang VII. Junius.
8. Sekizingi, ſeu Saciziang VIII. Julius.
9. Dokozingi, ſeu Thukſang IX. Auguſtus.
10. Onungi, ſive Aunung X. September.
11. Birinkizingi, ſive Birnacaſmang XI. October.
12. Tchokshabat, ſive Jacſchaban XII. November.

A Kalendis jam vero Februarii Tartaros annum exordiri advertit Gisbertus Cuperus de Elephantis in Nummis obviis Exercit. 1. cap.1. Antiq. Rom. Suppl. Sallengre T.III. p. 19; quique poſt Petit la Croix patrem in vita *Gingbiſchani*, (quo nomine Turanica, ſive Turcica lingua vetere *Regem Regum* ſignificari cenſet Renaudotius in Patriarch. Alex. Hiſt. p. 597; fallere vero *Gingbiſchani* Chronologiam, prout a Petito deſcripta fuit, ſcite admonet, oſtenditque Soucietus in Praefat. ad Obſervat. Mathem, Aſtron., Chron. &c. Sinenſium T. I. p. 20. ſqq., & p. 185. ſqq.), in vita, inquam, *Gingbiſchani* Tartaros inter Reges olim celeberrimi cap. 11. ſq., advertit ibid. p. 97, ſicut & Gaubilius Obſervat. Mathem. &c. cit. T.I. p. 223; atque De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. in Tab. Epochar. Orient. p. XLVII, Cyclum annorum XII. habere Tartaros, annos vero totidem Animalium XII. nominibus inſigniri apud ipſos ſole-

ſolere, cujuſmodi ſunt. I. *Keskou* Muris, II. *Out* Bovis, III. *Pars* Leopardi, IV. *Touſchcan* Crocodilli, V. *Lovi* Serpentis, VI. *Ilan* Equi, VII. *Junad* Vituli, VIII. *Koi* Simiae, IX. *Pitchin* Gallinae, X. *Dakouk* Galli, XI. *Eit* Canis, XII. *Tongouz* Porci; liquetque ex litteris *Gingbiſchani* ad Romanum Pontificem anno 1285, a Raynaldo n. 79. relatis, quae anno *Galli*, dieque 18. *Lunae Madii* obſignatae leguntur; ex litteriſque *Futim-Joens* pariter ad Rom. Pontif. apud Raynaldum ad annum 1338. n. 74, & Wadingum Annal. T. VII. p. 209, quae exaratae notantur anno *Muris*, Menſe 6, die 3. *Lunationis*: qui annus primus eſt in *Dodecaeteride* Tartarica, qua ſimiliter Chaldaei, Syri, Arabes, Perſae, Indi, Turcae, Iguritae, Sinenſes &c. utuntur: qua expleta, nova rurſus ordine eodem redit in orbem, qua de Paulus Venetus Itin. lib.2. cap.25, Scaliger de Emend. temp. lib.2. p. 100. ſq., ibique Ignatius Patriarcha Antioch., quae Tartaris Epocha *Sciaichum* adpellari ſolet, quave de fuſius actum jam nobis eſt, quum de Indorum, Thibetanorum, Sinenſium &c. Menſibus, & Annis, Periodis, & Aeris agere operae pretium eſt factum. Mongalis attamen, iis nempe Tartaris, Sinis maxime vicinis, e queis imo hodierni prodiere, qui Sinis praeſunt, Imperatores, non ſecus atque Thibetanis, Indiſque aliis, aliam Menſium, Annorumque computandi rationem iniri, ubi de horum Menſibus, & Annis ſermo inſtitutus, planum eſt factum.

XV. De Mogulenſium Menſibus, Anniſque modo agendo, eorum antea de Originibus, & Antiquitatibus nonnulla attingere juvat, unde lux haud exigua dicendis adfulgeat. Ex *Japheti* filio itaque *Turko*, cognomento *Japhet-Oglano*, ideſt *Japheti* filio, qui annis 10. minus, quam pater, regnaſſe, annis 240. nempe fertur, progenitus *Taunackus* filium procreaſſe *Elichi-Khanum*, atque hic *Dibbacovi-Khanum*, iſteque *Kayouk-Khanum*, e quo genitus *Alinge-Khanus*, ſub quo inducta primum Idololatria traditur, filios habuiſſe *Tatarum*, e quo *Tartari*, atque *Mogulum*, e quo *Mogulenſes* originem duxerint, referuntur Aboulgazio Bahadur-Khano Khariſmi Sultano, e Ginghiſchani ſtirpe, in Hiſt. genealog. Tartar., Mirkondo, aliiſque Herbeloto, ac De Guigneſio memoratis. Quo itaque tem-

pore Tartaris ad ortum imperare *Tatar* incepit, eodem ipso in parte imperii altera Mogulis ad occasum exordium fecit, ac nomen *Mogul*, aliis *Mung*, Sinice *Tristis*, dictus, adeoque ut a *Japheti* obitu anno 700. circiter *Mogulensium* Dynastia I. a *Mogul-Khano* fundata videatur, imperii sede in Urbe *Cara-Coum*, idest *Nigra*, a Soli nigredine accepto nomine, in Orientali Scythia inter Montes Ar-tag, & Gher-tag, Turcis Jailak, & Kischlak dictos, defixa. Duravit isthaec vero Dynastia in Regibus IX, inter quos *Ogouz-Khanus* III. Idololatriae bellum indixisse, regnoque suo armis adquisitas Regiones Chatajae, Tanguti, Carachatajae, Bukariae, Turchestaniae, Khorasainae, Adherbigianae, Irachae Persicae, Armeniae, Syriae &c. adjunxisse, vixisseque anno 4000. ante *Gingbischanum*, ideoque Christi ante natalem anno 2800. traditur: atque ipsius ex filiis sex Populi XXIV. originem duxisse feruntur apud Mirkondum, Aboulgazium, Beidavum &c., queis de Herbelotus Bibl. Orient. p.99, & p.597. sq., ac De Guignesius Hist.gener. Hun. T.I. Par.I. lib.5. p. 272. sqq., & Par. II. T.I. lib. 1. p. 8. sqq. In eadem Dynastia Rege IX, ac postremo *Il-Khano* bello petito a *Thoure* filio *Pheridouni*, ac *Gemscidis* nepote, profligato, regnoque exspoliato, finis Dynastiae huic impositus est. Ex *Il-Khani* reliquiis attamen *Kiano*, & *Tegouxio*, ita dictis Herbeloto p.489, *Kajano*, & *Nago* De Guignesio Hist. Par.I. T.I. p.274, in Montes Erkene-Kom in Mogulistania altissimos profugis, geminae subinde prodiere Tribus *Kiat*, ac *Derlighin* nuncupatae; indeque longa post aetate, hoc est post annos 450, *Mogulensium* Dynastia II. a *Bertezena*, cum ingenti suorum multitudine e Montium jugis erumpente, ingentemque in terrarum se se effundente tractum, effecta est. Quae Reges XX. habuit ante *Temuginum*, cognomento *Gingbischanum*, idest Tartarice *Magnum*, a quo tam III. *Mogulensium* Dynastia exordium accepit Christianae Aerae anno 1202, quam *Mogulense* longe lateque perTartariam,ac Persidem amplificatum est regnum; Khanorum Tartarorum in Transoxania, Kerismo, & Turchestania, Sinensium in Cathaja, & Karacathaja, sive ad Sinarum Septentrionem, Turcorum Kalipharum in Kharismo, & Iracha Persica imperio pariter everso: quo de celebri Conquaestore

ſtore Aboulgazius in Genealog. Tartar. p. 154, Khondemirus, Mirkondus, Abulpharagius in Dynaſt. 10, Petitus la Croix Hiſt. Ginghiſc. lib. 1. cap. 1, Hiſt. Itin. T. VII. p. 36. ſqq., Herbelotus Bibl. Orient. p. 378. ſqq., De Guignez Par. I. T. I. lib. 5. p. 275. ſqq., & Par. II. T. II. lib. 14. p. 271. ſqq., & Continuator Rollini Hiſt. Noviſſ. Sinen, Japon., Indor. &c. T. IV. cap. 2. edit. Ven. p. 15. ſqq.

XVI. Poſt *Ginghiſchani* obitum, Aerae Chriſtianae anno 1226, quatuor inter filios ab ipſo Mogulenſium imperio partito, totidem Dynaſtiae ſubinde prodiere. I. In *Capſchaca*, ad Caſpii Maris ſeptentrionem uſque ad Mare Glaciale regione protenſa, fundata a *Touſchio* eſt; cujus a filio *Batovio* deinde Alania ad Caſpii occaſum, Ruſſia, Bulgaria, Hungaria, Regioneſque aliae finitimae imperio adjectae fuere, bello etiam in Poloniam, Moraviam, Dalmatiam &c. inlato. Perſtitit iſthaec vero Dynaſtia uſque ad Chriſti annum 1502. in Khanis XXVIII, in *Scheamedo* demum deſtructa, imperio inter Ruſſos, Turcas, & Khanos alios diſcerpto: e quibus duo, vel tres, aut quatuor adhuc dum obtinent, in Crimea unus ad Ponti Euxini confines, in Usbekia alter ad Caſpii Maris oram; in Kaſania ad Volgam alter; alterque Aſtrakani inhabitans: qui duo poſteriores a Ruſſis poſtea anno 1552, & 1557 ſubjugati ſunt. II. In *Tranſoxania*, ac *Turcheſtania* ab Igouriae fronte uſque ad Samarcandae, quam *Alexandri* M. opus fuiſſe auctor eſt Mirkondus, fines a *Zagatajo*, quo de hodie Regio nomen praefert, magnamque Bukariae partem facit, condita Aerae Chriſtianae anno 1240. eſt. Ei ſucceſſere Khani XXXII, quos inter celebris *Timur-Bech*, vulgo *Tamerlanus*, quorum in poſtremo *Toumen-Cotluco* Seculi XIV. ſub initium extincta Dynaſtia iſthaec eſt, in Bukariae Khanos, Kariſmi Uzbechos, Ovigouros, Calmuchos &c. transfuſa. *Calmuchi* porro, e *Ginghiſchani* & ipſi ſtirpe, in Tartaria ad Irtiſchi, & Ilii fluvios incolae, tres in Tribus, ſuo qualibet ſub Khano poſita, diviſi perinde ſunt, *Dſongares*, *Coſchotſos*, & *Torgautſos*: quorum poſtremi hodie Ruſſis obnoxii ſunt, priores vero in Tanguto hodie Thibetanis obtemperant. *Iguri* vero, ſive *Ovigouri* olim Chriſti ante natalem anno 140. duas in Tribus diſpertiti, modo

do Tartaris, modo Sinensibus obnoxii erant: *Un-Ovigouri* dicti alii, a decem idest fluviis, quot Regio irrigabatur, ac *Tokos-Ovigouri* alii a fluviis novem desumpto nomine: quique priori Tribui praeerat, *Il-ittar*, qui posteriori *Il-irgin* dignitatis, potestatisque titulo insignitus est: donec & ipsi a Sinensibus, ac perinde a Tartaris leges accipere compulsi sunt. III. In *Tartaria* Mogulensium Dynastia ab *Octajo* fundata, in ipsius filio *Keyouco* Aerae Christianae anno 1246. finem accepit, in *Tuli* familiam transplantata. IV. In *Perside*, sive Iracha Persica, Khorasania, & India a *Tuli* postremo *Ginghischani* filio exordium habuit, cujus in filium *Mangou* anno 1250. Tartarica etiam translata est, ut modo innui, Dynastia; a fratre deinde *Houlagou* Kaliphis *Abassidis* Chaldaea, Syria, & Carmania, atque Kaliphis *Selgiucidis* Iconii Asia Minor, sive Natolia Christi anno 1258. erepta est. Stetit Dynastia sane isthaec in Successoribus VIII. usque ad annum 1335, quo *Abousaido* vita functo, Persicum imperium discerptum in partes est, Adherbigiana, idest Media veteri, ab *Ascrafo*, ac deinde a *Janibeko* anno 1355. rapta; Chaldaea, & Arabica Iracha, sive Assyria a *Buzurh-Hassano*, ac deinde a *Cara-Josepho* anno 1410. occupata; Perside a *Musaffero* pervasa; & India a Turcis *Ghauris* erepta.

XVII. Verum Ecclesiae Seculo XIV. ad exitum vergente, a *Timur-Bego*, Mogolice *Principe*, vulgo *Tamerlano*, eadem, qua *Ginghischanus*, e stirpe procreato, sub Dynastia *Zagatai* Militiae duce, primo Turchestania Christi anno 1365, Transoxania anno 1369, Karismia ad Caspii ortum anno 1379, Khorasania anno inseq., Iracha Agemi, veteri hoc est Hyrcania, anno 1385, Media, seu Adherbigiana, & Georgia anno inseq., Capschachia, & Armenia anno 1387, Perside eodem anno, Iracha Arabi, hoc est Chaldaea, & Assyria anno 1393, Diarbe-Kiria, idest Curdistania, ac Mesopotamia anno inseq., Russia, & Circassia anno 1395, Ormuz ad ostium Persicum anno seq., Indostania usque ad Gangem anno 1398. sq., Syria, & Anatolia anno 1400. sq. subjugatis, (a quo Militari pro Vexillo triplicis Circuli insigne Persico cum Lemmate in medio *Rasti*, *Rusti*, quod est Latine *Veritas*, *Salus*, usurpatum fertur apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 888.), maximum in splendorem

dorem erectum Mogulense imperium est, ex multis unum effectum amplissimum, novaque illustrior *Mogulensium* Dynastia V. *Timouridarum* ejus de nomine dicta, quae ceteras alias priores IV. una absorpsit, fundata est. Duravit haec in Sultanis VIII. usque ad Aerae Christianae annum 1449, quo *Abousaido* interfecto, Persia in *Uzum-Cassani* Turcomanni potestatem devenit. In Imperio reliquo tamen *Abousaido* successit filius *Omarus-Scheik*, istique *Baber* filius, qui anno 1498. Samarcandae regnum, ac Transoxania a *Schaibeko-Khano*, e *Touschi* stirpe, pulsus, Indo transmisso, & Candaharia, aliisque Provinciis potitus, novae in Indostania, quae hodie Magni *Mogolis* imperii nomen induit, Dynastiae VI. fundamenta jecit: quae ad hanc usque diem *Schachos Baberidas* IX. usque ad Christi annum 1740. enumerat, a quibus mox Agrae, mox Lahori, mox Dehli regni sedes defixa est. Hoc ipso tamen, quo scribo, anno 1766. e Chandernagore in ora Coromandelica scripta a Domino de Lavv de Lariston Regis Galliarum Commissario ad Indicam Societatem Gallicam elapso anno die 31. Augusti Epistola Gallicis in Ephemeridibus circumfertur, qua a *Scythis* Idololatris *Adbaly* profligato, captisque Lahore, ac Dehli Urbibus, *Tamerlani* in Mogole regnantis exterminata omnino progenie, in Mogolis imperio sua ex ge nte constitutus *Gobine-Singue* Schachus traditur.

XVIII. Paullo retro modo stylo deflexo, a *Tuli* filio altero *Kublai-Kano*, Sinensibus *Chi-tcou* dicto, fratre *Mangovi*, altera in Sinis, ab ipso ubique pervasis, Dynastia VII. fundata est Aerae Christianae anno 1280, juxta alios Christi anno 1294, *Tven* dicta, ac *Tartarica* I, inter Sinenses XX. Imperio deinde Sinensi adjectae fuere, armis ab ipso subjugatae, Provinciae Pegovi, Thibeti, universae Tartariae, Concinsinae, Tonchini, & Coreae: quarum accessione longe lateque imperium a *Kublai-Khano* amplificatum est. Eum in eadem *Tven* Dynastia excepere in Sinis Imperatores IX. sua ex stirpe descendentes annis 110. usque ad Christi annum 1404, quo *Chun-hoam-ti*, sive *Tocatmour-Khanus* a Sinensibus, rebellionis ducibus *Han-lin-eul*, a quo Dynastia *Song* orta est, atque *Tchou*, a quo Regis *Ou* titulus adsumptus est, ac Dynastia XXI.
Mim

Mim fundata, ejus dominio pertaesis expulsus, in Tartariam regredi compulsus est, in eoque Dynastia *Tven* in Sinis extincta est. A *Chun-ti* filio tamen *Bisourdaro-khano* in Tartaria magnum ultra desertum Chamos nova Dynastia II. *Tven* Septentrionalium, inter Tartaricas VIII, alias *Kalcasiensium* Mogulorum Khanorum adpellata, Seculo XV. sub initio condita est, regni sede ad fluvios Selingam, Orkhonium, Toulae, & Kerlonii defixa: quae ad Seculi XVII. initium Khanos xi. enumerabat, multa tamen parte a Tartaris *Mantcheous*, a quibus Dynastia T*cim* fundata hodie in Sinis regnat, postquam in Sinis imperare ab anno Aerae Christianae 1645. cepere, ipsorum dominio imminuto, ac Tartaris obnoxio. Videndi, qui ex Aboulgazio, Khondemiro, Abulpharagio, Mirkondo, Ben Schohnah &c. multa de his collegere, e quibusve me profecisse ingenue fateor, Herbelotus Bibl. Orient. p. 160. sqq., 194. sq., 267, 390. sq., 453. sq., 487. sq., 548, 684, 771. sq., 877. sq., & 893. sq., Mansdelus Itin., Petitus la Croix in Vita Ginghischani p. 495. sqq., ac in Vita Timur-Beghi lib. 1. sqq., De Guignesius Hist. Gen. Hun. Par. I. T. I. lib. 1. p. 70. sqq., & lib. 5. p. 277. sqq., Hist. Itin. T. X. p. 212. sqq., Salmon de Statu Mogol., Otterus Itin. T. I, Rollini continuator Hist. Noviss. Sinens., Japon., Indor. &c. T IV. edit. Ven. cap. 3. p. 45. sqq., cap. 4. p. 57. sqq., & cap. 5. p. 84. sqq.

XIX. Hisce de *Mogulensium* genealogiis, atque Dynastiis obiter praehabitis, quod nostra propius nunc interest, ut paucis etiam, quoad ejus fieri poterit, expediamus, principio Chronologiam apud Mogulos pessimo jacuisse loco inde augurari fas est, quod sub *Ginghischano* demum ab ejusdem Ministro, bello, scientia, & arte celeberrimo, *Ilitchou-tsai* genere Tartaro, Persarum, & Arabum Mathematicorum adhibita opera, Kalendarium apud Mogulos reformatum est, quo de Khondemirus, ac Mirkondus, idest Emir Mohammedus Khavend Schah ex Arabico a Petito la Croix versus. Tumque Kalendarium apud Mogulos sane ad Persico-Arabici formam digestum fuisse veri fit valdequam simile: qua postea sub *Timur-Begho* mutata, Temporibus putandis ab ea sane, quae Tartaris, Iguritis, Cathajis &c. usu fuit, haud dispar Mogulis usur-

usurpata ratio videtur. Initio nempe iis omnibus, Ulugh Beigho teste in Tavarikho, sive de Epochis Orient., Hebdomada diebus 15. constat, ac Mensis e diebus 60. conflatur, estque ipsemet Cyclus Sexagenarius Indis, Sinensibus, Japoniis &c. ubique adhibitus, quo de super. Volum. fusius, adeundusque Herbelotus Bibl. Orient. p.417. V. *Hastah*, Turcice *Hebdodamada*, a Persica *Hest* derivata, ad Graecum Ἑπτά *Epta* proxime accedente, quae *Septem* sonat. Mensium tamen nomina tam diversa ab Iguritis, Tartaris, Cathajis, Thibetanis, Sinensibus &c. obtinent apud Mogulenses, quam diversum eisdem Mensibus exordium fit: apud Iguritas enim a Decembri, apud Sinenses a Februario, apud Thibetanos a Martio, apud Mogulenses vero ab Aprili novi Anni capi auspicia solent. Mensium porro nomina, velut ex Dapero Ind. p.31, ac Baldaeo in Descript. Malabariae Par. ult. cap. 17. descripta a Fabricio Menologii p.161. fuere, Mogulensibus usurpata, prout Julianis nostris respondent, subjectum tibi Diagramma nunc exhibet, ita tamen, ut tertio quovis Anno intercalari, & Mensis 13. *Embolimaeus* soleat, *Lunari* nempe cum *Solari* componendo anno introductus.

MENSES

INDORUM MOGULENSIUM.

1. Tseitram	Aprilis	7. Aswyam	October
2. Weiniakan	Majus	8. Kartikam	November
3. Jeistan	Junius	9. Margisaram	December
4. Ajadam	Julius	10. Ponjam	Januarius
5. Svawanam	Augustus	11. Magam	Februarius
6. Badrapadan	September	12. Paalgouwam	Martius.

XX. Ad Turcas nunc stylo deflexo, tot eorumdem origines fabulis undique redundant; tamque spissis oblitae tenebris sunt, quam ut certo definiri quidquam possit. Age tamen,

quae hac de re ex Aboul-gazi Bahadur Kano Sultano Karifmi in Hift. genealog. Tartar., e Muhammedo Khavendfchaho, vulgo Mirkondo in Raooudath Alfafa, Horto deliciarum, eque Khondemiro in Khilaffat Alakhbar, Medulla Hift. referuntur Herbeloto Bibl. Orient. p. 897. fq., ac De Guignefio Hift. gen. Hun. T I. Par. II. lib. 1. p. 4. fqq., paucis, quoad ejus fieri poterit, attingere, nec injucundum, puto, nec inutile prorfus erit. A *Noacho* itaque ex Arca vix egreffo tres inter filios Orbis ad inhabitandum ita fuiffe diftributus fertur, ut *Chamo* India, *Semo* Irania, Regio ideft inter Indum fluvium, ac Sinum Perficum media, *Japheto* Regio Kuttup Schamach, amplae fcilicet ad Indiarum feptentrionem, ac Cafpii Maris occafum, Regiones exporrectae obtigerint. E *Japheto* itaque, quem ideo *Aboul-Turk*, ideft Turcorum patrem agnofcunt, quique *Lapidem*, Arabibus *Hagr al-Matbar*, Lapidem nempe *Pluviae*, Turcis *Gioudeh-tafch*, Perfis *Senk-jede*, Mogulis *Giour-tufeh* adpellatum, *Dei* nomine infcriptum, cujus ope aut Pluvia, aut Serenitas, prout opus foret, impetrari poterat, accepiſse venditatur. Jam vero e *Japheto* filios alii tres, octo alii, aliique undecim procreatos fuiffe ferunt, fùntque *Turk*, e quo Turci, *Tchin*, e quo Sinenfes, *Seclab*, e quo Slavi, *Mameluk*, e quo Gothi, five Scythae, *Jagiouge*, & *Magiouge* etiam dicti, *Gomari*, five *Keimak*, e quo Bulgari *Khofar*, five *Char*, e quo Khofariani, *Roufs*, e quo Rutheni, five Mofcovitae, *Sadeffan*, *Gaz*, & *Khalag*, e quibus Turcomanni genus duxiffe feruntur. A *Turko* itaque in Turcheftania fundatum imperium per annos 240. per femet, quoad vixit, adminiftravit; illudque poft obitum e quinque ipfius filiis *Taunak*, *Zakale*, *Berzazar*, *Amlak*, & *Ilmiouge* obtinuiffe aliis primus *Taunak*; poftremus aliis *Ilmiouge* traditur. *Turcorum* idcirco nomen & Tartaris, & Mogulis, & Iguritis, & Chatajenfibus adhaefiffe obfervant Herbelotus, & De Guignefius; *Turcki* vero pofteros in quatuor primum Tribus *Erlat*, *Gialair*, *Chaouchin*, & *Perlas*, qua e poftrema genus duxiſse *Tamerlanus* traditur Ahmedo ben Arabfchah in Hift. Tamerl., Gallice a Vattierio reddita, fuiſse diviſos, ac poftinde in Tribus vigintiquatuor ab *Ogouztano* Mogulenfium Rege III., a quo ufque ad Sinas Turcicum ampli-

amplificatum imperium eſt, e quove ſe originem traxiſſe Turcae *Othomanides*, ideſt Occidentales, jactant, videndique Herbelotus Bibl. Orient. p. 685, ac De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 5. p. 272. ſq. Poſt *Ilmiouge* Turcis praefuit ipſius filius *Khani* titulo *Dibbacovi-Khan*, quem excepit *Kayouk-Khan*, aliis *Gajouk* dictus, filius, iſtumque filius *Alinge-Khan*, ſub quo inducta Idololatria fertur, cultuſque primum a Filio Patri, Maritoque ab Uxore, atque viciſſim impenſus. *Alingi* gemini fuere filii *Tatar*, a quo Tartaros, ac *Mogul*, a quo Mogulenſes genus duxiſſe refert Mirkondus: quo factum, ut Turcorum nomine Tartari, & Mogulenſes Orientalibus paſſim Scriptoribus fuerint adpellati, velut obſervant Herbelotus Bibl. Orient. p. 99, ac De Guigneſius lib. 1. p. 7.

XXI. Incerta ſed enim adeo ſunt iſta, atque in obſcuro latent, totque fabulis undique inſperſa, quam ut tuto iis adhiberi fides debeat. Alteram itaque ab hacce, longeque poſteriorem Turcis originem fecit Aboulghazi Hiſt. genealog. Tartar. Ejuſdem nempe prorſus originis, qua Tartari, ac Mogulenſes, fuiſſe *Turcos*, ex Hunnis prognatos, atque ſaepe cum hiſce permixtos, ſuperius obſervatum eſt. E Turcis itaque, ſive Tartaris, ad Aquilonem, ut ſupra dictum, ſitis, profligatis a Tartaris, ſive Turcis ad Auſtrum poſitis anno Chriſtianae Aerae 95, ſuorum cladi ſuperſtites duces *Kajanus*, & *Nagus* ad Montes Altai, ad Irtiſchi oſtia in Sogdiana, profugi *Turcis* originem feciſſe referuntur; adeo ut duas ii primum in Tribus *Kajanam*, & *Nagaeam* fuerint diviſi, poſteriorque deinde, *Nagaea* ideſt, in duas alias *Nagosler*, & *Derlighin* fuerit bipartita, utrique vero ſui praefuerint *Khani*: quarum e priori *Kajana* poſt Generationes XII. prodiiſſe *Ginghiſchanus* fertur, queiſve de De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. Par. II. lib. 5. p. 370. Annos poſt 450, Aerae hoc eſt Chriſtianae 545, ingenti ex Altai Montis anfractibus eruptione facta, Mogulis devictis, armiſque ſubactis, Regionis parte haud exigua Turcae potiti ſunt, amplificato longe poſtinde, lateque imperio. Paullo aliter iſthaec Turcorum origo, ac tranſmigratio a Scriptoribus aliis Sinenſibus refertur apud De Guigneſium loc. cit. p. 371. ſqq., quae tamen eòdem recidere videtur. A Tartaris

 ideſt

ideſt *Goei* ad Sinarum meridiem incolis fugati Tartari *Azenae* dicti ad Aquilonem ſupra Caſpium inhabitantes, ad Montes Altai profugiſſe, ab unoque Montium jugo *Caſſidis*, Genti T*ur*k nuncupatae, formam referente, nomen adepti fuiſſe feruntur. *Azenis* hiſce, aliis *Zenis*, ideſt *Lupis*, dictis K*hani* titulo praefuiſſe omnium primus K*o-pam-pou* Scriptoribus aliis traditur, quo una cum ſuis profligato, unus ſuperſtes filius *Y-tche-ni-ſai-tou* filium & ipſe procreaſſe fertur *Natou-louche*, qui Regis adſcito nomine Genti deinde T*urcorum* nomen indidit. Iſti filios inter alios fuiſſe *O-chien-che*, cognomento *Zena*, ideſt *Lupus*, indeque ortus T*ou-muen*, Aerae Chriſtianae anno 545, Tribubus aliis ſubjugatis, in Tartariae regiones, *Il-*K*hani* adſumpto titulo, ample Turcorum propagaſſe imperium perhibetur. Tum vero Turcae, etſi Deus unus iis haud ignoraretur, a Perſis tamen primum Idololatriam ebibiſſe, atque Solis, Lunae, Ignis, Aeris, Aquae, ac Terrae cultum didiciſse videntur, inficias etſi iverit De Guigneſius p.375. ſqq., recte tamen obſervans *Manichaeorum* ſpurcitie, ſubindeque *Fò*, ſive *Samanae* ſuperſtitione, tum etiam in Turcheſtaniam, ac Mogolem inlata, Turcas conſpurcatos fuiſse. Ab *Il-*K*hani* nepote deinde *Mo-*K*hano* Tartaris, ſive Getis uſque ad Caſpium, & Volgam, ac Tartaris, ſive Kitanibus uſque ad Coream debellatis, longe, lateque Turcorum imperium amplificatum eſt anno Chriſti 555. Aerae Chriſtianae anno 586. a Sinenſibus, *Ven-ti* imperante, Turcae devicti, ac Sinenſi Imperatori vectigales facti, Sinenſe Kalendarium, una cum Anni forma, atque Cyclo Sinenſibus uſurpato amplexi ſunt, quo de ſuper. Volum. Anno ſubinde Chriſti 607. a *Yam-ti* Sinenſi Imperatore, ſibi junctis K*imin-*K*hano* Turcorum Magno Khano, aliiſque K*hanis* duobus, univerſa ſubjugata Turcheſtania, Imperii dominium per leucas 9300. ab Ortu in Occaſum, perque leucas 14800. ab Aquilone ad Auſtrum propagatum eſt, videnduſque De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T.I.P.II.lib.5. p.411. ſq. Leuca porro magna, juxta computum Academiae Scient. Pariſ., gradus parti vigeſimae aequivalet, atque cubitos 2853, quorum quilibet pedibus 6. conſtat, complectitur; ideoque aequivalet leucis 10. Sinenſibus, atque Sinenſibus cubitis 1800; adeo

adeo ut gradus 1. leucarum 20. Sinenses leucas 200. comprehendat. Quò fit, ut leuca Sinensis cubitis 108. constet; videndique P. Thomas Miss. Sinen. Hist.Itin. T.VI, & Auctor Hist. Sinen. e Gallica Latina Civitate donatae T.I. cap.2. edit.Ven, 1760. p.214. s.). Anno sed enim Christianae Aerae 617, Sinensis Imperatoris *Tam-ti* excusso jugo, se, suosque *Chi-pi-Khanus* in libertatem adseruit, occupatisque Provinciis ab Irtischo fluvio ad Mare Japonicum, Turcorum imperium, longe, lateque amplificavit. Donec anno 630. ab Imperatore Sinensi *Tai-tsong*, ingenti Turcis adfectis clade, ipsorumque duce *Tou-si-Khano* capto, Turcorum imperium a Sinensibus eversum est. Illud redintegrarunt equidem anno Christi 680. *Kou-to-lo-Khanus*, ipsiusque successores, sed anno demum 744, in Sinis imperante *Hiung-tsung*, postquam annis 211. durasset, a Sinensibus prorsus abolitum est, queis de fatis plura dabit Vir doctiss. De Guignesius lib.5. p.433. sqq., & p.458. sqq.

XXII. Atque haec quidem ad Turcos quod attinet Orientales: de Occidentalibus nunc paucis agendo, principio hi Orientalium sane Magno *Khano* erant obnoxii, proprio ab eo recepto *Khano*. Nempe a *Tou-muen-Il-Khano* Turcicum fundatum imperium, ipsiusque a Nepote *Mo-Kan-Khano* longe, lateque propagatum fuisse supra dictum est. Qui hunc itaque excepit, a *To-po-Khano* Aerae Christianae anno 572. Turcico in duas partes imperio partito, eidem administrando duo praefecti *Khani* fuere, Orientali unus *Ulh-fou-Khan* dictus, alter Occidentali *Pou-li-Khan* adpellatus; quae utraque deinde pars imperii quatuor inter *Khanos* distributa fuit. Anno itaque Christi 585. Magni Khani *Cha-po-lio* excusso imperio, regioneque occupata ab Irtischo fluvio usque ad Paludem Maeotidem, novo Turcorum Occidentalium imperio fundamenta ab *Apo-Khano* jacta fuere; quod perinde anno 607. a *Mo-ho-Khano* amplificatum valdequam est, a Persarum vero dominio, quibus vectigal dependi a Turcis oportebat, anno demum 619. liberatum a *Tum-che-hou-Khano*, vulgo *Schaveh-Schabo*, quo de Fourmontius in Hist. Monum. Acad. T.VII. Hist. p.325, ac De Guignesius Hist. gen. Hun. T.I. Par.II. lib. 6. p.470. sq. Donec *Izdegerde* interfecto Christi anno 651, ab Arabibus Persis

ſis occupata, in Moslemorum poteſtatem translata eſt. Ab Arabibus Aerae deinde Chriſtianae anno 708, *Catiba* duce, Turcae ſub *So-ko-Khano* debellati, ac denuo ſub *So-lou-Khano* anno 737. a Muſulmannis, duce *Aſado* filio Abdallah, ingenti clade adfecti, e regionibus in Turcheſtania multis excedere coacti ſunt. E Turcis vero, qui a Moslemis in captivitatem abducti fuerant, ac Provinciis ſubinde a *Kaliphis* praefecti, imperii parte ad ſe rapta alii, in Dynaſtias perinde alias diviſi, Aegypto potiti, ac Syria poſtinde ſunt, I. *Thoulonidae*, queis originem fecit Hegirae anno 254, Chriſti 868. *Ahmedus* filius *Thoulonis*, unde his nomen inditum, vir ſcientiis, armis, regnandi, belligerandique arte celebris: qui regnare in Aegypto, & Syria deſiere Hegirae anno 292, Chriſti 905, a *Moktafio* Kalipha ſubjugati. His in Syria, & Aegypto ſucceſſere II. *Ykhſcibditae*, quorum Dynaſtia a *Mohammedo*, cognomento *Ykhſcibdito*, Pherganae ideſt *Rege Regum* fundata eſt Hegirae anno 324, Chriſti 935, a quo in alias Syriae regiones deinde propagatum dominium eſt. Dynaſtia haec tamen poſt annos 34, Hegirae anno 357, Chriſti 968, a *Moezzedino Allaho*, qui Kaliphae titulo *Phatimitis* in Africa praeerat, a quove Magni *Cairi* Urbs in Aegypto aedificata eſt, extincta prorſus eſt. E Turcis alii ad Indi boream diſperſis in Provincia *Ghazna* novi fundamenta regni poſuere Hegirae anno 365, Chriſti 975, III. *Ghaznevidae* inde dicti, auctore *Sebekteghino*, a quo & Koraſaina perinde, ſive Perſide occupata, longe diffuſum imperium fuit, primumque *Sultani* nomen, quod antea *Maleki* fuerat, ideſt *Regis*, uſurpatum. Ab ipſius ſubinde filio, ſucceſſoreque *Mahmudo*, cognomento *Jemin-Eddouleto*, inter Moslemos victoriis celeberrimo, Bokara Urbe capta, ac *Manſore* Rege *Samanidarum*, quorum Dynaſtia Chriſtianae Aerae anno 874, Hegirae 261. fundata fuerat in Provinciis Khoraſainae, ac Maouarennahariae, ideſt Tranſoxaniae, quae nempe ad meridiem, & occaſum Gihone, ſive Oxo fluvio, ad occaſum, & aquilonem Caſpio Mari definita eſt, interfecto, Familiae IV. *Samanidarum* finis Hegirae anno 390, Chriſti 999. impoſitus eſt. imperio perinde in Indoſtaniam propagato. Deſtructa vero & ipſe *Gaznevidarum* Dyna-

Dynaſtia eſt Hegirae anno 579, Aerae Chriſtianae 1183. a *Gozis*, ſive *Uzis*, genere Turcomannis: ſed & V. *Gozis* hiſce paullo poſt a *Ghouridis*, Turcis hoc eſt aliis, qui Gouridem inhabitabant Provinciam, unde illis nomen adhaeſit, debellatis, VI. ad *Ghourides* imperium translatum eſt *Gajathedini* Sultani opera, a quo nova Dynaſtia iſthaec ortum duxit.

XXIII. Tranſoxania, ſive Khoraſaina, ſive Turcheſtania, ac perinde Iraniae, ſive Perſidis ampliori parte, Armenia, & Georgia poſtinde, Regionibuſque ab Indo ad Boſphorum etiam potiti *Selgiucidae*, atque Dynaſtiis *Bovidarum*, & *Ghaznevidarum* abſorptis, *Kaliphis* inſuper imperium eripuere omne. Dynaſtiae huicce porro VII. *Selgiucidarum* nomen fecit *Selgiucides*, genere Turcomannus, originem ipſius filius *Mikhael* Hegirae anno 420, Chriſtianae Aerae 1029, imperium adquiſivit filius ipſius *Thoghrul-Begh* Hegirae anno 429, Chriſti 1037. Dynaſtia ſubinde iſthaec in quinque alias diviſa eſt, quarum haec I. *Selgiucidarum* in Perſide imperare perrexit uſque ad Hegirae annum 590, Aerae Chriſtianae 1194, atque Sultanos, ſive *Schahos* XVI. habuit; eique demum a *Tagaſcho* Khariſmi, sive Khovariſmiae Sultano finis impoſitus eſt. II. *Selgiucidarum* familia, *Chaderdienſium* etiam dicta, a *Cadherdo-Begh*, Mikhaelis nepote in Kermania, vulgo Caramania Persica, olim Segeſtania ad Sinum Persicum, fundata eſt Hegirae anno 455, Chriſti 1062, ac Sultanos XI. recenſuit, a *Maleko-Dinaro*, e ſtirpe *Ali*, demum Aerae Chriſtianae anno 1187, Hegirae 583. exterminata. III. *Iconii* in Asia Minori, ſeu Anatolia, a *Solimano* Selgiucidis pronepote Aerae Chriſtianae anno 1081, Hegirae 474, *Selgiucidarum* Dynaſtia condita a Laodicea Syriae ad Helleſpontum imperium adepta eſt, ac in Sultanis XVII. duravit uſque ad Hegirae annum 700, aut 708, Chriſti 1300, aut 1308; quo a *Gazano Khano* Mogulis Imperatore abolita eſt. Cujuſce poſt fata Dynaſtiae, praecipuos inter *Emiros* XI, Copiarum nempe Duces, totidem in parva Regna partitae totius Asiae Minoris Provinciae ſunt, adeo ut *Carmano* Phrygia obtigerit, *Saroukhano* Magnesia, *Calamo* Aetolia, *Amerkhani* filiis Paphlagonia, *Ghermiano* cum Iconio Lycaonia, *Aidinio* Caria, & Lydia, *Solimano* Ca-

Castamon, sive Pamphylia, *Armenako* Caramania, *Tahsio* Marmara, seu Isauria, *Mouradeddino* Caovia, sive Cilicia, *Othomanno*, a quo deinde *Othomanidarum*, hodie Constantinopoli regnantium Dynastia fundata est, ceteraeque in Asia Minori Dynastiae absorptae fuere, Bithynia sorte ceciderit; queis de, aliisue Turcorum Dynastiis adeundus Marakeschius Arabs Scriptor apud De Guignesium in Hist. gen. Hun. T. II. Par. II. lib. 11. p. 76. sq. IV. *Aleppi* in Syria *Selgiucidarum* familiae Aerae Christianae anno 1093, Hegirae 486. originem fecit *Toutouschus*, cognomento *Tadgeeddouletus*, genere Selgiucida, quae post annos 25. ab *Ilghazio*, ex familia *Ortokidarum*, Mardini Rege in Mesopotamia destructa est. V. *Damasci* in Syria *Selgiucidarum* Dynastia, a *Decaco* filio *Toutouschi*, Hegirae anno 488, Christi 1095. condita, Sultanos IX. habuit usque ad annum Aerae Christianae 1154, Hegirae 549, quo a *Noureddino*, in Dynastia *Atabekidarum* in Syria, & Arabia Sultano II, victoriis adversus Christianos, ac Moslemos celebri, eversa funditus est: queis de videndi Herbelotus Bibl. Orient. p. 533. sqq., 806. sq., 835. sq., & 1030. sq., ac De Guignesius Hist. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 5. p. 236. sqq., & T. II. lib. 9. p. 129. sqq., lib. 10. p. 185. sqq., Par. II. lib. 11. p. 1. sqq., ac lib. 12. p. 78. sqq.

XXIV. Origine, moribus, idiomate, crudelitate, superstitione Turcis adfines fuere *Turcomanni*, Gens olim Regionis ultra Turchestaniam, idest Gihonem, seu Oxium fluvium, ad Transoxaniae, ac Khorasaniae confines, in Sogdiana nempe, positae incolae, inde *Turci* ob genus, & *Comanni* a Regione nuncupati: qui deinde qua citra Khovarismum, atque plerasque Khorasaniae regiones, qua ad occasum Caspii Maris effusi, *Gozzi*, sive *Uzi*, post in Graeciam, ac Macedoniam propagati, nomen obtinuere, plerasque in Dynastias, sive Familias partiti: quarum I. *Ortokidarum* fuit, eademque bifariam divisa, communi de patris *Ortoki* nomine quidem adpellata, sed a geminis Fratribus diversis in Regionibus fundata. Alia nempe ab Emiro *Ilghazio* in Iracha Syriae, Mardini in Mesopotamia regni sede defixa, Aerae Christianae anno 1104, Hegirae 498, quae in *Emiris* X. per annos 120. usque ad

ad Christi annum 1220, Hegirae 617. integra stetit, quo ab *Adel-Abubekro*, e Saladini familia, exterminata prorsus est. Altera in Syria, & Armenia, Regni sede Khiphae constituta, a *Sohmanno*, Ortoki filio altero, eodem, quo a fratre *Ilghazio*, tempore fundata est; quae usque ad Hegirae annum 629, Aerae Christianae 1231. in *Emiris* VIII. duravit; quo a *Maleko-El-Kamelo*, e Saladini genealogia in Aegypto regnante, eversa funditus est. II. Turcomannorum *Cappadociae*, quae a *Kamsch-teghino* filio *Thilovi* Christi anno 1099, Hegirae 493, Malathiae deinde sede regni stabilita, in Cappadocia condita, in Dynastis IV. duravit usque ad Hegirae annum 567, Aerae Christianae 1171, quo a *Kilidge Arslano*, Iconii Sultano, regno exspoliata est. III. Turcomannorum *Armeniae*, quae a *Sckmano-El-Cothbi*, defixa regni sede in Urbe Kelate, *Merovanidibus* regno depulsis, in Armenia Christi anno 1112, Hegirae 506. fundata est, stetitque in *Sultanis* IX. usque ad Hegirae annum 604, Christianae Aerae 1207, quo a *Maleko-El-Aouhado*, cognomento *Ayoubo* e stirpe *Saladini ben Ayoub*, unde Familiae *Ayoubitarum* cognomen inditum, destructa est. IV. *Atabekidarum* longe aliis illustrior, *Salguriensium* etiam de fundatoris *Salgaris* nomine dicta, cognomento *Modhafferidini*, Dynastia, in quatuor alias & ipsa partita Dynastias est: e quibus I. *Atabekidarum* in Iracha, sive Syria Aerae Christianae anno 1127, Hegirae 521. regnare cepit, ab *Emadeddino Zengho*, vulgo *Sanguinio* fundata, regni sede Mosuli locata, dominioque in Chaldaeam, Mesopotamiam, ac Syriam usque ad Aegyptum extenso. Postquam vero in Regibus XI. per annos 137. stetisset, Hegirae anno 658, Christi 1260. a Mogulis abolita est. *Emadeddino Zengho* porro Mosulis in regno successit filius *Seiffeddinus Ghazi*; filius alter vero *Noureddinus Mahmoud* Aleppo Christianae Aerae anno 1145, Hegirae 540, & Aegypto Hegirae anno 565, Christi 1169. potitus est; quo postinde Aerae Christianae anno 1183, Hegirae 579. ejus nepos *Emadeddinus Zenghus* regno exspoliatus est a *Saladino*, qui *Sultani* adsumpto titulo, Aegyptum a *Maleko-Saleko* filio Noureddini ereptam, suum in jus transtulit Hegirae anno 570, Aerae Christianae 1174. Sed & *Seiffeddino Ghazi* in regno Mo-

 sulis

ſulis ſucceſſit ipſius frater *Cothbeddinus* Maudoud; filius vero *Moezzeddinus Sandgiar* pro dominii parte Urbem Geziret ben Omar in Tigridis Inſula obtinuit Chriſti anno 1180, Hegirae 576: quo dominio ipſius pronepos *Malekus Maſoud* Hegirae anno 648, Aerae Chriſtianae 1250. detruſus eſt a *Bedreddino Loulou*, qui defuncto *Naſereddino* Moſulis rege, *Cothbeddini* fratre, Moſulis ante regno Chriſti anno 1222, Hegirae 619. potitus fuerat. *Emadeddinus Zenghus* adhaec a *Saladino* Aleppi regno exſpoliatus, Sandgiarem, Niſibim, Raccam, Khabourem, & Saroudgem Urbes obtinuit Hegirae anno 579, Chriſtianae Aerae 1183, treſque ſuos ad poſteros tranſmiſit, a quibus demum Chriſti anno 1219, Hegirae 616. ablatae fuere. Sed & Moſulis Regibus abſtracta Urbe in Meſopotamia celebri Arbela, ſuum in jus tranſducta eſt a *Zeineddino Jouſofo* Militiae duce Hegirae anno 581, Aerae Chriſtianae 1185, cujuſce dominio poſt ipſius frater *Malekus-El-Modhaffer* privatus eſt a Kalipha *Moſtanſero* anno Hegirae 634, Chriſti 1236. II. *Atabekidarum* Dynaſtia in Adherbidgiana, *Pehlevanidarum* etiam dicta, a *Selgiucidis* erepta, in Perſide ad latus Armeniae ſeptentrionale, olim Media, a *Scamſeddino Ildeghizo* fundata eſt Chriſtianae Aerae anno 1136, Hegirae 531; in Urbe Arran ſtabilita regni ſede, Taurizii deinde ab ipſius filio *Mohammedo Pehlevano*, unde Dynaſtiae nomen adhaeſit; imperioque poſtinde in Georgiam amplificato: quae denique Hegirae anno 622, Chriſti 1225. a Khariſmi Sultano Tartaro exterminata prorſus eſt. Adherbidgianae tamen Regibus ante Hamadana, Urbeſque ereptae aliae ab *Ogoulmiſcho* genere Mameluko Aerae Chriſtianae anno 1213, Hegirae 610, viginti duos poſt annos in Khariſmi, Regionis ideſt ad Caſpii Maris ortum inter Gihonem, & Sihonem fluvios, olim Oxum, & Jaxartem, conſitae, Sultani *Gelaleddini* poteſtatem translatae ſunt. III. *Atabekidarum* familia, eaque praecipua, *Salgurienſium* vulgo dicta, nomine a *Salgare* deſumpto, ab ipſius nepote *Modhaffereddino Moſchakar* in Perſide, Schirazi regni ſede conſtituta, Hegirae anno 543, Aerae Chriſtianae 1148. fundata eſt, atque finem accepit Chriſti anno 1264, Hegirae 663, a Mogulis extincta. IV. *Atabekidarum* Dynaſtia in Lariſtania ad

ad Sinum Persicum condita est ab *Abou-Thahero*, dominii parte nempe *Atabekidis* Persis erepta, Hegirae anno 545, Christianae Aerae 1150: quae demum anno Christi 1340, Hegirae 741. a Mogulis & ipsa eversa est. Videndi, qui de hisce fusius agunt, Herbelotus Bibl. Orient. p.142. sqq., 679. sq., 742. sqq., & 900. sqq., atque De Guignesius Hist. gen. Hun. T.I. lib.5. p.249. sqq., ac T.II. lib.12. p.133. sqq., lib.13. p. 147. sqq., 247. sqq., & lib.14. p.250. sqq.

XXV. Locum modo *Turcomannis* aliis longe armis, victoriis, ac dominio in Babylonia, & Media celebrioribus, faciendo, inter hos fuere I. Turcomanni *Kharismi*, ab Urbe Metropoli nuncupati, ad Transoxianae, novaeque Turchestaniae confines positi, *Sultani*, quorum primus *Cothbeddinus Mohammedus* Khorasania potitus, a *Selgiucidis* erepto posthac imperio, Dynastiae huicce fundamenta Hegirae anno 490, Aerae Christianae 1097. posuit. In *Gelaleddino Mankberno*, cognomento *Schah-gehano* denique Sultano VII. anno Christi 1230, Hegirae 628. finem habuit, a *Gingbischano* Mogulensium Imperatore tot victoriis illustri extincta: a quo unum ex multis, qua Tartaris, qua Turcis antea obnoxiis, amplissimumque conflatum imperium est; quod a *Tamerlano* postinde occupatum, ad Persas *Schahos* partim, partimque ad Turcos *Sultanos* postremo translatum est; quo de operosius, ubi de Mogulis Imperatoribus sermo fiet. II. Turcomanni *Kara-Coinli*, Graecis Μαυροπροβατάδαι, *Nigri Arietis* idest, adpellati ideo, quod in Vexillis Arietis Nigri coloris insigne gestari ipsis soleret, originem duxere a *Cara-Josepho*, Turcomannorum duce sub *Ilkhaniensibus* Sultanis; a quibus is defectione facta, ac Bagdado, & Taurizio potitus, *Achmedo* postremo Tartarorum Imperatore interfecto, atque dominio perinde in Armeniam, ac Mesopotamiam propagato, novae huicce Dynastiae Hegirae anno 806, Christi 1403. originem fecit. Quae in Sultanis IV. per annos 66. postquam integra stetisset usque ad annum Aerae Christianae 1468, Hegirae 873, in *Hassino-Ali* extincta est, regno exspoliato, interemptoque a Khorasaniae Sultano celebri *Uzun-Hassano-Begho*, quo de modo. III. Turcomanni *Ak-Coinli*, Graecis nuperis Ἀσπρόπρόβα-

ῥόβαταδαι, hoc eſt *Arietis Albi* denominati, quod Arietis coloris albi in Vexillis inſigne deferre mos ipſis eſſet, alio nuncupati etiam *Bayandurienſes* nomine, genus traxere a *Thouro-Ali-Begho*, Dynaſtiae fundatore Hegirae anno 800, Chriſtianae Aerae 1397: quae Dynaſtia deinde Chriſti anno 1406, Hegirae 809. Diarbekii, ſive Meſopotamiae, & Armeniae Minoris, (cui ideo *Ak-Coinlu-Ili* nomen hodie a Turcis inditum eſt, regionis ideſt *Arietis Albi*, non ſecus atque Trapezi, ſive Colchidis, ubi regnarunt olim Turcomanni *Arietis Nigri*, hodiedum *Cara-Coinlu-Ili*, Regio *Nigri Arietis* Turcicum obtinet nomen), acceſſione, a *Cara-Ilung* adaucta eſt; Hegirae anno 873. denique, Chriſtianae Aerae 1468, *Abouſaido* Tamerlani nepote profligato, interfectoque, totius inſuper Perſidis adquiſitione, ab *Uzun-Haſſano-Begho*, vulgo *Uzuncaſſano*, propagata eſt. Duravit porro in Sultanis XIII. uſque ad annum Aerae Chriſtianae 1509, Hegirae 915, quo demum *Morado Begho* interempto, captaque Bagdado, ab *Iſmaele* Schaho, vulgo *Sofi*, Perſici Imperii reſtauratore, qui tertius in linea recta maſculina ex *Ali* Mohammedi genero deſcendit, funditus deleta eſt. Quod imperium, Armeniae, & Mediae ideſt, Chaldaeae, ac Perſidis integrum tenuit *Iſmael* uſque ad Hegirae annum 920, Chriſti 1514, quo Armenia Minore, Taurizio, ac Syria a *Selimo* filio *Bajaſethi* II, ac *Solimani* Magni patre *Othomanide* exſpoliatus eſt. Aerae Chriſtianae anno 1534, Hegirae 941. *Schacho Thamas* devicto, ablatae ſunt Taurizium, & Bagdadus Urbes a *Solimano*, quae recuperatae a *Schaho Abbas*, rurſus Hegirae anno 992, Chriſti 1584, *Muhammedo-Khodabendeho-Sofi* Bagdadus, ac Taurizium ereptae a *Morado-Khano*, ſive *Amurathe* III. filio *Selimi* II. *Othomanide*, Turcico adjectae imperio ſunt. Adeundi, qui plura deſideret adhuc, Herbelotus Bibl. Orient. p.41, 253, 503. ſq., 625, & 900. ſq., De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T.I. lib.5. p.261. ſqq., ac T.II. Par.II. lib.14. p.250. ſqq.; & Cl. Aſſemanus Bibl. Orient. T. IV. p. 138. ſq., ubi tamen *Arietis Albi* Dynaſtiam ab *Uzuncoſſano* Hegirae anno 873, Chriſti 1468. inſtitutam exiſtimat.

XXVI. Ad Tartaros, ac Turcos retro modo gradu reflexo,

flexo, ex iis sane, qui post Aerae Christianae annum 93. a Sinensibus in Oriente profligati, e Turchestania pulsi fuere, profugi alii versus Kaschgar, & Aksou, e Caramania idest in Bithyniam, versus Basckhir, & Jaick alii, e Turchestania scilicet in Bosniam; aliique longius versus Europae confines adhuc transmisere. Hisce sub Valente Christi anno 376, quo ingens eorumdem in Europam irruptio facta est, Ducis nomine praefuit *Balamirus*. In diversas scissis deinde Tribus, singulis praefectus est Dux, ut aliis *Uldes* anno 400; *Donatus* aliis eadem sub aetate; *Aspar* anno 424; *Roilas* anno 425; *Rova*, si-*Rugula* anno 433; quem excepere nepotes *Attila*, & *Bleda*, quorum posterior anno 444, prior anno 454. occubuit. *Attilae* vero successere filii, dominio inter se partito, *Ellach*, *Denghisich*, & *Hernach*: dominii tamen partem, exiguam etsi, *Emnedzaro*, & *Uzindaro*, sanguine conjunctis, relinquere compulsi. Donec anno Christianae Aerae 468. *Hunnorum* in Europa imperium destructum est, reliquiis in Georgiae confines dispersis; ubi *Hunnis* dominari perseverarunt *Aribastus*, sive *Ambazoucus*, *Ziligides*, sive *Zeliobes* &c. Qui vero circa Danubium reliqui fuere, Ducem habuere *Zambergam*, qui anno 618. Christianae Religioni nomen dedit, reliquis in Gentem Avaram transfusis. Sub Turcarum dominatione numero dein adaucti, in Tribus & ipsi divisi sunt, adeo ut alii sede in Chersoneso Taurica, hodie Crimea Tartarica, defixa, *Khosari*, suo sub Khano agentes, dicti sint, Ecclesiae Seculo VII, & VIII. armis potentes effecti. Ad Paludem Maeotidem alii, Ducis nomine sibi *Sabartoasphale*, vulgo *Vaivoda*, praefecto, *Madgiari* nuncupati sunt, qui Pannonia deinde occupata Seculo VIII, & IX, indeque *Hungari* denominati, Christianam Religionem amplexi sunt. Alii ad Caspii Maris aquilonem, juxta Volgam, & Jachium fluvios mora defixa, *Patzinaces* appellati, Ecclesiae Seculo XI. Christiani effecti ad Danubii ripas consedere. Versus Derbendem, ac Georgiam depulsi alii, *Uzes*, sive *Gozes* dicti; alii ad Circassiae Montes profugi, *Kerches* nuncupati; ad Volgae occasum alii in Sarmatia Asiatica, *Cotragi* denominati, ac *Onogonduri*, qui deinde Bulgaria Seculo VII. sub Rege *Curatio*, occupata, *Bulgari* dicti, Christianae

ſtianae Religioni Seculo VIII. nomen dedere; omnes in plures alias Tribus partiti, queis de copioſe De Guignesius Hiſt. gen. Hun. Par. II. T. I. lib. 6. p. 507. ſqq.

XXVII. Ex iis vero, qui a Mogulis ſub *Ginghiſchano* in Occidente, Circaſſia occupata, debellati Turcomanni, ac Turcae fuere, captivi, unde *Mameloukí*, quod eſt plurale *Memaliki*, quo Arabice *Captivus* ſignificatur, adpellati ſunt, plerique venundati *Nodgemeddino Ayoubo* Syriae, & Aegypti Sultano e *Saladini* familia, Mohammedanorum diſciplinis, ac moribus in Urbe Raoudah ad Maris oram poſita, unde *Baharitae* quoque, ideſt *Marini* nuncupati ſunt, imbuti, Hegirae anno 648, Aerae Chriſtianae 1250, de principatu dejecto *Maleko El-Moadhemo*, e Dynaſtia *Ayoubitarum* Sultano, qui cum S. Ludovico Francorum Rege pacis foedera ſanciverat, Syriae, & Aegypti dominio potiti ſunt, Sultano e ſuis praefecto *Moezzeddino Ibeko*, genere Turcomanno, in Magno Cairo nova imperii ſede collocata. Duravit iſthaec porro *Mamelukorum*, ſive *Baharitarum* in Syria, & Aegypto Dynaſtia per annos 133. in Sultanis XXVIII. uſque ad Hegirae annum 784, Aerae Chriſtianae 1373, quo a *Maleko Eddhahero Abouſaido*, vulgo *Barkoko*, novae Dynaſtiae *Mamelukorum Circaſſienſium* fundatore, everſa funditus eſt. E Circaſſis nempe ad Caſpii Maris occaſum tranſplantatis, qui & *Kirches* vulgo dicti ſunt, Captiviſque, qui a *Nodgemeddino* Aegypti Sultano empti fuerant, genus duxerat *Bakokus*, a quo *Mamelukorum*, uti dixi, *Baharitarum*, genere Turcomannorum, abolita Dynaſtia, nova ſua e gente *Circaſſorum*, *Mamelukorum*, qui dicti etiam *Borgitae* ſunt, Dynaſtia ſuffecta eſt. Perſtitit iſthaec vero per annos 134. in Sultanis XXVII. uſque ad Hegirae annum 923, Aerae Chriſtianae 1517; quo a *Selimo* I. *Othomanidarum* Sultano exterminata eſt, Syriae, & Aegypti regno in Turcas *Othomanidas* translato, queis de modo pauca ſubtexere praeſtat. *Othomanidis* itaque, qui hodiedum Conſtantinopoli imperant, ortum fecit *Othomanus Ben-Orthogrul*, quem ſane e *Japheti* ſtirpe diſcendiſſe nugaciſſime Moslemi jactant apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 237, cognomento *Gazi*, Turcice *Conquaeſtor*; qui Hegirae anno 687, Aerae Chriſtianae 1288. ab *Aladino*;

dino, e *Selgiucidarum* Dynaſtia Iconii in Aſia Minori, ſive Anatolia imperantium, Sultano Copiis praefectus, *Begi* nomine, ideſt *Principis* inſignitus, Ponto deinde, ac Bithynia potitus Hegirae anno 699, Aerae Chriſtianae 1299, una ſupremo cum dominio ad ſe rapto, *Sultani* titulum adſumpſit. Ab ejus deinde ſucceſſoribus, armis *Selgiucidis* aliis Dynaſtis xi, queis de ſupra dictum, in Aſia Minori ſubactis, Syria, & Aegypto univerſa eo, quo ſuperius diximus, anno potitis, aliarumque in Africa, Europa, & Aſia regionum acceſſione magis amplificatum, ad illud, quo nunc eſt, faſtigium *Othomanidarum* imperium evectum eſt, ut ipſum etiam Babylonicum, Turcomannis ereptum a Perſis, magna exhauſerit ex parte. Videndi, qui operoſe de his agunt, e quibuſve me profeciſſe ingenue fateor, Herbelotus Bibl. Orient. p. 187, ſq., 545, 697, alibique ſaepe, De Guigneſius Hiſt.gen. Hun.T.I. lib.5. p.264. ſqq., ac T.III.lib.15. p.1. ſqq., atque Cl.Aſſemanus Bibl.Orien. T.III. diſſert. de Syris Neſtor. §.5. p. 138. ſq.

XXVIII. Menſes, & Annos quod nunc jam attinet, Turcis, ac Mohammedanis, quibus in Babylonia, & Media ſedes fuit, Perſarum Annos, & Menſes, quandiu ibi demorati ſunt, uſu fuiſſe ſuper. Volum.I, quum de Perſarum Menſibus; & Annis ſermo fuit, abunde, opinor, dictum eſt. Mohammedanis aliis in Sinas Eccleſiae Seculo VII. profectis, ſive Arabibus, uti Soucietus exiſtimat, eò adpulſis, Periodum annorum 1942. uſurpatam fuiſſe; Epocham item ab Aerae Chriſtianae anno 599. peculiarem incipere in more poſitum; Aequatorem adhaec in Gradus 360. fuiſſe partitum; Zodiacum in Signa 12, quodlibet vero in gradus 30, Gradum autem quemlibet in minuta 60. fuiſſe diſtinctos, atque Signis nomina *Arietis*, *Tauri*, *Geminorum* &c. indita refert Gaubilius Obſervat. Mathem., Aſtron., Geogr., Chronolog. &c. T.II. p.130. ſqq. Quo perinde loci Tabulam exhibet Menſium tam *Immobilium*, quam *Mobilium*, qui eiſdem hodiedum uſu ſunt, ſuntque ſequentes.

MOHAM-

MOHAMMEDANORUM, SEU ARABUM SINENSIUM MENSES.

IMMOBILES.

1.	♈	Aries, Hamal	31. Martii	11.
2.	♉	Taurus, Thaur	31. Aprilis	11.
3.	♊	Gemini, Guzi	31. Maii	12.
4.	♋	Cancer, Sartan.	31. Junii	13.
5.	♌	Leo, Esid	31. Julii	14.
6.	♍	Virgo, Sunbal	31. Augusti	14.
7.	♎	Libra, Muzan	30. Septembris	14.
8.	♏	Scorpius, Ekrab	31. Octobris	14.
9.	♐	Sagittarius, Quus	29. Novembris	13.
10.	♑	Capricornus, Gedi	29. Decembris	12.
11.	♒	Aquarius, Delevv	30. Januarii	10.
12.	♓	Pisces, Hauth	30. Februarii	9.

MOBILES

1.	Faeulhaneultin	Magnus.
2.	Haeultipihichi	Parvus.
3.	Hoeulta	Magnus.
4.	Tieul	Parvus.
5.	Moueulta	Magnus.
6.	Chaaliehanaeul	Parvus.
7.	Lieheeul	Magnus.
8.	Hapan	Parvus.
9.	Hatsaeul	Magnus.
10.	Taye	Parvus.
11.	Pahaman	Magnus.
12.	Isephantaeulma	Parvus.

Quae

Quae plane Mensium nomina origine Persica, ut vidit etiam Scaliger de Emend.temp. lib.4. p.270. sq., sed Gentium diversi idiomatis consuetudine deinde vitiata non dubitat Gaubilius; qui subjungit annorum 30. spatio Menses 11. *Lunares* intercalare eos consuevisse. Cyclus etiam annorum 12. eisdem, non secus ac Sinensibus, usurpari solet, quibus annis celebriora ipsis gesta, memoratuque digna obsignare mos est. Cycli adhaec cuilibet anno singulare inditum est nomen, ex Animalium 12. nominibus derivatum. Itaque Annus, *Il* ipsis dictus, Annus 1, inquam, *Muris*, 2. *Bovis*, 3. *Lyncis*, sive *Leopardi*, 4. *Leporis*, 5. *Crocodilli*, 6. *Serpentis*, 7. *Equi*, 8. *Arietis*, 9. *Simiae*, 10. *Galli*, 11. *Canis*, 12. *Porci*. Dies item duodecim in partes, ipsis *Giagh* dictas, ita distribui solet, ut quaelibet duabus horis constet: queis diei partibus eadem Animalium nomina etiam indita. Quemlibet adhaec *Giagh* iterum, sive duodenam diei partem in partes alias octo minores, quas *Keh* nuncupant, dividere solemne ipsis est, ita ut dies *Keh* 96. constet. Adeundus etiam Herbelotus Bibl.Orient. VV. *Giagh*, & *Tchag* p.390, & p. 488, ubi de hisce obiter agit.

XXIX. De Turcis modo, ac Mohammedanis Asiae Minoris, seu Anatoliae loquendo, hisce porro antiquitus, sicuti Persis, etsi Mensis in Hebdomadas non utique dividi soleret, sed continuis diebus 30, suo singulis adfectis nomine, constaret; hodie tamen in Hebdomadas, Turcis *Haftah*, Persis *Heft*, quo *Septem* significatur, quod e Graeco *Epta* derivatum videtur, dictas, utrisque distribuere adlibuit, singulis ideo Hebdomadae diebus, a die *Solis*, nobis *Dominica*, initio ducto, isthaec indita nomina sunt. Et quidem apud Perso-Turcas I. *Jek Schenbeb* dicitur, idest sicut apud Judaeos *Prima Sabbathi*, 2. *Dou Schenbeh*, *Secunda Sabbathi*, 3. *Sib Schenbeh*, *Tertia Sabbathi*, 4. *Tchar Schenbeh*, *Quarta Sabbathi*, 5. *Penge Schenbeh*, *Quinta Sabbathi*, 6. *Adhineh*, *Dies Festus*, 7. *Schenbeh*, *Sabbathum*, ab Hebraeo *Schabath* derivato procul dubio nomine: quomodo Arabibus etiam Hebdomadae, ipsis *Usbou*, e quo plurale *Assabi*, quod est *Septem*, nuncupatae, dies computare veteri positum erat in more, etsi postmodum & ipsi singulos Hebdomadae dies propriis designare vocabulis delectati

 sint,

ſint, uti ſuper. Artic. §. 7. dictum eſt. Apud Turco-Othomanidas vero hiſce denominari Hebdomadae dies hodie ſolent, nempe 1. *Bazar guni*, ſeu *Juni*, hoc eſt Dies Mercatus, 2. *Bazar Erteſi*, Dies poſt Mercatum, 3. *Salli*, aut *Saligun*, Dies feriatus, 4. *Dſar Schamba*, ſicuti Perſis, 5. *Peſchembè*, Perſica lingua, ſicuti praecedens, 6. *Dſiuma*, ſive *Giuma*, ſive *Zuma guni*, ſive *Juni*, Dies Templi, ſive Feſtus, 7. *Dſiuma Erteſi*, hoc eſt Graece Ἐπίβδα, Dies poſt Feſtum, ſive *Sebt guni*, Dies Sabbathi; videndique Herbelotus Bibl. Orient. p. 417, ac Leunclavius in Pandectis Turcicis cap. 11. edit. Pariſ. p. 401, Ven. Byzant. T. XVI. p. 306. Menſes quod attinet, ſequenti ordine, ſequentibuſque nominibus dinumerari Turcis ſolent, etſi paullo diverſa inflexi pronuntiatione efferri, diverſa pro dialecto, ſaepe cogantur apud Leunclavium in Pandect. Turc. loc. cit., Schultenſium in vita Saladini Lugd. Batav. 1732. evulgata, Galderium Caeſareum Interpretem in Annal. Turcicis, Petrum a Valle in epiſt. 22. ad Joh. Morinum Antiq. Eccleſ. Orient. p. 198. ſqq., Molinum in Diction. Turcico, Fabricium in Menologio p. 76. ſq., De Guigneſium Hiſt. gen. Hun. T. I. in Tab. Epoch. Orient. p. XLVIII. &c.

MOHAM-

MOHAMMEDANORUM, SIVE TURCARUM MENSES.

1.Muharrem	30.Dec., & Jan.	1.Mucharem,fiveMuharram
2.Sefer	29.Jan., & Feb.	2.Sepher, five Ifafer
3.Rabia Eleuvel	30.Feb.,& Mar.	3.Rebuil-Euvel
4.Rabia-Ethani	29.Mar.,&Apr.	4.Rebuil-Achir
5.Gemadhi-Eleuvel	30.Apr., & Maj.	5.Dfiumafiel-Evel
6.Gemadhi-Ethani	29.Maj.,& Jun.	6.Dfiumafiel-Achir
7.Regeb	30.Jun., & Jul.	7.Rezeb, five Regihab
8.Scioaban	29.Jul., & Aug.	8.Schahaban, five Scaban
9.Ramadhan	30.Aug.,& Sep.	9.Ramazan, five Remadan
10.Sceuval	29.Sept.,&Oct.	10.Scherrail, five Scheval
11.Dhilcaade	30.Oct.,& Nov.	11.Zilkaade, five Silcade
12.Dhilhagge	29.Nov.,&Dec.	12.Zilkigge, five Silchidzè

XXX. Atque Menfes hi porro, ficut Arabibus, ita Turcis *Lunares* utique funt, funtque numero duodecim, quos a *Noviluniis*, juxta Leunclavium, verius a *Lunae* Phasi, ut auctor eft locuples Ulug Beigh de Epochis Arab. cap. 1, numerare incipiunt. Anni principium ad *Muharam* plerumque refertur, Decembri fere noftro refpondentem, atque ut plurimum ad Septembrem refertur *Ramazan*; quo a Crepufculo matutino ad Solis Occafum jejunium menftruum fervare Turcae folent, cibi nihil, potufque capientes, nocte tamen infequente totos fe crapulae dedentes, feque in cibos, ac potum, aliaque flagitia ingurgitantes; atque jejunio finito, magnum illud fuum *Bujuc Bairam*, Feftum ideft Pafchatis inftar noftri, feftive agentes perfolvunt. Quoniam vero *Lunaris* Annus dierum 354, horar. 8, min. 48, aliquando dierum 355. fit, tumque dicitur *Plenus*, alterque viciffim dierum 354. dumtaxat *Cavus* nuncupatur, *Solari* diebus 11, horis 5. minor eft, inde fit, ut

X 2 fequen-

ſequens annus diebus 11, horis 5. citius anticipet, utque nonnisi poſt annos 30. ad priorem regredi locum putetur; veluti de Anno Arabico Turcis communi ſupra dictum eſt, adeundique Petrus a Valle Antiq.Eccleſ. Orient. p. 202, & Joh. Morinus p. 130. ſqq. Quare ſequitur, ut Turcarum Menſes, alternatim alioqui *Pleni* dierum 30, & *Cavi* dierum 29, fixam haud ſedem habeant, ſed annorum 30. ſpatio per omnes anni tempeſtates laxis ferantur habenis. Ideo Turcis celebrandi *Bairami* tempus ſingulis annis dies 11. anticipari ſolent; qui dies *Emboliſmi* fere loco ad *Lunarem* complendum annum haberi poſſunt; atque poſt annos *Turcicos* 30, apud Leunclavium poſt annos 32, a *Firmamento* Periodum abſolvi ſuam ipsis perſuaſum eſt. Ex quo plerique colligi putant apud Leunclavium annos 32. *Turcicos* reſpondere propemodum annis *Chriſtianis* 31. Ut enim de exundantia ſuper Arabicum Juliani anni dictum eſt ſupra, ita anni *Juliani* 30. conſtant diebus 10957, horis 12; Anni vero *Turcici* 30. diebus 10631. dumtaxat complentur: quibus diebus 10631. ſubductis e ſumma dierum 10957, horis 12, relinquentur dies 326, horae 12; queis annus *Julianus* major eſt anno *Turcico*. Fallitur vero eo loci egregie Leunclavius, adſtruens Turcis annos haud inchoari ab Hegira, atque hanc inſuper a *Mohammedi* nativitate incipere, Aerae ideſt Chriſtianae anno 592; ideo quod in Diplomate *Amuratis* III. Turcorum Sultano de pacis prorogatione cum *Rudolpho* II. Romanorum Imperatore annus a Tranſmigratione *Mohammedi* 991. die 27. Lunae *Silchidze* conjunctus legitur cum anno Chriſti 1584. die 1. proximi Menſis Januarii. Certum enim, conſtanſque omnino eſt Turcis annos dinumerari ab Hegira, Fuga ideſt *Mohammedi*, quae & Pſeudoprophetae a Meca ad Medinam Tranſmigratio dicitur, a die Julii 16. Aerae Chriſtianae anno 622. exordio ducto, velut auctor eſt locuples Ulug Beigh *Tamerlani* Magni nepos Seculi XV. Scriptor illuſtris in Epochis Arabum cap. 1. p. 8, & 10. edit. Lond. Gravii 1650. Sed & illuſtriſſ. Abbas Lenglet in Tabul. Chronolog. T. I. edit. Ven. p. 342. poſt Ulug Beigh loc. indic., Labbeum in Chronolog. Thecnica, Ricciolium Chron. Reform. T. I. lib. 1. cap. 24, alioſque vulgo Chronologos, plurimis

rimis in medium prolatis documentis oſtendit ab Hegira, ideſt die 16. Julii, Chriſtianae Aerae anno 622. annos Turcis indubie computari, juxtaque computum iſtum, Marchioni de Aubaye Viro doctiſſ., ac Turcicae Chronologiae peritiſſimo quammaxime probatum, in Tabula Hegirae expanſa p. 355. oſtendit annum Hegirae 991. reapſe incidiſſe in annum Aerae Chriſtianae 1583. die 15. Januarii, qui plane *Amurati* III. fuit dies 1. ſequentis anni 1584. Sed enim de Hegira ſuſius alibi, quum de Epochis ſermo fiet, adeundique Herbelotus Bibl. Orient. p. 444. ſq., & 856. ſq., ubi multa de Hegira diſputat, atque De Guigneſius Hiſt. gen. Hun. T. I. in Tabula Epocharum Sinenſ., Graecor., Arab., Perſar., & Chriſt. ex Johanne Gravio deſcripta p. LXXIX. ſqq., ac p. CVI., quo loci Hegirae annos ſingulos gemino Aerae Chriſtianae anno reſpondere, atque ita annum Hegirae 991. Januarii die 14, feria 2. anni Chriſti 1583. incepiſſe, finiiſſeque Chriſti anno 1584. die 2. Januarii feria 5. planum fecit: atque hiſce de ſatis jam, atque ſuper.

DE

D E

MENSIBUS, ET ANNIS

Syrorum , Curdistanorum, sive Gordiaeorum, Syro-Chaldaeorum , Syro-Arabum , Caelo-Syrorum , sive Heliopolitarum , Syro-Medorum, sive Perso-Medorum, Syro-phoenicum , Syro-Cappadocum, sive Leuco-Syrorum &c.

ARTICULUS II.

I. SYros ita dictos a *Syro*, qui e tellure ortus, atque Prometaeo , Atlanti , & Gothonieli, sive Josue aetate suppar apud aliquos fertur, hisce centum prior annis apud alios , ex Julio Africano refert Syncellus in Chronog.p.150. edit. Parif. , Ven. p.119. Cui fabulae locum fecisse vetus traditio videtur Syris receptissima de *Adamo* in Syria , in Agro scilicet Damasceno , condito , qua de Geographus Persa apud Herbelotum Bibl. Orient. p.773 ; Maundrelius Itin. Syr., Radzivilius Princeps Peregrin.Hierosol. epist.2. p.30.aliique. A *Syro* vicissim Agenoris filio Syros, non secus atque a *Phoenice* fratre Phoenices, ac a *Cilice* fratre altero genus, nomenque *Cilices* duxisse , scripsere Dionysius in Periegesi , ibique Eustathius cap.123.ex interpretatione Alex.Politi T.II. p.414 ,

p.414, & Auctor Chron. Alex. p.43. sq. edit. Parif., Ven. p.35. sq. Verum ab *Assure* primum *Assyrios*, deindeque per Ἀποκοπὴν Apocopem *Syrios*, originem, ac nomenclationem hausisse, longe verisimilior est, universaliorque opinio recepta, Herodoto lib.7. cap.63, Straboni lib.16. sub initio, Bioni in Epitaphio Adonid., Oppiano Cyneg. lib.3.v.402, Nonno Dionys. lib.40. v.19, Plinio lib.5. cap.12, Macrobio Sat. lib.1. cap.27, Luciano de Dea Syr., aliisque; videndique Bochartus in Phaleg lib.2. cap.3. p.72. sq., ac Seldenus in Prolog. ad Deos Syros: cujusce opinioni favet Textus Hebraeus I. Paralip. XXII. 4, ac Nehem. XIII. 16, ubi ex *Sorim* fiunt הַצֹּרִים *Hassorim*, sive *Hassurim*, idest *Assyrii*. Vulgo tamen Hebraeis Syriam אֲרָם *Aram*, de Semi filio postremo, sive quinto *Aram*, Isajae VII. 8; (quamquam Syri haud omnes ab *Aram*, sed eorum pars aliqua genus ab *Amatho* Chanaami filio duxere Gen. X. 18.), unde *Syros* אֲרַמִּים *Aramim* Deut. XXVI. 5, II. Reg. VIII. 29, & XVI. 6, alibique saepe, olim adpellari consuevisse constat. Hodie tamen contractiori *Syri* vocabulo, ii veniunt dumtaxat Regiones Incolae, quae inter Mediterraneum ad Occasum, & Eufratem ad Ortum interjacet, ad Aquilonem Tauro, & Amano Montibus, ad Meridiem Arabia deserta, Palaestina, & Phoenicia definita, a gradu 32. ad 37. latitudinis Septent., & a gradu 58. ad 62. longit. procurrit. Multas porro juxta temporum, rerumque vicissitudines, multifariam olim partita *Syria* est. Primo namque quatuor in partes divisa legitur *Sobah*, *Damascum*, *Hamath*, & *Geshur*; quae & ipsae in minores alias partitae fuere. In duas postea, *Caelesyriam* idest, ac *Phoenicem* fuit distributa, ab Idumaeis, Gazaeis, Azotiis, Philistaeis, Judaeis, ac Phoenicibus inhabitata. A Strabone lib.16. sub initio in partes quinque sub Seleucidis eadem divisa est, in *Commagenem*, & *Seleucidem*, in *Caelesyriam*, ac *Phoenicem* ad Mare, & in *Judaeam* in Mediterraneis. Quinque hisce partes octo aliae superadditae Ptolemaeo lib.5. sunt, *Pieria*, *Cyrrhestica*, *Cassiotis*, *Chalybonitis*, *Chalcidene*, *Apamene*, *Laodicene*, *Phoenicia*, & *Palmyrena*; hisque adhuc Pomponio lib.1. cap. 11, istumque pone sequuto Plinio lib. 5. cap. 12. *Antiochene* subjuncta est. Romano sub Imperio ad quatuor Syria contracta partes

partes denuo fuit, in *Euphratesiam*, sive *Commagenem*, *Syriam* proprie dictam, *Palmyrenem*, sive Syriam *Salutarem*, *Phoenicem* Libani, sive *Libanesiam*; qua de Syriae divisione plura Cellarius Geog. Antiq. T.II. lib.3. cap.12. p.335. sqq., & Scriptores Angli Hist. Univ: T.V. Par.I. cap.15. edit.Ven.p.6. sqq. Hodie tamen *Syria*, Arabibus, Persis, ac Turcis *Scham*, شام, aut *Schamah* شاماح dicta, nomine vel a *Laeva*, Arabice شام *Scham*, quod ipsis Regio ad Septentrionem sita sit, non secus atque *Jemen* Arabia ipsis ad Austrum dici a *Dextera*, Arabice يمن *Jemin*, posita derivato; vel a diverso telluris colore albo, rubro, & nigro, Arabice قال *Khal*, sive شاماح *Schamah* dictis, iis dividi, velut Abulfedae, in quinque solet *Junds*, partes idest, quarum I. *Kinnesrina*, II. *Hemessa*, III. *Damascena*, IV. *Harden*, idest *Jordani* Regio, sive *Galilaea*, V. *Phalastina*, idest *Palaestina*: Syriae vero toti longitudinis dies 25. itineris, latitudinis dies 10. adscribit Messahât Alardh, vulgo Geographus Persa, apud Herbelotum Bibl. Orient. p.772. sq.

II. Ab initio ad aetatem usque *Saulis* in Syria Familiarum capita rei praefuisse tam Sacrae, quam Civili videntur; namque I.Reg.XIV.47. Reges *Soba* plurali indicantur nomine, & a *Benhadaddo* Reges Syriae alii XXXII. sub vectigalem, jugumque missi leguntur III.Reg.XX.1, ac 16. Sub Regno *Saulis* itaque in Syria Regum audiri nomen occepit, finem paullo antequam Israelis Regno impositus fuerit, accepturum. Itaque in *Soba*, vulgo *Sophene*, regnasse omnium prior legitur *Robob*, Josepho Antiq. lib.7. cap.5. *Araus*, sive *Aracb* dictus, aetate *Sauli* suppar, ac post ipsum filius *Adarezer*, Hebraeo Originali, & Vulgato Interpreti, Josepho, & Graecis LXX. *Adrazar* nuncupatus, qui Regno a *Davide* exspoliatus fuit II.Reg.VIII.3. sqq., & X.16.19., ac I.Paralip.XVIII. 3.sqq., & XIX.16 sqq.; ubi tamen priori Regum loco *Adadezer* Hebraeo dictus habetur, mutato nempe ר *Resch* in ד *Daleth*, ut observatum est Capello Crit. Sacr. lib.1. cap.7. p.25, Usserio in Annal. Vet. Test. p.31, ac De Vignolio Chron.Sac.T.II. lib.4.

lib.4.cap.2. p.90; pejus vero Regum posteriori loco pro *Adrarezer* Graecus legit Χαλαμὰκ, unde in Josephum Antiq. lib.7. cap.7. editionis Graecae pro *Adrazaro*, qui in Latinis ejusdem Versionibus habetur, irrepsisse *Chalaman* acute vidit De Vignolius p.92. Syria porro *Soba*, Josepho loc. cit., ac Straboni lib.11.p.527, & lib.12. p.555. *Sophene* adpellata, Euphrate ab ortu, Chananaea, & Syria Damasci ad occasum definita erat, queis de finibus Bochartus in Phaleg lib.2. cap.6. p.78. sq., ac Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib.3. cap.12. p.346. sq.; ubi a Josepho Antiq. lib.7. cap.5. *Sophenem* Armeniae Provinciam interpretante turpiter erratum uterque ostendit. Sub *Saulis* aetate, *Gessuri* in Syria regnasse similiter *Ammiud*, ac post ipsum filius *Tholomai* leguntur II. Reg. XIII.37. Cujusce soror *Maacha* uxor fuit *Davidis* II.Reg.III. 3; e qua progenitus *Absalon* est: quod perinde regnum in *Davidis* potestatem devenisse videtur. Duos eodem tempore alios regnasse *Hemath* in Syria constat, *Thou*, ipsiusque filium *Joram*, II.Reg.VIII. 9.sq. *Hemath* porro eadem, ac *Antiochia* Syriae habita est Jonathani Chaldaeo Paraphrastae Num.XIII. 22, Targumistae Hierosolym. Gen.X.18, R.Salomoni Comm. in Amos VI. 2, & Olympiodoro in Hierem.LII.; *Epiphania* vero Josepho Antiq. lib.I. cap.7. visa est; duplex vicissim *Hemath* distinguenda S. Hieronymo in Amos VI. 2. credita, *Magna*, quae *Antiochia*, & *Parva*, quae *Epiphania* fuerit; cum quo faciunt R.David Kimchius in Amos loc.cit., & Marshamus in Can. Chron. Sec.XIII. p.346; cum Josepho vero Bochartus in Phaleg lib.4. cap.36. p.307. Ad Orontem verius inter Emesam, & Apamaeam collocatur Abulfedae, qui *Hemath* regnavit, apud Schultensium Ind. Geogr. in vita Saladini ad VV. *Orontes*, & *Hamata*; minus vere Damasco vicina Cellario Geog. Antiq. T.II. lib.2. cap.12. p.389; a Rege Damasci tamen deinde absorptum Regnum illud in unum Damascenum coaluit. *Damasceno* itaque regno exordium fecisse Regni *Sobae* subversio nonnullis visa est: a *Davide* namque *Adrazeris* exercitu profligato, *Rezon* Militiae sub *Adrazere* dux fuga capta, coactaque ingenti Latronum, atque proletarii cujusque genus hominum manu, Damasci arrepta tyrannide, semet in Regem adseruit:

ita ex III. Reg. XI. 23. sqq. Usserio in Annal. Vet. Test. p.31. Contra ab omnium primo *Adado* regnum fuisse Damasci fundatum ex Nicolao Damasceno Hist. lib.4. refert Josephus Antiq. lib.7. cap.6; huncque *Adrazero* Sobae regi suppetias adferentem una pariter a *Davide* profligatum fuisse II. Reg. VIII. 6. sqq., & I. Paralip. XVIII. 5. sqq.; atque ita Josephum sequuti Scaliger in Not. ad Fragm. Berosi ad calcem Emend. temp. p.47, ac De Vignolius Chron. Sac. T. II. lib.4. cap.2 p.93. sqq., ab *Adado* Damasceni regni auspicia deducere haud ambegere. Contra eumdem cum *Adrazero* faciendum *Adadum*, ita Josepho adpellatum, opinati sunt Grotius de Verit. Relig. Christ. lib. 3. cap. 16. Not. 1. Crit. Sacr. Suppl. T. VII. edit. Francof. p.2062, & Marshamus in Can. Chron. Seculo XIII. p.345. sq., a quibus ideo cum Usserio a *Rezone* omnium primo Damasceni Regni exordium petitur. *Adado* I. praeterea in Regno Damasci successisse *Adadus* II. visus est Codomanno anno 3110. p.22, Calvisio Isag. Chron. an.2931. p.191, ac De Vignolio loc. cit. p.46. sq. Contra vero successisse *Rezonem* autumant Salianus in Annal. an.3057. n.5. Epit. p.492, Usserius p.36, Marshamus in Can. Chron. p.346, Nevvtonus Chron. Reg. emend. p.221, & Angli Scriptores Hist. Univ. T.V. Par.I. cap.5. edit. Ven. p.93, Interpretesque alii apud Polum in Synopsi Crit. Sacr. ad III. Reg. XI. 14. sqq. Ita tamen ex S. Scriptura hocce sane loci, cui probe conformia refert Josephus Antiq. lib.8. cap.2, ubi *Salomonis* inter adversarios tam *Adad*, quam *Rezon* recensentur, ac ille in Syria, isteque Damasci regnasse dicuntur, utraque componi opinio isthaec potest, ut *Adad* quidem in Syriae parte aliqua, *Rezon* vero Damasci regnandi auspicia fecerint.

III. Damasceno in Regno *Rezonem* excepisse *Hezion*, quem genus duxisse aut e *Rezone* putant Angli Hist. Univ. Scriptores, aut ex *Adado* I. opinatur De Vignolius p.98. sq., visus est Doctiss. viris hisce. Ast enim unum, eumdemque utrumque censent Junius, Piscator, Menochius, Malvenda apud Polum, Usserius, Marshamus, Newtonus loc. sup. indic. Priori tamen opinioni favet S. Scriptura III. Reg. XV. 18, ubi *Hezion* pater *Tabremonis*, avusque *Benadadi* Syriae Regis explicitissime tam

in

in Hebraeo Textu, quam in Vulgata Latina legitur. Accedit eodem loci LXX. Viralis Versio, a qua diserte *Hezion* Βασιλέως Συρίας, τῦ κατοικῦντος ἐν Δαμασκῷ *Rex Syriae, qui habitabat in Damasco*, vocatur. Post *Hesionem* Damasci Regnum adeptus est ipsius filius *Tabrimon*; quem, conjectura nescio qua ductus, a *Sesacho*, quem pessime cum *Sesostri* confundit, quique *Roboami* Regis Judae anno 5. Templi, & Aulae Regiae diripuisse thesauros legitur III. Reg. XIV. 25. sq., Aegypti Rege, una cum Syria universa, subjugatum fuisse censuit Newtonus in Chron. Regnor. emend. p. 221, atque *Sesachi* deinde jugum excussum a *Benadado* ipsius filio subjungens: *Benadadus* quippe sub *Asa* Judae Rege in Syria regnasse legitur III. Reg. XV. 13. sqq. *Tabrimoni* ergo successit *Benadadus* I, istique filius homonymus *Benadadus* II, qui una cum Syriae Regibus XXXII. Samariam obsedisse, sed ingenti suorum accepta a delectis *Achabi* 232, vulgaribusque Militibus aliis Israelitis 7000. clade, fugam capessere compulsus legitur III. Reg. XX. 1. sqq., & 15. sqq. *Benadadus* hic porro ab *Hazaele* famulo, ejusque regni pervasore interfectus, ab eodem post obitum Apotheosi dedicatus est, interque Deos relatus, tanto in honore Syris deinde habitus est, ut veteris Numinis *Rimmon* abdicato cultu, in Deum veluti supremum is a Syris in *Benadadum* fuerit translatus, Josepho teste Antiq. lib. 9. cap. 2. *Adadi* porro nomen quid prae se tulerit, se ignorasse profitentur Seldenus de Diis Syr. Syntag. 1. cap. 6, & Isac. Vossius de Idol. lib. 1. cap. 22. Sed enim *Adad* Deorum *Rex* vocatus est Sanchoniatoni apud Eusebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 5. p. 38; Deus *Unus*, sive *Sol* Macrobio Satur. lib. 1. cap. 18; qua de re Marshamus in Can. Chron. p. 346. sq., & Angli Scriptores Hist. Univ. cap. 5. p. 53. sq. Queis deinde Numinibus cognatos fortasse a Syris Edessenis factos *Monimum*, & *Azizum*, idest *Solis* Assessores, *Martem* nempe, & *Mercurium* ex Juliano Orat. 4. de Sole p. 281, & 288. arguit Marshamus. Quin in eumdem, quo *Benadadus*, Deorum censum a Syris relatam quoque ipsius conjugem *Arathem*, quae ipsamet *Dea Syra*, sive *Astartes*, sive *Atergatis*, aestimanda est, qua de Cicero de Nat. Deor. lib. 3, opinatur Newtonus Epit. Chron. p. 32, & Chron. Regn. emend. p. 222. Si-

cuti vero *Adadi*, *Adonidis*, *Osiridis*, *Adonisiridis*, *Thamuz* &c. diverso nomine tam Aegyptiis, quam *Syris*, qui ab Aegypto suos & Deos, & Deorum cultum derivasse videntur, a Coloniae ducibus eò transfusum, (tam enim *Osiridis* apud Aegyptios, quam apud Syros *Adonidis*, atque *Adonisiridis* apud Cyprios eadem Ἀφανισμὸς, idest Interitus, seu Evanescentia, eadem Ζήτησις Inquisitio cum luctu, eademque Εὕρεσις Inventio cum laetitia celebrari solebat), ita & *Astartis*, *Isidis*, *Atergatis*, *Junonis*, *Veneris*, *Proserpinae*, *Aphroditis* &c. non alia nisi *Luna* diverso sub aspectu veniebat, testibus Luciano de Dea Syra, Herodiano apud Seldenum de Diis Syris Syntag. 2. cap. 2, videndique Scriptores Angli Hist. Univ. T.V. Par.I. cap. 6. p. 189. sq. Errant heic autem Nevvtonus p. 261. sqq., & Angli Scriptores Hist. Univ. T.V. Par.I. cap.6. p.170. sqq. nuperos fuisse Deos apud Syros adoptatos omnium primos *Adadum*, *Hazaelem*, *Astartem* &c. opinati. Ante hos namque cultum Syris fuisse *Rimmonem* constat, *Gad* etiam, *Herculem Melicartum*, ita dictum a מלך קרתא a *Melec*, idest *Rege*, & *Cartha*, idest *Urbe*, quod Urbis, (Tyri, veluti Bocharto in Chanaam Part. II. lib. 1. cap. 42. p. 709. visum; *Carthaginis* magis Nevvtono in Chron. Vet. Regn. emend. p. 111. persuasum fuit), Rex haberetur; *Apollinem* item, qui a Moyse *Phut* dictus creditur Bocharto in Phaleg lib. 1. cap. 3. p. 11; unde *Pythius* Graecis fuerit derivatus, testibus Diodoro lib. 17. p. 58, ac Plutarcho in Alexandro. Itaque, ut quò cepi, modo pergam, ab se interfecti Regis locum invasit *Hazael*, qui Israelitis subinde infestus quammaxime fuit IV. Reg. VIII. 11. sqq., Amos 1. 3. sq., IV. Reg. XII. 17. sqq., ac XIII. 3. sqq., quemve post obitum inter Deos pariter a Syris fuisse relatum perhibet Josephus Antiq. lib. 9. cap. 2. Hunc excepit filius *Benadadus* III, cui res pessime cum *Joas* Israelis Rege cessisse constat ex IV. Reg. XIII. 5. sqq.; atque postremus, qui Damasci regnum obtinuit, *Rezin* ab Assyriorum Rege *Theglath-Phalasar*, in auxilium ab *Achazo* Israelis Rege advocato, interfectus est, Damasceni Captivi Cyrenem in Mediam translati sunt, ac Damasceno finis regno impositus IV. Reg. XVI. 7. sqq., & Isajae VII. 1. sqq., & VIII. 1. sqq., Assyriorum Regum vectiga-

ctigale facto, quo de Josephus Antiq. lib. 9. cap. 12., junctis Bocharto in Phaleg, sive Geog. Sac. Par. I. lib. 4. cap. 32. p. 293, Joh. Clerico in IV. Reg. loc. cit. p. 484, ac De Vignolio Chron. Sac. T. II. lib. 4. cap. 2. p. 111. sqq., atque ita Damasci Regnum postquam annos 267. a Christi ante natalem anno 1000. circiter usque ad annum 733. durasset, eversum prorsus est, in Assyriorum potestatem transfusum.

IV. Syris jam vero, quo sane hodie nomine veniunt Christiani Melchitae, Maronitae, Suriani, sive Jacobitae, Nestoriani, Sabaei, vulgo Christiani S. Johannis &c., eadem fere, quae olim Hebraeis, putandis temporibus, Mensium, Annique forma in more posita erat. Atque Menses quidem, qui *Julianis* postea aequati sunt, eisdem pridem *Lunares* erant, ideoque haud eumdem in anno *Juliano* locum occupabant. Ut enim legitur in Tractatu veteri de Mensibus ab Henrico Stephano Thesauri T. IV. p. 226. edito, *Tamuz* partem Junii majorem occupabat, qui postea Julio fuit aequatus: unde *Solstitium* Aestivum, quod Junio contigit, *Tekuphat-Tamuz* Syris aeque, atque Judaeis dici solebat. Quare vitio jure Norisio vertere non ambegit doctiss. Abbas Longuerue de Var. Epochis Veter. cap. 3. §. 6. p. 92. sq., quod de Epochis Syromaced. dissert. 3. cap. 6. edit. Veron. p. 248. sq., S. Hieronymi sollicitarit lectionem Comment. in Ezech. cap. 8, quod ibidem nempe S. Doctor *Adonidem* Hebraeis, atque Syris *Tamuz* vocari scripserit, indeque fabulam de *Veneris* Amasio Junio Mense occiso, ac redivivo enatam, festivumque ideo Mensem Junium Syris Ethnicis habitum fuisse adnotarit, loco Junii scilicet Julium reponendum Norisius arbitratus, Julio *Tamuz* respondere, Junio vero *Haziram* aequari autumans. Junio namque revera *Tamuz* olim respondisse Longuerue ibidem ostendit; eodemque Mense Syro-Macedonibus *Panemo*, Romanis Junio, *Adonia* celebrari consuevisse, Euthalio Diacono teste, velut observatum etiam Valesio est in Not. ad Marcellinum lib. 17, & Marshamo in Can. Chron. Seculo I. p. 31. sq., ubi & de *Thamuz* Pseudo-Propheta nugas apud Maimonidem in More Nevochim p. 426, & de *Thamuz* pro *Pharaone*, sub Moyse in Mari Rubro submerso, fabulam apud Philastrium de Hae-

Haeref. cap. 23. rifu excipit, exfibilatque. Facit & cum his Hermannus Witfius in Aegyptiacis lib. 2. cap. 2. §. 14. fqq. p. 52. fq., ubi *Adonis* Phœnicium Numen effe, ac nomen obfervat, a Syrorum dialecto, quibus *Adon* notatur *Deus*, Hefychio in Lex. tefte, Aegyptiis *Thamuz*, ficut & Hebraeis dictum, atque *Ofiridem* eo nomine pro *Sole* acceptum, cujus ad tellurem acceffum, aut ab ea receffum, in Aeftate, aut Hyeme, laetis, aut lugubribus excipere vocibus erat folemne, Macrobio etiam notante Satur. lib. 1. cap. 21; conferendufque Jablonskius in Pantheo Aegypt. Par. I. lib. 2. cap. 1. p. 122. fqq., ubi p. 151. fq. inter alia *Ofiris* nomine ex vocibus Aegyptiis ⲟⲩⲟⲉⲓϣ, aut ⲟⲉⲓϣ, ac ⲓⲣⲓ, in dialecto Thebaidis, quae Arabibus *Sabidica* dicitur, vulgari longe antiquiore, *Oeifch*, & cum Articulo ⲟⲩ *Voeifch*, derivato, *Tempus* defignari, voceque ⲓⲣⲓ *Iri* denotari *Cauffam*, adeoque integra *Oeifch-Iri*, unde Graecis *Oifiri*, Aegyptiis *Ufchiri*, aut *Ufiri*, Temporis cauffam, *Solem* ideft, fignificari exiftimat. Poftquam vero Syria, maxime fuperiore, a Macedonibus Olympiadis 119. anno 4, U. R. C. anno 453. occupata, inde *Syro-Macedones* dici Syri cepere, Macedonum Menfes iis fimiliter ufurpati funt; qua de re fuo infra loco, quum de Macedonum, Syromacedonum &c. Menfibus, & Annis mentio fiet. Poftremo in Romanorum poteftatem Syri poftquam devenere, tum primum eifdem Annus *Rumaeus*, Golio obfervante in Not. ad Alfraganum p. 16, dictus Perfis, & Arabibus, nihil plane a *Juliano* difcrepans, ac Menfibus 12, diebufque 365, & horis 6. conftans, ufu deinceps venit, Menfium tamen antiquis retentis nominibus, quae fic apud Ulug Beigh de Epochis Vet. celebr., Albategnium, Said ebn Batrick, feu Eutychium in Annal. Alex., Alfraganum de Element. Aftronomiae &c. fe habent.

MEN-

MENSES

Syrorum, Melchitarum, Nestorianorum, Jacobitarum, Sabaeorum, Maronitarum &c.

1.	Tishrin prior	October	7.	Nisan	Aprilis
2.	Tishrin posterior	November	8.	Aiyar	Majus
3.	Canun prior	December	9.	Haziram	Junius
4.	Canun posterior	Januarius	10.	Tamuz	Julius
5.	Shabat	Februarius	11.	Ab	Augustus
6.	Adar	Martius	12.	Elul	September

V. ***Arrum*** porro, sive ***Alroum***, sive ***Rumaeorum***, heic nomine, non ***Romani*** utique proprie dicti Arabibus, Persis, ac Turcis, designantur, sed Syri, Graeco-Syri, Thraces, seu Europaei Turcae, & qui Ponto Euxino, Amano Monte, Euphrate, ac Mari mediterraneo continebantur, Aegyptii quoque, atque Mesopotameni, queis Graecae usu Liturgiae venerunt. Graeci namque veteres a ***Jone***, sive ***Javane*** filio ***Japheti*** progeniti ***Al-Jounam*** vocari Arabibus solebant; nuperi vero Judaeis, ex hisque Musulmannis ***Al-Roum***, ut qui a ***Roum*** filio ***Edom***, sive ***Esau*** originem eos duxisse per odium traducunt, hodie denominari solent, qua de Herbelotus Bibl.Orient. p.121. sq. Cui, ut id heic obiter admoneam, insigne hoc Opus, velut haud ipsius foetum, sed ab ipso e Codice Arabico Ms.Gallica dumtaxat Civitate donatum, abjudicare tentavit Sparvenfeldius in Epistola olim e Stockolma ad Leibnitium exarata. Verum A. Galandus in Praefat. ad Herbeloti Bibl. Orient. rite observat integram revera *Hagi-Khalfah* Bibliothecam in Opus fuisse ab Herbeloto congestam; ast Opus praeterea suum ex Mirkondo, Kondemiro, Ben-Schohnah, Nighiaristhano, Tariko Khozideh, sive Montekhebo, Lobb Tarikho, sive Lebtarikho, Ebn Khalekano, Deulet Schah, sive Doulat Scheh, aliisque oppido plurimis Arabibus, Persis, Turcis, Ebn Batrich, Abulfaragio, Elmacino &c., quos passim allegat, congessisse. Non

iis

iis tamen omnibus usu Menses iidem, idem Annus, & eadem Aera venere, sed aliis Syromacedonum, Arabum aliis, aliisque Latinorum. Syris ast enim Melchitis, Jacobitis, Nestorianis &c. Hebraeorum nomina Mensium retenta sunt, ita tamen ad *Julianos* postea attemperatis Mensibus, ut pari cum *Julianis* dierum numero constent; a Kalendis Octobris Annus incipiat; Februarius in anno *Communi* dies 28, in *Bissextili* dies 29. sibi vindicet; ac quadriennio quolibet Intercalationem Annus recipiat. Horum Mensium tamen plurium nomina, quae nempe ab Hebraeis discrepant, a *Deorum* nominibus derivare Syros delectatos fuisse vidit Golius in Not. ad Alfrag. p. 17. Ita *Haziram* ab *Osiride*, unde pro *Haziram* Heliopolitanis Ozip dictus est, observante Golio in Not. ad Alfrag. p. 17, Theone adducto teste; *Hul*, seu *Elul*, a *Saturno*, Assyriis *Hul* dicto, teste Eusebio Praep. Evang. lib. 1. cap. 7; *Tamuz* ab *Adonide*, ideoque medio hujusce Mensis Chaldaeis, atque Sabaeis festum *Boukat*, idest *Baccharum*, sive Mulierum ejulantium, ac insanientium solemne fuisse refert Abulfaragius apud Golium in Not. ad Alfrag. p. 18; *Adar* etiam, sive *Arrab Eladhim* a Deo, sive *Genio bono*, teste Abulfaragio ibidem p. 17. &c.

VI. Syris porro Maronitis, Libani, & Antelibani accolis, queis nomen fecisse Johannes Maro legitur, Annum similiter ab Octobri auspicari, quin etiam Anno ipsos hodie ad *Gregoriani* formam attemperato uti liquet ex ipsorum Synaxario, sive Martyrologio, Arabico sermone quidem, sed litteris Syriacis descripto partim a Rezeco Diacono, ac partim a Gabriele de Baluza primum Aleppi Metropolita, deinde Patriarcha Antiocheno Aerae Christianae anno 1666, inter Codices Beroeenses Vaticanos n. 3, inter Syriacos n. 243. a Cll. Assemanis in Catalogo Cod. Mss. Bibl. Vatic. Par. I. T. III. p. 522. sqq. adnumerato. Ibi namque sequens apud Syros Maronitas Mensium, atque dierum attexitur ordo, ex quo liquido itidem adparet, quae apud ipsos Anni totius dierum, atque noctium longitudo sit.

MEN-

MENSES
SYRO—MARONITARUM.

I.	Tefri prior	Oct.	Dier.31.	Horar.Diei 11.	Noctis 13.
II.	Tefri pofterior	Nov.	Dier.30.	Hor. Diei 10.	Noct. 14.
III.	Canun prior	Dec.	Dier.31.	Hor. Diei 9.	Noct. 15.
IV.	Canun pofterior	Jan.	Dier.31.	Hor. Diei 10.	Noct. 14.
V.	Scebat	Feb.	Dier.28.	Hor. Diei 11.	Noct. 13.
VI.	Adar	Mar.	Dier.31.	Hor. Diei 12.	Noct. 12.
VII.	Nifan	Apr.	Dier.30.	Hor. Diei 13.	Noct. 11.
VIII.	Jar	Maj.	Dier.31.	Hor. Diei 14.	Noct. 10.
IX.	Haziran	Jun.	Dier.30.	Hor. Diei 15.	Noct. 9.
X.	Tamuz	Jul.	Dier.31.	Hor. Diei 14.	Noct. 10.
XI.	Ab	Aug.	Dier.31.	Hor. Diei 13.	Noct. 11.
XII.	Elul	Sept.	Dier.30.	Hor. Diei 12.	Noct. 12.

VII. Parum hinc a Syris differunt Menfium nomina Curdiftanis, five Syro-Chaldaeis, five Gordiaeis, five Curdis, aut Carduchis, Affyriae Montium Incolis, ufurpata, veluti obfervant Golius in Not. ad Alfrag. p.19, Moynius in Var.Sacr. T.I. p.467, ac Fabricius in Menologio p.63: queis tamen Menfium nominibus apud ipfos res tempeftati cuique fuae congruentes defignari folent. Nifi quod pro *Aiyar*, ipfis eft *Goulan*, ideft *Rofaceus*; pro *Ab* ufurpatur *Dabac*, hoc eft *Aeftuofus*, atque pro *Elul*, ipfis venit *Ilun*, ideft *Aridus*. Anni caput attamen eft *Adar*, ipfis *Azar* dictus, ficuti Chaldaeis, ac Sabaeis eft *Nizan*, Syris *Tishrin* prior, Melchitis *Canun* pofterior, Januario noftro refpondens. Ubi obfervare tamen intereft Melchitas quidem, aliofque Syros, atque Graecos a *Canum* pofteriore, five a Kalendis Januariis, Annum *Incarnationis* Dominicae aufpicari, Aeram aft enim *Orbis* conditi ab *Elul*, five a Kalendis Septembris ducere confuefcere. Cujufmodi Aera fane Mofcovitis, five Ruffis quammaxime Schifmaticis, ufu

jampridem venit, Annusque iis a Kalendis Septembris incipi solet. Graecorum, sive *Alexandri*, sive vulgo Seleucidarum Aera vicissim, Mensibus tamen Syris, *Julianis* conformatis, uti Catholicos Persidis, & Indos Aethiopiae, alias Homeritas, sive Axumitas docet Epistola Simeonis Beth-Arsamensis in Perside, (quem etsi *Zenonis* Imper. Henotico addictum, immerito tamen Jacobitis a Stephano Edenensi adcensitum, sed eum probe orthodoxum fuisse ostendit Vir Clariss. Assemanus), scripta de *Homeritarum* Martyrio anno Graecorum 835, qui Christi fuit 524, apud Assemanum Bibl. Orient. T.I. p. 341. sqq. Christiano Nestorianis item in Malabaria, Cathaja, & Sinis eamdem quidem Graecorum Aeram, Menses vero Syros usu prisco venisse discimus ex Epistola Thomae, Jabablahae, Jacobi, & Denhae ibidem Episcoporum ad Eliam Patriarcham Mosulis anno Graecorum 1815, Christianae nempe Aerae 1504, relata ab eodem Assemano Bibl. Orient. T.III. Par.I. p.590. sqq., quem & conferre juvat T.II. p.255. sqq., & p.458., ubi a Nestoriano-Chaldaeis Episcopos, ac Presbyteros in Indias, ac Sinas jam ab Ecclesiae Seculo VIII. missos ostendit tum ex Lapideo Monumento in Siganfù Provinciae Xensì Metropoli anno 1625. reperto, & a P. Coupleto illustrato; tum ex Thoma Maragensi Episcopo in Historia Monastica Par.V. capp.4. 7. 10, & 14; tum ex Amro in Catalogo Patriarch. Chald. Adeundus etiam Bibl. Orient. T.III. Par. II, sive T. IV. p.506 sqq., ubi plura de Sinis, & p.538. sqq., ubi plura de Monumento illo Syro-Sinico erudite more suo congessit. Excipiendi tamen unus, & alter Syrus est Scriptor Actorum S. Simeonis Barsaboè Seleuciae, & Ctesiphontis Episcopi, & Martyris, cujus obitum consignat anno Regni *Persarum* 117, *Alexandri* Macedonis 655, a *Christi* Crucifixione 296: queis nempe praeter Aeram *Seleucidarum*, usurpata *Persarum* est Epocha, apud cit. Assemanum T.I. p.3. sqq., conferendus etiam T.II. p.318, quo loci Gregorium Bar-Hebraeum refellit, qui Epocham *Persarum* illam ab *Artaxerse* ductam, qua de alibi, *Graecorum* anno 542. in Chronico adstringit.

VIII. Propius & hinc absunt nomine, atque re Syro-Chaldaeorum, Perso-Medorum, sive Medo-Syrorum, atque Syro-

Syro-Arabum Menses, Annique forma; queis de antequam ago, paucis attingere de nominis originatione juvat, & intereft. Ad Perfidis fines porro in meridie pofiti Syro-Medi, & Medo-Perfae, & ad Chaldaeae degentes confinia Syro-Caldaei ita dicti funt; ficuti Arabes a nonnullis adpellatos Syros, aut Syro-Arabes ad Oceanum verfus Auftrum fitos, Arabum maritima incolentes, illifque permixtos, linguae, morumque adfinitatem in multis contraxiffe obfervat ad Dionyfii Periegefim Euftathius ex interpretatione Alex. Politi T.II. cap.108. p.392, & cap. 130.p.474. Syris jam vero his omnibus ufu iidem Menfes olim, eodemque adpellati nomine, venere; etfi non idem apud omnes, ac ubique Anni exordium, ac ratio. Olim fane, ut Orientalium univerfim, fic & Syrorum Menfes fuiffe *Lunares*, recte advertit Petavius Doct. temp. lib.4. cap.6, ideoque reprehenfione fe ipfum dignum praeftitit Scaliger de Emend. temp. lib.2. p.95, dum Andream Mafium in libr. Moyfis Barcephae reprehendere adgreffus eft, quod Syrorum Menfes fuiffe *Lunares* fcripferit. Quamquam, fateor, ea, qua Mafius ita fcripfit, aetate Syrorum Menfes *Solares* jam facti, atque in *Julianos* mutati fuerant. Reformato namque *Juliano* recepto ubique fere, quo Romanum obtinebat Imperium, Kalendario, ad *Juliani* formam, & fuus a Syris exigi, digerique Annus deinceps cepit. Quò factum perinde, ut & apud Syros mutatum fuerit Anni caput, adeo ut ab Aeftivo *Solftitio*, unde antea ducebat aufpicia, in *Autumnum* fuerit translatum. Et pridem quidem a Latinis, priufquam *Alexandrinum* Cyclum admiferint, *Judaico* fe fe attemperaffe Cyclo, Annumque ideo a Septembris die 24. incepiffe fcripfit Paulus Forofemproniensis Paulinae lib.2; atque id profecto in cauffa fuiffe, *Judaicum* nempe Cyclum, cui primo inhaeferant, cur a prifcis Chriftiano-Syris Anni caput a *Solftitio* in Autumnum fuerit transductum, auguratur Petavius. Cur vero Chriftiani deinde Arabes ab eodem Septembri Anni cardinem deinceps ineundum duxerint, in cauffa fuiffe five *Conftantinianas* Indictiones, five *Diocletianeos* annos a die 29. Augufti incipientes, opinatur Scaliger. Apud Syros poftea a Septembri ad Kalendas Octobris Anni principium delapfum fuiffe conftat; indeque Scriptores

omnes Syro-Christianos, *Alexandraea* utentes Aera, Anni caput deducere certum est: quo patet in mendo plane cubare Syrorum Genebrardi in Psalmos Commentario praefixum Kalendarium, quod a Novembri incipere, desinereque in Octobri conspicitur, velut advertit Fabricius in Menologio p.20: quocum conferendi Kircherus Oedip. Aegypt. T. II. Par. II. p.277, Joh. Gravius ex Ulug Beigh de Epochis cap.2, Alfraganus p.3, & Golius in Not. p.17, ac Beckius ad Ephemerides Persar. p.2. Pro Coronide denique Mensium tam apud Syro-Chaldaeos, quales ex Eutychio Alex. cum Mensibus Coptis, una cum dierum numero conferre Fabricio in Menologio p.70. fas fuit, Syro-Chaldaeorum Mensium aliis corruptissimis, quae ex Albategnio cap. 32. idem refert Fabricius p.63, ut quae repetere nihil juvat, & interest, nominibus praetermissis; quam apud Syro-Arabes Christianos, *Alexandraea* utentes Aera, quales ipsorum e libris descripsit cum dierum numero De Guignesius Hist. gen. Hun. in Tabul. Epochar. T.I Par.I. p.XLVIII, ordinem, & ad *Julianos* respectum, subjecto discere e Diagrammate licet: quamvis Arabo-Syros alios *Seleucidarum* jugo subactos Mensibus, Annique formae Syro-Macedonum se attemperasse suo alibi planum loco fiet.

MEN-

MENSES
SYRO-CHALDAEORUM.

1. Tishrin prior	31. October	Babah
2. Tishrin posterior	30. November	Hatur
3. Canun prior	31. December	Chjac
4. Canun posterior	31. Januarius	Tuba
5. Aschbat, sive Xubat	28. Februarius	Amschir
6. Adar	31. Martius	Barmahath
7. Nizan	30. Aprilis	Barmudah
8. Achar, sive Aiyar, sive Ejiar	31. Majus	Baschnes
9. Chaziran, sive Haziram	30. Junius	Baune
10. Tamuz	31. Julius	Abib
11. Ab	31. Augustus	Musre
12. Eilul	30. September	Thuch

MENSES
SYRO-ARABUM.

1.	Teschrin el-aoual	31.	Januarius
2.	Teschrin el-thani	30.	Februarius
3.	Canoun el-aoual	31.	Martius
4.	Canoun El-thani	31.	Aprilis
5.	Schabat	28.	Majus
6.	Adar	31.	Junius
7.	Nisan	30.	Julius
8.	Ayar	31.	Augustus
9.	Haziram	30.	September
10.	Tamouz	31.	October
11.	Ab	31.	November
12.	Eiloul	30.	December

IX. Eadem fere Mensium adpellatio, seriesque, atque Anni forma apud Syro-Palaestinos, Phoenices, Syro-Phoenices, Coelo-Syros, Syro-Cappadoces, Leuco-Syros &c. usurpata

pata legitur. Genere hi porro Syri omnes a Chaldaea usque ad Issicum Sinum, indeque usque ad Euxinum Pontum olim effusi, diversa e vicinia, quas pervasere, Regionum oppido diversarum, primaevo admixta, sortiti nomina sunt; unde *Palaestino-Syri*, qui Palaestinae fines contingebant; non secus, atque *Liby-Phoenices* dicti Livio Dec. 3. lib. 1. leguntur, qui interiorem olim Africam petentes, Afris mixti Phoenices sunt; in Cappadociam, qui commigrarunt, *Syro-Cappadoces*; & qui ad Taurum, & qui ad Pontum incolatum posuere, *Leuco-Syri*, sive *Albo-Syri*, ita a colore distincti ab his, qui adustiore erant, dicti sunt; qui prope Ciliciam, Aegyptum, ac Phoenicem ad Libanum, & Casium, ad Erithraeum, & Pelusium *Syro-Phoenices*, sive *Coelo-Syri*; videndusque Eustathius in Dionysii Perieg. vers. Alex. Politi capp. 108, 122, & 134. T. II. p. 393. sq., 450 sqq., & 487. sq., juncto Bocharto in Chanaan, sive Geog. Sac. Par. II. lib. 1. p. 349. sq., queis de modo, nam de *Leuco-Syris*, non secus atque de *Syro-Macedonibus* suo prolixius, ubi de Macedonum, Cappadocum &c. Mensibus, & Annis sermo instituetur, agendum loco erit, paucis, quoad ejus fieri poterit, loqui praestat. Nobilis porro Syriae pars isthaec *Phoenice* sic dicta fertur vel a *Phoenice* Agenoris filio altero, Syncello in Chronog. p. 152, & 158. edit. Paris., Ven. p. 121., & 126, Auctori Chron. Alex. p. 43. edit. Paris., Ven. p. 36, Stephano de Urb. p. 347, ac Eustathio ad Dionysii Perieg. cap. 123. T. II. p. 454; vel a Graeca voce Φοινίκων, idest *Palma*, quarum copia redundat Phoenice, aliis; vel a colore Maris *Erithraei*, cujus accolae Phoenices erant, Herodoto lib. 1, Justino lib. 18, cap. 3, Diodoro lib. 16, Straboni lib. 1, quos sequitur Fullerus in Miscell. Sac. lib. 4. cap. 20. Suppl. Crit. Sacr. edit. Francof. T. VII. p. 242. sq.; vel ab *Edom*, quatenus ex Edomitis profecti Phoenices fuerint, Nevvtono in Chron. Vet. Regn. emend.; vel ab Hebraea voce בני ענק *Bene-Anak*, unde Graecis *Phene-Anach* conficta fuerit, indeque *Phoenices* efformati, quod *Anacaeorum* gens, e *Chanaan* idest procreata fuerit, Bocharto Geog. Sac. Par. II. lib. 1. cap. 1. p. 345. sq. In Phoenice regnasse porro Berythi *Elbasus* traditur Sanchoniatoni apud Eusebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 6. Bybli

bli *Erilus* fertur Arriano; ac Bybli rurſus *Cinyra* Straboni lib. 16. p. 520, alibique alii indicantur Straboni eodem lib. 16. p. 518; quorum memoria, ſerieſque periit. Eorum tamen, qui Sidone, Tyri, & Aradi regnum obtinuere, mentio fit tam Judaeis, quam Graecis, fabulis etſi permixta vera fuerint. Et Sidone quidem ab omnium primo fundatum, ſuoque de nomen Urbi factum a *Sidone* Chanaam filio, auctorem ſe praebet Joſephus Antiq. Jud. lib. 1. cap. 7. In Phoenice viciſſim primus omnium regni ſede defixa imperaſſe *Agenor* genere Aegyptius Graecis fertur Apollodoro lib. 2, Stephano de Urb. p. 347. &c., hunc excepiſſe *Phoenix*, indeque Regioni nomen inditum fuiſſe, viſum eſt Stephano, Syncello, Auctori Chron. Alex., Euſtathio loc. ſupra cit., junctis Q. Curtio lib. 4, ac Euſebio loc. cit. Trojano vero ſub bello Sidonis Rex *Phallis* Homero Odyſſ. 8. memoratus legitur, iſque egregiam Graecis impendiſſe operam; in eamque ut *Sarpedinem* Libyae Regem perduceret, fruſtra defatigatus. *Xerſi* deinde contra Graecos opem tuliſſe *Tetramneſtus* Sidonis Rex legitur apud Herodotum lib. 7; poſt quem *Tennes* Perſarum jugo primum excuſſo, poſtea *Dario Ocho* ſponte ſe, cum Urbe, ſubmittens, ipſius juſſu interfectus eſt, Phoenice ſub Perſarum jugo poſita, Diodoro lib. 16. referente. Reſtauratis paullo poſt Sidone rebus, a Populo Regis nomine inauguratus eſt *Strato*, qui perinde regno exutus ab *Alexandro* M. eſt, ejus in locum ſuffecto *Ballonymo*, queis de Curtius lib. 4, Diodorus lib. 17, Maximus Tyrius ſerm. 4, Plutarchus de Fortuna Alex., ac Juſtinus lib. 11.

X. Qui primi vero Tyri regnum ante *Abibalem* obtinuerint, prorſus in obſcuro latent; ex Menandro, ac Dio prior omnium *Abibalus*, aetate *Davidi* ſuppar, a Joſepho adverſ. Appion lib. 1, ac Theophilo Antioch. lib. 3. ad Autolyc. memoratur: quo ab *Abibalo* prima Tyri, & Aradi Urbium poſita fundamenta opinatus Nevvtonus manifeſto refellitur Joſephi teſtimonio Antiq. Jud. lib. 8. cap. 2, ubi Tyrum annis 250. ante *Salomonicum* Templum, quod anno II. *Hirami* filii *Abibali* ceptum eſt, aedificatam fuiſſe liquido adfirmat. Hunc excepit filius *Hiram*, qui Sidoniis quoque jura dixiſſe videtur, amicitia, foedereque *Salomoni* cunjunctus, quo de II. Reg.

v. 11.

v.11.sqq.,III.Reg.v.1.sqq.,&ix.11.sqq.,I.Paralip.xiv.1,&II.Paralip.11.3.sqq.,JosephusAntiq.lib.8.c.2,& EusebiusPraep.Evan. lib.9. p.449. Patrem excepit *Baleastrus*, hunc filius item *Abdastartus*: cui interfecto successit frater *Astartus*, eique *Astarimus* frater alter; quo interfecto, regnum arripuit *Phelles*; sed eo pariter interempto, regnum in se transtulit *Itobal* Astarimi filius, summus *Astartis* Sacerdos, cujus filia *Jezabel* desponsata *Achabo* Regi Israelis legitur III. Reg. xvi. 31. Successere deinde *Badezor*, istique *Mettinus*; cujus a filia *Elisa*, vulgo *Didone*, Carthago condita; a filio *Barca* genus duxit *Annibal*; filius alter *Pygmalion* Tyri, ac Sidone regnare perrexit: queis de Josephus, ac Theophilus loco antea indic., Justinus lib. 18, Appianus de bello Punic. lib. 4, Servius Aen.4.&c. Post hunc, qui Tyri regnasse legitur, *Elulaeus* bello cum *Salmanazare* Assyriae Rege feliciter defunctus est, quo de Josephus Antiq. lib. 9. cap. 14. Postremo *Ithobale* II. a *Nabuchodonozore* post obsidionis annos 13. subjugato, Tyroque capta, & subversa, Tyriis curandis rebus suffecti deinceps *Suffetes*, in hisque per annos 70. *Baal*, *Ecnibal*, *Cheldes*, *Abbar*, *Migtonus*, & *Gerastus* sunt. Donec post annos 70. Regia denuo Tyri dignitate potiti, supremo tamen sub Assyriorum imperio, leguntur *Balator*, *Merbas*, *Iromus*, *Mapen*, *Strato*, *Azelmicus*, sub quo Tyrus ab *Alexandro* capta est, sed ab eo regnare sub tributo permissus, ac post ipsum *Marion*, in quo Tyri regnum finem demum accepit in *Ptolemaeos*, deindeque in *Seleucidas* transfusum. Ex *Aradi* Regibus, tres dumtaxat memoriae proditi sunt, *Arbal*, filius *Narbal*, qui *Xersi* contra Graecos auxilio fuit, de quo Herodotus lib. 7. cap. 98, Diodorus lib. 17, Plutarchus in Alex., Curtius lib. 4, Arrianus lib. 2, Justinus lib. 11, & Josephus Antiq. lib. 11. cap. 8; ultimus *Gerostratus* opem *Dario* contra *Alexandrum* ferre primum non dubitavit, sed postea victori Macedoni sponte se cum filio *Stratone*, Insulaque submisit, qua de re Arrianus de Exped. Alex. lib. 2, conferendique Angli Scriptores Hist- Univ. T. V. Par. I. cap. 6. sect. 3. p. 205. sqq.

XI. Jam vero quae Syro-Phoenicibus usu Mensium, Annique ratio venerit, ex ea, quae Coelo-Syris, ab illis vix, ac ne

vix

vix quidem distinguendis, usurpata est, intelligi facile dabitur. Enim vero nobiles inter alias Coelo-Syriae Urbes ad Libanum sita adsurgebat *Heliopolis*, Arabibus hodie *Baldek* dicta, a peculiaris *Solis*, cui dedicata Urbs erat, cultu sic denominata; sicut Emesae sub nomine *Elagabali*, Palmyrae, alibique in Syria Templa dicata *Sol* habuit. Heliopolitanis itaque, quod ipsum de Sidoniis, Tyriis, Palmyrenis, Abilinis, Damascenis, Emesenis, Laodicenis &c. ferendum judicium, hos etsi postea Macedonum sese Mensibus, Annique formae attemperare delectatos fuisse infra planum fiet, sequentes usu frequentati Menses, depravatis tamen admodum nominibus, olim leguntur in Graeco Hemerologio MS. Bibl. Mediceo-Laurentianae Florentiae diligenter, uti dignum est, ac decet, adservato, magnique Viris doctis facto, quo de fuse postea, quum de Syro-Hellenum, Helleno-Arabum, Syro-Macedonum &c. Mensibus, & Annis sermo fiet, agendum erit. Atque ex hoc utique Hemerologio liquido adparet sub imperio Seleucidarum veterum Mensium, Annique forma abrogata, Macedonum Menses adoptasse, Annique formae se attemperasse Syros alios, Sidonios, Tyrios, Syro-Hellenistas, Syro-Arabes, Syro-Cappadoces &c.; prae hisce vero Mensium veterum, veterisque Anni rationis Heliopolitas retinentissimos fuisse, adeout sub Romano etiam Imperio, kalendario etsi *Juliano* recepto, a prisca tempora putandi forma se abripi neque passi fuerint, velut ex hoc ipso augurari fas est Hemerologio, in quo Heliopolitarum Mensium initium cum Julianorum Mensibus, ac diebus aequiparatur, quod ex Diagrammate inde descripto magis elucescet, quamvis eadem barbare a Graeco Homine inflexa Mensium nomina adpareant.

MENSES

ΗΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ HELIOPOLITARUM. INITIUM.

1.	Θοριν	Thorin	X. Kal. Januarii
2.	ΓελωνΦ	Gelonph	XI. Kal. Februarii
3.	Χανου	Chanu	IX. Kal. Martii
4.	Ϲοβαθ	Sobath	IX. Kal. Aprilis
5.	Αδαλ	Adal	IX. Kal. Maji
6.	Νεισαν	Nisan	IX. Kal. Junii
7.	Ιαραρ	Jarar	VIII. Kal. Julii
8.	Εζηρ	Ezer	IX. Kal. Augusti
9.	Θαμιζα	Thamiza	X. Kal. Septembris
10.	Αβ	Ab	IX. Kal. Octobris
11.	Ιλουλ	Ilul	X. Kal. Novembris
12.	Αγ	Ag	X. Kal. Decembris

XII. Atque hocce loci demum in Aegyptum paullisper excedere, lucem inde dictis de Syria mutuaturo, fas mihi sit. Duplex itaque curate distinguenda *Heliopolis* est, una in Syria ad Libanum posita, qua de hactenus; in Aegypto Inferiori altera ad Nilum sita, quae olim Hebraeis און *On* Ω'ν dicta Gen. XLI. 45, & 50, XLVI. 20, Exodi I. 11, Ezech. XXX. 17, Josepho Antiq. lib. 2. cap. 3, *Beth-Semes* etiam denominata, idest *Domus Solis*, Guillandino, legitur, ideo quod peculiari *Solis* cultui, non secus atque Syriaca, dedicata esset. Atque hanc ipsam *Heliopolim* eam Urbem esse utique, in qua se habiturum Altare, quamve lingua Chanaan adpellandam עִיר הֶרֶס *Ir Heres* fore praedixit olim Deus per Isajam XIX. 18. sq., in qua nempe Templum sub *Ptolemaeo Philometore* ab *Onia* IV. Oniae III. filio conditum postea fuit, plerisque, qua Judaeis,

daeis, qua Christianis Interpretibus persuasum arcte fuit: quibus favet Vulgata, quae habet *Civitas Solis*, Targum Jonathanis, sive Paraphrasis Chaldaica Uzielidis, in qua legitur קַרְתָּא בֵּית שֶׁמֶשׁ דַּעֲתִידָא לְמֶחֱרַב׃ *Civitas Domus Solis, quae destruenda est*, & Arabica Versio, qua habetur *Urbs Ain Semes*, sive *Ain Schemes*; (quam sane lectionem confirmant Abulfeda Ismael in Geogr., Urbem olim *Pharaonis* fuisse adfirmans, Geographus Nubiensis Par. III. Clim. 3, Avicenna lib. 2. cap. 81, R. Benjamin Tudelen. Itin. p. 120, ubi conferendus L'Empereur in Not. p.224, Elmacinus apud Hottingerum in Smegmat. Orient. lib. 1. p. 371, Abulaibusan Achmed Calcasendius scriptor Mohammedanus in Kalendario Aegyptio e Coptis Christianis exscripto certe apud Seldenum de Syned. Vet. Hebr. lib.3. cap. 15. p. 1338. sq., ubi videndus idem Seldenus in Not., conferendique Golius in Not. ad Alfrag. Elem. Astron. p.157, Moynius in dissert. de *Jehoua Justitia* ad Hierem. XXIII. p.185, & Schlaegerus in dissert. de Templo Heliopol. cap. 4. p. 42. sq., (quo patet Steph. Morinum de Lingua primaeva p.93. pro *Ain Schemes* legendum in Arabica Versione *Irschemes* perperam fuisse suspicatum). Atque ita plane *Ir Heres* ipsam fuisse *Heliopolim* e Judaeis persuasum fuit Josepho Antiq. Jud. lib. 12. cap. 14, & lib. 13. cap. 4. vers. Lauri, Rabinis in *Menachot* fol. 100, in Comment. ad Isajae loc. cit., ubi R. Josephi Uzielidis interpretationem suam faciunt; e Christianis Eusebio in Chron. p. 573, S. Hieronymo ibid., Auctori Glossarii Copti apud Mullerum Θσακιμ Πιρη *Urbem Solis* vertenti, Vatablo Crit. Sacr. T.II. edit. Francof. p. 2452, Clario ibid. p.2453, Forerio p. 2458, Grotio eodem loci p. 2464, Drusio ibid. p. 2462. sq., ubi hanc lectionem *Civitas Ars*, sive *Ares*, sive *Solis*, Aquilae, Symmacho, ac Theodotioni probatam observat, ac pro *Asedec* LXX. Interpretum, ac Eusebii p.319, substituendum *Aheres* putat, laudans S. Hieronymum de Loc., ubi הרס *Heres* aliis a *Siccitate* verti in *Solem*, aliis verti in *Testam*, ideoque *Heliopolim* illis, *Ostracinem*, idest *Civitatem Testarum*, his significari advertit; Scaligero in Not. ad Eusebium loc. cit., Hottingero de Dispers. XII. Tribuum Israel. Adpend. 3. §.12. p. 450. sq., Bonfrerio in Onom.

 Oper.

Oper. Menochii T.II. p.170, Tirino, & Polo etiam in Sinopſi Crit. Sacr. edit. Ultraj. T. III. p. 193, ubi ſimilem apud Moabitas Iſajae xvi. 7. *Kir-Heres* intelligi *Solis Urbem* exiſtimat: queis adſtipulari non dubitarunt Lakemacherus in Obſervat. Philolog. Par.VII. p.47, & Schlaegerus in diſſert. de Templo Heliopol. cap.4. p.42.

XIII. Verum cit. Iſajae cap.xix. 18. ה. H, non ח. Ch, ideſt *Heres*, non *Cheres* habetur. Et *Sol* quidem Aegyptiis, & Coptis *Cheres* dici, non *Heres* ex Eratoſthene obſervatum eſt Mullero Gloſſar. Sacri p.32, Salmaſio Epiſt. 78, & Guſſetio in Comment. Ling. Hebr. V. הרס. Quo circa Capellum pro הרס *Heres* quoſdam habere חרס *Cheres* adfirmantem refellit Vitringa Comment. in Iſaj., Pridaeum quoque Hiſt. Jud. Par. II. lib. 12. edit. Ven. T. IV. p. 312. ſq., qui Scaligerum in Chron. Euſeb. n. 1856. p. 144. ſequutus aeque legi Iſajae loc. cit. עִיר הֶרֶס *Air Haberes*, atque עִיר חֶרֶס *Air Hacheres*, pro ה *He* nempe uſurpato ח *Che*, ideoque recte legi *Civitas Solis* cenſet, vehementer exagitat Ikenius diſſert. 16. de Altari *Jehovae* in media Aegypto ad Iſajae xix. 18. ſq. p. 261. Itaque laudato Iſajae loco *Heres* retinent ſane Verſiones Syriaca, & Alexandrina, & *Heres* interpretantur *Urbem Deſtructionis* R. Abarbanel, & R. David Kimchi libro Radicum, quem immerito, cumque pone ſequutum Pagninum, reprehendit Forerius loc. cit. *Heres* etiam *Urbem Deſtructionis* vertunt Arias Montanus, Junius, & Tremelius, Piſcator, Munſterus, ac Verſiones Anglica, Gallica, & Tigurina apud Polum in Synopſi Crit. Sacr. T. III. p.192. ſq., & Critic. Sacr. T.II. p. 2450. Ita & voce הֶרֶס *Her'es* eo Iſajae loci *Deſtructionem* ſignificari obſervant Bonfrerius in Onom. Urb., & Loc. p.170, Caſtellus in Lex. Heptagl. T. I. p. 885, Baſnagius Hiſt. Jud. lib.7. cap.7. §.13. p.170. ſq., Buxtorfius in Lex. Hebr. Chald. p.177, Hillerus in Onomaſt. Sacro, & Michaelis in diſſert. de Paronomaſia Sacr., qui duo poſteriores tamen *Ir Heres*, ideſt *Urbs Deſtructionis*, nomen eſſe Paronomaſticum *Heliopoleos* Aegypti volunt. Ikenius itaque Diſſert. cit. p. 265. ſqq. *Ir Heres*, ſeu *Urbem Deſtructionis* hanc eſſe *Leontopolim* in Aegypto, *Leonum Urbem* hoc eſt, a voce *Hares*, *Heres*, *Huras*, qua Arabice *Confractio*, *De-*

ſtru-

ſtructio, ac *Leones* etiam denotantur, hinc derivatam, exiſtimat. Vidit id ante ipſum Huetius Demonſt. Evang. Prop. VI. T.I. edit. Ven. p. 350, Templum illud *Leontopoli* in Heliopolitana Praefectura conditum adfirmans: quamvis locum ipſum *Urbem Solis* dictum & ipſe velit. *Leontopoli* itaque, non *Heliopoli*, ut vulgo creditur, ab *Onia* celebre illud Aegyptiacum Templum aedificatum fuiſſe, atque in loco quidem, ubi olim coli *Iſis*, ſive *Diana* Aegyptiis ſolebat, ex reciprocis *Oniae* ad Ptolemaeum, & Cleopatram, ac *Ptolemaei*, & *Cleopatrae* ad Oniam Epiſtolis apud Joſephum Antiq. Jud. lib. 13. cap. 3, alias 4, Ikenius confirmat, ubi ſane Templum illud Ἐν Λεοντοπόλει τοῦ Ἡλιοπολίτου *Leontopoli in Praefectura Heliopolitana* exſtructum legitur. Confirmat etiam ex Verſione Alexandrina, ſive LXVirali, quam ideo perperam hocce ſollicitat loco, ſuggillatque Druſius, ubi עִיר הֶרֶס *Ir Heres* vertitur Πόλις Ἀσεδὲκ *Civitas Aſedech*. Obſervat enim communi, obvioque apud Arabes nomine *Leonem* nuncupari *Aſadon*, ſive vulgo أسد *Aſad*, ex quo ideo formatum ſit Graecis *Aſedech*, ſive, ex Arabica voce altera أشدغ *Aſchdag*, aut *Aſjdag*, qua utraque perinde *Leonem* ſignificari Arabibus notat. Familiare denique fuiſſe Aegyptiis Urbes Animalium vocabulis adpellare ex S. Hieronymo in Iſajae XLVI. 1, & adverſ. Jovinian. lib. 2. cap. 6. advertit, velut a *Cane* Κυνῶν, ab *Hirco* Θμοῦις, a *Leone* Λέων adpellatae leguntur; ideoque *Leontopolis* nomen Urbi nomen inditum arguit a *Leonibus* ibidem ſuperſtitioſe cultis, Aeliano teſte Hiſt. Animal. lib. 12. cap. 7. Quare & Urbs illa *Leonis* inſigne gerebat, ut in Nummo *Antonini Pii* apud Vaillantium Hiſt. Ptolemaeorum p. 207, & apud Harduinum in Num. Popul. Illuſt. p. 94, alteroque *Juliae Domnae* apud Triſtanum T. II. p. 144. adparet.

XIV. Sed enim *Sol* ipſe ſiquidem Aegyptiis ſub *Leonis* ſymbolo coli ſolebat, teſtibus Heroapolline lib. 1. cap. 17, ac Pignorio de Menſa Iſiaca p. 64, & 68, ubi conferendus etiam Richardus Simonius Onomaſt. Sacri p. 568. in Not., inde fit, ut promiſcue Urbs eadem *Leontopolis* dici, atque *Heliopolis* potuerit, hoc eſt עיר הרס *Ir Heres* tam pro Urbe *Deſtructionis*, ſive *Leonum* litteraliter accipi, quam pro *Ir Cheres*, ſive

Ur-

Urbe *Solis* symbolice. Junge quod Aegyptiis *Sol* dialecto Memphitica Φρη *Phre* dictus, antiquiori dialecto Thebaidica ⲟⲉⲓⲛ *Oein* denominatus est, ut observat Jablonskius in Pantheo Aegypt. Par. I. lib. 2. cap. 1. p. 137, unde contracte *On* Aegyptiace *Sol* nuncupatus est S. Cyrillo Alex. apud eumdem. Quin ubi Gen. XLI. 45. 50, & XLVI. 20. Graeci LXX. Interpretes *Heliopolim* habent, Aegyptiaca Pentateuchi Versio Seculo IV. Ecclesiae ad Graecam illam exacta Ὢν *On* reposuit. Coptus ad haec Pentateuchi Interpres Exodi I. 11, ubi in Graeca Versione haec leguntur, quae Textus Hebraeus non habet, Καὶ Ὤν, ἥ ἐστιν Ἡλιούπολις, ad litteram ita vertit ⲛⲉⲙ ⲱⲛ ⲉⲧⲉ ⲑⲃⲁⲕⲓ ⲙⲫⲣⲏ ⲧⲉ *Et On, quae est Urbs Solis*: quod ibi nempe *Soli* Sacra fieri solerent, celebreque *Soli* erectum Templum extaret, testibus Herodoto lib. 2. capp. 59, & 73, Strabone lib. 17. p. 553, ac Cicerone de Nat. Deor. lib. 3. cap. 21. Ubi demum, ut e diverticulo in viam me recipiam; atque ab Aegypto in Syriam denuo regrediar, observes velim *Heliopoli* etiam in Syria Sacra quotannis *Solis* in honorem solemnia haberi consuevisse, ac celebre Templum fuisse sub *Baalis*, sive *Beleni* nomine dicatum: quod prius a *Vespasiano* clausum, vastatum deinde a *Trajano*, ut habet Gemara Hierosolym. *Succati* fol. 55, a *Theodosio M.* postea refectum, Christiano deinde usui adsignatum refert Auctor Chron. Alex. p. 303. edit. Paris., Ven. p. 242. ad Olymp. 289. an. 4. Quo sane loci Thomas Reinesius Var. Lect. lib. 1. cap. 25. p. 116. corrigendum Alexand. Chronographum ratus, ac pro Βαλανὶν legendum Ὠνὶν, Templum idest hoc idem, ac illud ab *Onia* aedificatum existimans, refellitur a Zornio, aliisque Musei Bremensis T. I. p. 289, & in Miscellaneis Observat. in Auctores Veter., & Recent. Vol. II. edit. Amstel. p. 172. sqq., & a Schlaegero in dissert. de Templo Jud. Heliopolitano, ante ipsos vero ab Holstenio in Not. ad Stephanum de Urb. p. 128. sq., & a Ducangio in Not. ad Chron. Alex. p. 568. edit. Parif., Ven. p. 498, ubi Templum hoc in Syria dicatum *Soli*, sive *Apollini*, Chaldaeis, & Babyloniis *El*, *Bel*, & *Belathen* dicto, *Baal* Phoenicibus, ac Syris, Hesychio *Bela*,

la,

lá, & *Helios* observant. Cujusce sane Templi insignia hodiedum manere rudera, ex iisque abunde liquere, quantae olim molis, quantique laboris, expensaeque extiterit, nobis Itineratores retulere Maundrelius Itin. Alep. p. 135. sq., De la Roque Itin. Syr. T. I. p. 90. sqq., ex hisque Angli Scriptores Hist. Univ. T. V. Par. I. cap. 5. edit. Ven. p. 20. sqq. In eadem Urbe etiam coli *Gennaeum* consuevisse in *Jovis* Templo sub *Leonis* specie, referente Damascio apud Photium in Bibl. Cod. 242. p. 1063. sq. discimus: *Solem* autem symbolo *Leonis* exprimi olim solitum ignorat nemo, de quo vide notata Tristano T. II. p. 168. Accepisse hancce deinde *Heliopolim* in Syria Phoenice, sive Libanensi, sive Coelosyria Coloniam *Juris Italici* a Severo Imp. docet Ulpianus de *Censib.* L. 1; atque ad hanc utique Nummos, quos ad *Heliopolim* Aegypti spectare censet Tristanus p. 104, referendos fore ostendere pergit Holstenius. Fuit & altera porro in Aegypto Superiori *Heliopolis*, Turcis *Cossi*, Arabibus *Ain Al-Schams* dicta, ad Nilum sita, inter Urbes Cairum, & Coptum, ac Mare Rubrum media, de qua Herbelotus Bibl. Orient. p. 274, & Calmetius in Diction. Bibl. T. I. edit. Ven. p. 406. sq., ac T. II. p. 138. sq. Quamquam oppido fallitur Herbelotus cum veteri Thebarum Urbe hanc confundens; fallitur & Calmetius in *Heliopoli*, hoc est Urbe *Solis* sic dicta, Hebraeis Gen. XLI. 45, XLVI. 20, & Ezech. XXX. 17. *On* denominata, in Aegypto Inferiori ad Nilum sita, ab *Onia* IV. Templum, inde *Onion* denominatum, fuisse aedificatum existimans. Fuit & altera in Galatia *Heliopolis*, Hierocli in Notit. Eccles., & Procopio de Aedific. Just. lib. 5. memorata, sed nec ad Galaticam Urbem hanc, nec ad Aegyptiacam alterutram, sed ad Phoeniciam Menses, queis de supra dictum, usu olim venisse non dubium est; atque hisce de hactenus.

DE

DE

MENSIBUS, ET ANNIS

Syro-Hellenum, *Arabo-Syrorum*, *Syro-Cappadocum*, *Macedonum*, *Syro-Macedonum*, *Macedonum Europaeorum*, *Macedonum Asianorum &c.*

ARTICULUS III.

I. SYrorum nomine propriè tametsi putentur Regionis ab Amano, & Tauro Montibus, atque Mediterraneum Mare inter, & Euphratem Incolae, olim etiam ארמי *Aramaei* Hebraeis a *Semi* filio *Aramo*, Gen.x. 22, denominati, Josepho teste Antiq. Jud. lib.1. cap.7, Syrorum hocce tamen de nomine large accepto nuncupati passim leguntur Plinio lib.5. cap.12. *Palaestini*, & *Philistaei*, atque inter hosce quoque postremo veluti loco ad Aegyptum versus *Gazenses*, Arriano de Expedit. Alex. M. lib. 2. p.150, Hebraeis, ac Syris *Azenses* dicti, notante Stephano Byzant. de Urb. edit. Holstenii p.78, inter Phoenices recensiti, *Palaestini*, inquam, atque *Philistaei*, qua contingunt Arabes; *Syro-Arabes* item, qui in Arabum nempe potestatem devenerant, Josepho lib.13. sq., & Ammiano Marcellino lib.14; *Mesopotameni*, atque *Syro-Chaldaei* Plinio loc. cit., qui Euphratem inter, ac Tigrim degebant, quique *Transeuphrataei* etiam Josepho lib.7. cap.7. vocati leguntur; *Assyrii*, qui itidem *Transtigri-*

tigritani, Herodoto in Polymnia, five lib.7. p.194; *Commageni*, qui Taurum habent a tergo, usque ad Euphratem, Ciliciae, & Cappadociae adhaerentes, Ptolemaeo, ac Plinio lib.5. cap.24, deinde *Euphratenses* dicti Theodoreto lib.2. cap.25, & Stephano de Urb. p.84, videndusque ibidem Holstenius in Not. p.180; *Seleucido-Pierii*, atque *Seleucido-Mediterranei*, sive *Antiocheni* Straboni lib.16. p.516.sq., ac Ptolemaeo lib.5. cap.15, qui ad Phoenicem usque, & Orontem fluvium excurrunt; *Syro-Cyrrhestici*, qui intra Commagenem, Seleucidem, & Euphratem incolunt, Ptolemaeo, Plinio lib.5. cap.23, ac Stephano p.180; *Palmyreni* Appiano de Bello Civ.lib.5.p.1079, & Plinio lib.5. cap.25, qui non longe ab Euphrate distabant; *Coelo-Syri*, signatimque *Heliopolitae*, qui Libano, & Antilibano definiri fuere Straboni lib.16. p.519, queisve *Chalcidicos* adnumerat Plinius lib.5. cap.23; *Syro-Phoenices* Straboni lib.11. p.86, Plinio lib.5. cap.20, ac Pomponio Melae lib.1. cap.12, qui ad Mare Mediterraneum inter Seleucidem, & Palaestinam inhabitant, in quibus celebres olim *Tyrii*, ac *Sidonii*, hodiequedum *Tripolitani*; *Syro-Damasceni* Straboni lib.16.p.520, ac Stephano de Urb.p.90, ubi conferendus Holstenius in Not., qui Euphratem inter, & Mare Mediterraneum demorantur; quos etiam *Syro-Phoenicibus*, non secus atque *Heliopolitas*, *Chalcidicos*, aliosque adnumerat Bochartus Geog. Sac. lib.1. cap.1. T.II. p.349, quo loci observat ad Mare inhabitantes *Phoenices* dictos fuisse, oppositos vero, atque Syriae proximos *Syro-Phoenices*, itaque dictos etiam *Tyrios*, *Coelo-Syros*, *Sidonios* &c., quibus de omnibus fuse Cellarius Geog. Antiq. T.II. lib.3. cap. 12. edit. Lipf. 1732. p. 335. sqq.; *Cappadoces* item, dicti *Leuco-Syri* Straboni lib.12. p.373, ac Plinio lib.6. cap. 3, de quibus idem Cellarius ibidem cap.8. p. 282.

II. Syris porro, & Coelo-Syris, sive Heliopolitis, non secus atque Syro-Chaldaeis, sive Mesopotamenis, Syro-Medis, ac Syro-Arabibus Christianis, quos heic distinguendos a Syro-Arabo-Mohammedanis admonemus, quinam Menses usurpati fuerint, quaeve Anni forma usu pridem venerit, superiori Articulo, prout operae ferebat pretium, jam tetigimus.

Quae vero Phoenicibus Mensium, Annique ratio adhibita fuerit, paullo inferius, quum de Mensibus, & Annis *Tyriorum*, quorum sane Menses Phoenicibus usu fuisse universis persuasum habuit Norisius de Epochis Syromaced. dissert.1. p.51, ac *Sidoniorum*, inter Phoenices facile Principum, atque *Damascenorum*, inter Syro-Phoenices dubio procul computandorum, mentio incidet, nobis ostendenda incumbet: non secus atque ubi de Aegyptiorum Mensibus, & Annis egimus, egisse putandi sumus de Annis, & Mensibus *Liby-Phoenicum*, eorum nempe Phoenicum, qui Afris mixti in interiorem concesserant Africam, Livio referente Decade III. lib.1, adnotanteque Bocharto Geog.Sacr.lib.1.cap.1.p.249. De ceteris modo in Articuli Ε'πιγραφη nominatis dicturi vix in tanta veterum Monumentorum obscuritate, tantaque Chronologorum invicem pugnantium, Gyraldi puta, Scaligeri, Petavii, Usserii, Dodvvelli, Castellani, Lalamantii, Hagueloni, Petiti, Norisii, Longuerue, Corsinii &c., quibus prae aliis plerisque sparta haec adornanda suscepta fuit, discordia tantum suppetit loci, quo tuto pedem figere possimus. Nisi quod nostrae filum orationi praebebit, facemque veluti praeferet duplex venerandae antiquitatis Codex Ms., Savilianus Usserio Dissert. de Maced., & Asian. Anno Solari cap.4. inspectus, memoratusque, ac Mediceo-Laurentianus alter Relando in Adpend. ad Fastos Consulares, Joh. Massono, a quo justo ille Commentario Chronolog., & Historico illustratum est, Lamyo in Novell. Litter. anno 1748. n.1, & 17, Corsinio Fastor. Atticor. dissert.14. T.II. p.392, & Audrichio Instit. Antiq. cap.5. qua laudibus exceptus, qua in usum accersitus: quo ab utroque Codice una concordia, unoque consensu *Hemerologium Mensium Diversarum Urbium* exhibetur; atque ita quidem, ut ab eo, qui Romano Januario respondet, Urbium diversarum Mense semper exordiatur Codex, singulosque cujuslibet Mensis dies cum diebus Romanorum Mensium singulis conferat, & componat, velut e supposito Diagrammate, sequentibusque Tabulis palam fiet.

HME-

ΗΜΕΡΟΛΟΓΙΟΝ ΜΗΝΩΝ ΔΙΑΦΟΡΟΝ ΠΟΛΕΩΝ.

Hemerologium Menſium Diverſarum Urbium.

Ρωμαίων	Ιανουάριος	Romanorum	Januarius
Αλεξανδρέων	Τυβι	Alexandrinorum	Tybi
Ελλενων	Α'υδιναῖος	Graecorum	Audinaeus
Τυρίων	Απελλαῖος	Tyriorum	Apellaeus
Αραίβων	Α'υδιναῖος	Arabum	Audinaeus
Σιδονίων	Δῖος	Sidoniorum	Dius
Ηλιουπολιτῶν	Θορίν	Heliopolitarum	Thorin
Λυκίων	Δῖος	Lyciorum	Dius
Αθεναίων	Ποσειδεών	Athenienſium	Poſideon
Κρητῶν	Μετάρχιος	Cretenſium	Metarchius
Κυπρίων	Ιούλιος	Cypriorum	Julius
Εφεσίων	Περίτιος	Epheſiorum	Peritius
Βιθυνῶν	Διονύσιος	Bithyniorum	Dionyſius
Καππαδοκῶν	Λύτανος	Cappadocum	Lytanus

III. De Alexandrinorum, ſive Aegyptiorum porro, Arabum, Syro-Arabum-Chriſtianorum, atque Heliopolitarum Menſibus, & Annis dictum abunde, puto, Articulis ſuper. eſt. Sed enim Graecorum, & Arabum nomine hoc in Hemerologio illos haud venire, qui vulgo putantur, animadvertere praeſtat; veniunt etenim Syro-Helleniſtae, & Syro-Arabes, queis de ſingillatim primo dicendum eſt loco. Atque *Helleniſtarum* principio denominatione in Codice cum Saviliano tum Mediceo-Laurentiano, ſive Florentino non Graecos utique, bene vero Syro-Graecos, Antiochenos, Laodicenos, Seleucienſes, Caeſaraeenſes &c. deſignari ex diſpari Menſium ratione tam his, quam illis adhibita facile datur intelligi. *Arabum* vero nomine, queis Macedonum Menſes uſurpati gemino in prae-

 lauda-

laudato Codice Florentino, ac Saviliano leguntur, haud intelligendi ſane Arabiae Incolae proprie nuncupati ſunt, quibus longe diverſa Menſium uſurpata fuiſſe nomina, Annique formam longe diſparem adhibitam ſuper. Articulo I. dictum eſt; neque accipiendi ſunt Syro-Arabo-Chriſtiani *Alexandraeam* utentes Aera, queis veteres Syrorum Menſes *Julianis* accommodatos fuiſſe uſurpatos ſuper. Artic. II. oſtenſum eſt, ubi de Syrorum, Palaeſtino-Syrorum, Syro-Chaldaeorum &c. Menſibus, & Annis diſputatio eſt inſtituta. Itaque *Arabo-Syri*, queis de heic agendum paucis adſumpſimus, Syri Arabiae finitimi ſunt, qui tum Arabum imperio ſubjecti, tum in Syriae diviſione intra fines Arabiae cenſiti fuere. Mutuo enim bello tum ſe petentibus *Seleucis* Syriae, atque *Ptolemaeis* Aegypti Regibus, tum in Syriae Provincias irrumpentibus paſſim Arabibus, tum denique Syria, & Arabia inter Romani Provincias imperii adcenſitis, factum eſt inde, ut Syriae Urbes pleraeque, ac Coelo-Syriae praeſertim, veluti Damaſcus, Calcis, Dora, Tripolis, Berrhaea, Philadelphia &c. Arabiae deputarentur. In Arabum itaque poteſtatem etſi translati Syri plerique, vetera tamen Macedonum Menſium nomina ſibi pridem adoptata retinenda duxerunt. Sunt vero ſequentes utrinque collati, diverſo tamen in Anno *Juliano* cardine ducto, ut e ſubjecto diſcere ſchemate licet.

MEN-

MENSES

SYRO—HELLENISTARUM.

1.	Αὐδιναιος	Audinaeus	Kal.	Januarii
2.	Περιτιος	Peritius	Kal.	Februarii
3.	Δυστρος	Dystrus	Kal.	Martii
4.	Ξανθικος	Xanthicus	Kal.	Aprilis
5.	Αρτεμισιος	Artemisius	Kal.	Maji
6.	Δεσιος	Daesius	Kal.	Junii
7.	Πανεμος	Panemus	Kal.	Julii
8.	Λωος	Lous	Kal.	Augusti
9.	Γορπιεος	Gorpiaeus	Kal.	Septembris
10.	Υπερβερεταιος	Hyperberetaeus	Kal.	Octobris
11.	Διος	Dius	Kal.	Novembris
12.	Απελλαιος	Apellaeus	Kal.	Decembris

MENSES

SYRO—ARABUM.

1.	Audinaeus	16.	Kal.	Januarii
2.	Peritius	17.	Kal.	Februarii
3.	Dystrus	15.	Kal.	Martii
4.	Xanthicus	11.	Kal.	Aprilis
5.	Artemisius	11.	Kal.	Maji
6.	Daesius	12.	Kal.	Junii
7.	Panemus	12.	Kal.	Julii
8.	Lous	13.	Kal.	Augusti
9.	Gorpiaeus	14.	Kal.	Septembris
10.	Hyperberetaeus	14.	Kal.	Octobris
11.	Dius	15.	Kal.	Novembris
12.	Apellaeus	15.	Kal.	Decembris

IV. Ex hocce porro Diagrammate utroque e Codice Mediceo, ac Saviliano descripto liquido adparet, quod *Syro-Helle-*

Hellenistis hisce Menses, nominibus etsi a Syriacis admodum diversis, atque a Romanis, aequali tamen dierum numero cum *Romano-Julianis* decurrere in Anno *Solari* solebant. Quos ideo Menses, Annumque ad *Juliani* plane formam, serius attamen, quam vulgo putetur, a *Syro-Hellenistis* fuisse compositos, ideoque in Codice utroque MS. cum Saviliano, tum Mediceo *Syro-Graecorum* Menses exhiberi, non quales usu illis prisco fuerint, sed quales post receptam *Juliani* Anni formam adhiberi cepere, arcte mihi persuasum est. Nempe paullo infra *Antiochenis*, *Laodicenis*, *Seleuciensibus* &c. aliam primum, aliamque posterius Anni formam adhibitam fuisse planum abunde fiet. Atque Petavius sane, incompertum etsi habuerit Codicem utrumque Savilianum, ac Mediceum, attamen ex S.Epiphanio, Socrate, Evagrio, Suida, Conciliorum Syngraphis &c. in Not. ad S. Epiphanium Haeresi LI. *Allogorum* Oper. T.II. p.132. sqq. descriptum superius ex duobus illis Codicibus Mensium *Syro-Graecorum* Diagramma egregie confirmat. Enim vero S. Epiphanius *Audynaei* Τήν Ε῞κτην diem 6. cum die 6. Januarii sane comparans, atque diem ante 6. Idus Novembris cum die 8. *Dii* Syro-Ελλενῶν Menses pure, puteque *Julianos* tum ipse adhibuisse videtur, tum adhibitos fuisse a *Syro-Graecis* indicat. Theophilus Alex.item in Prologo Cycli Paschalis *Aequinoctium* Vernum die 21. Martii, juxta *Antiochenos* die 21. *Dystri* contigisse docens, ad *Juliani* rationes Annum ab *Antiochenis* fuisse attemperatum ostendit. S. Athanasius etiam de Synodis Arimin., & Seleuc. p.678. *Romanum* Septembrem cum Macedonico *Gorpiaeo* conferens, haud disparem fuisse Anni utriusque formam haud obscure significat. Anatolius insuper Laodicenus in Syria Episcopus in Canone Paschali apud Eusebium Hist. Eccles. lib. 7. cap.22. *Novilunium* primum Cycli sui Paschalis futurum praedicens die 22. *Dystri*, Romanorum ante diem 11. Kalend. Aprilium, idest Martii die 22, jam pridem in Syria *Juliani* Anni formam receptam fuisse distincte indicat. Eusebius ipse adhaec Caesareensis Episcopus Hist. Eccl. lib.8. cap.21. *S.Hadrianum* Martyrem die 5. *Dystri*, sive ante diem 3. Nonas Martias, idest die 5. Martii pro Christi fide interfectum referens, ad *Juliani* deinceps Anni

ni formam Menses tum ab ipso, tum in Palaestina quoque fuisse putatos explicite ostendit. Quod ipsum Evagrio passim, Auctori Chronici Paschal., Suidae &c., Menses nempe juxta *Julianorum* rationes computandi in more cum apud ipsos, tum ipsorum apud Gentiles positum fuisse liquido adparet.

V. Sed enim Scaliger de Emend. temp. lib. 5. edit. Genev. 1729. p. 513. sq., eumque pone hac vice sequutus Petavius Animad. in S. Epiphanium T. II. p. 421, & Doct. temp. lib. 1. cap. 29. edit. Ven. 1757. p. 39. S. Epiphanium de Ponder., & Mens. p. 177. Ε'λλενῶν *Artemisii* Τρίτη κ̀ Ε'ικάς diem 23. cum Romanorum Junii Δέ Προδεκαεπτὰ Καλανδῶν Decimo septimo Kalendas, idest cum die 16. Maji conferentem erroris redarguere non dubitarunt, ideo nempe quod loco diei 23. *Artemisii* diem 16. *Artemisii*, quem apud Syro-Hellenistas *Juliano* aequatum putant, scribendum fuisse persuasum habent, eoque idcirco loci Ε'κτη κ̀ δεκάτη die 16. legendum opinati. Erroris ast enim utrumque vicissim arguit Norisius de Anno Solari Maced. dissert. 1. cap. 3. edit. Veron. p. 41, quod Anni formam a S. Epiphanio eo loci propositam assequuti minime fuerint; juxta quam *Syro-Macedones* illos, de quibus S. Doctor loquitur, a die 24. Septembris annum fuisse auspicatos, non secus atque *Macedones Asiaticos* ipse Norisius pugnat, atque ab *Hyperberetaeo* primum anni Mensem injisse, qui Syro-Macedonibus aliis *Dius* erat, veluti *Gazensibus*, *Sidoniis* &c. Namque si a die 24. Septembris usque ad diem 16. Maji in anno Christi *Bissextili* 392. dies colligantur, fiet summa dierum 236, quot nempe a die 1. *Hyperberetaei* usque ad diem 23. *Artemisii* interfluxere, e septem Mensibus ante *Artemisium* quatuor dierum 30. positis, tribusque aliis dierum 31, de quibus in Diagrammate ab Usserio, ipsoque Norisio exhibito. Atque ita quidem recte Norisius; nam ab *Hyperberetaeo*, atque Kalendis ipsis Octobris annum fuisse auspicatos *Syro-Antiochenos* ex Evagrio constat, item *Caesaraeenses* ex Eusebio de Martyr. Palaest. colligitur, *Laodicenos* etiam ex Anatolio veri fit valdequam simile. Quibus vero de Gentibus eo loci *Graecis* adpellatis loquutus S. Epiphanius sit, an de *Syro-Macedonibus*, quibus Annus ab *Hyperberetaeo*, ac die 24. Se-

Septembris incipiebat; an de *Syro-Asiaticis*, quibus Annus a *Dio*, ac Octobris die 24. inibat, veluti Norisius veri habet similius: namque a die 24. Octobris usque ad diem 16. Maji anni *Bissextilis* dies 206. dinumerantur, quot plane ab initio *Dii* usque ad diem 23. *Artemisii* intercedunt, ex Mensibus sex ante *Artemisium* tribus dierum 31, ac totidem dierum 30. suppositis; an demum de *Syris* aliis, ut *Antiochenis*, *Laodicenis* &c., quibus Annus, ut modo innuebam, atque veri mihi videtur similius, ab *Hyperberetaeo*. & a Kalendis Octobris auspicabatur. Accedit & illud, quod, uti cum Petavio advertit Norisius, non uni semper, eidemque Menses, Annosque putandi rationi S. Epiphanius inhaesit, sed eorum passim, quos ipse sequebatur, aut exscribebat, Scriptorum rationi se se attemperare ducebat. Sed hocce de argumento fusius infra, quum de Mensibus, & Annis Antiochenorum &c. sermo instituetur, ubi geminam apud Antiochenos distinguendam Anni formam, Veterem nempe, atque Recentem ad *Juliani* amussim exactam videbimus: qua distinctione facile discordantium Scriptorum componi sententiae queunt; atque de posteriori Anni forma *Julianae* conformi loquutos passim S. Epiphanium, S. Athanasium, Anatolium, Eusebium, Evagrium, Auctorem Chron. Alex., Suidam, ac Synodos &c. ostendemus.

VI. Arabum jamvero quod Menses attinet, queis etiam Macedonum, aut Syromacedonum usu Menses venisse in praecitato Codice utroque Saviliano, ac Mediceo Hemerologii diversis Urbibus usurpati leguntur, nomine, non Arabiae proprie Incolas, sed Arabo-Syros, Syros idest Arabiae finitimos, sive in Syriae divisione intra fines Arabiae censitos, venire superius admonuimus. Atque hi quidem Syri veteribus Popularium oblitteratis, novis a Graecis in Syriam advectis Mensibus ita se se attemperarant, ut in Arabum potestatem etsi postea translati, Macedonica tamen Mensium sibi pridem adeptata nomina deinceps retinenda duxerint. Etsi vero eodem ordine in Hemerologio Florentino, ac Saviliano incipiant, eisdemque Mensibus *Julianis* respondeant Menses, & Annus tam apud *Syro-Hellenistas*, quam hos apud *Arabo-Syros*, in eo tamen inter se discrepant, quod haud ab eadem die *Julianorum* Mensium

ſium ambo incipiant; ſed *Syro-Graecorum* Menſes ſemper a Kalendis Menſium *Julianorum* ineunt, non ita Menſes *Arabo-Syrorum*, ſed horum *Audinaeus* I. a die 17. Decembris, & *Apellaeus* XII. a Novembris die 17. exordium capiunt. Divinare perinde difficillimum fit, quo demum a Menſe Anni eiſdem *Arabo-Syris* initium duceretur, quave ab Anni tempeſtate: quamvis veteri *Macedonum* more ab Autumnali *Aequinoctio* Annum inchoaſſe veri fiat longe ſimilius, atque ab *Hyperberetaeo* quidem Macedonum *Aſianorum* more, non more veterum *Macedonum* Anni cardinem a *Dio* Menſe duxiſſe. Qua tamen in re veteribus deficientibus omnino Monumentis, certi quidquam temere, certo cum erroris diſcrimine, definire nolim.

VII. Ad *Macedonum* Menſes, Annique formam nunc accedendo, de *Macedonum* ſane, non ſecus atque de *Syro-Macedonum* Menſibus graviſſime diſputatum eſt Scaligero, Petavio, Uſſerio, Petito, Lalamantio, Dodvvello, Noriſio, Longuerue, Corſinio, aliiſque, quin attamen in definiendo Menſium ſitu, inque *Macedonicis* cum *Atticis* invicem conferendis, atque *Romanis* inter eos convenire probe quiverit. Itaque variam ab iſtis poſtquam tentatam viam, initamque rationem expoſuerimus, quid novi, quidve veri ſimilius ſtatui poſſe nobis videatur, in medium proferemus. Atque principio *Macedonum* quidem veterum duplices fuiſſe Menſes, alios *Caeleſtes*, deſumpto a Zodiaci ſignis nomine, *Civiles* alios, qui uſu Macedonibus vulgari, popularique erant, obſervare pretium eſt operae. Itaque *Caeleſtes*, ita dicti S. Johanni Damaſceno in Fragmento, quod ex Codice Ms. Bibl. Oxon. laudat Uſſerius de Anno Solari Maced. cap. 4, ex Codice Ms. Bibl. Regis Francor. memorat Arnaldus Boote in Epiſt. ad eumdem Uſſerium inter Uſſerianas 234, & ex Codice Bodlejano 297, ac Regio 2910. edidit Lequiennius S. Joh. Damaſc. Oper. T. I. edit. Ven. p. 577. ſq., *Caeleſtes*, inquam, Menſes, Pſello, ac Theophilo teſtibus, duodecim plane nomina, totidem *Zodiaci* ſignis communia, referebant, velut etiam leguntur in Veteri Lexico apud Henricum Stephanum in Append. Theſau-

ri p. 225, atque hoc ad *Romanos* Menſes reſpectu, ordineque a S. Doctore ibidem recenſentur.

MENSES
VETERUM MACEDONUM CAELESTES.
EX S. JOHANNE DAMASCENO.

1.	Κριός	♈	Aries	Martii	die	21.
2.	Ταῦρος	♉	Taurus	Aprilis	die	23.
3.	Δίδυμος	♊	Geminus	Maii	die	24.
4.	Κάρκινος	♋	Cancer	Junii	die	24.
5.	Λέων	♌	Leo	Julii	die	25.
6.	Παρθένος	♍	Virgo	Auguſti	die	25.
7.	Ζυγὸς	♎	Libra	Septembris	die	25.
8.	Σκορπίος	♏	Scorpius	Octobris	die	25.
9.	Τοξότης	♐	Sagittarius	Novembris	die	25.
10.	Αἰγόκερος	♑	Capricornus	Decembris	die	25.
11.	Ὑδροκόος	♒	Amphora	Januarii	die	20.
12.	Ἰχθύες	♓	Piſces	Februarii	die	20.

VIII. Non a Κρίῳ, ideſt ab *Ariete*, veluti legitur in Fragm. Damaſcenico apud Lequiennium, ſed a ſequenti Ταύρῳ, hoc eſt *Tauro* Caeleſtem veterum Macedonum Annum in Damaſceni Cod. Oxon. incepiſſe teſtatur Uſſerius de Anno Solari Maced. cap. 5. in Adpend. ad Annal. Vet. Teſt. p. 103. Quo ſane a *Tauro* reapſe Macedonibus inceptum fuiſſe pugnat Longuerue; contra incipiendum a Ζυγῷ, ideſt *Libra*, putat Uſſerius: qua de pugna paullo poſt, quam ita tamen invicem componi quire putaverim, ut e Graecis alii, queis veterum Macedonum uſu Menſes venerant, hos a Κρίῳ *Ariete*, quidam a *Tauro*, aliique a Ζυγῷ *Libra* ducendos exiſtimarint. *Civiles* quod

quod attinet Menses, priscis hosce Macedonibus *Lunares* fuisse patet ex Theone in Scholiis ad Arati Phoenomena Tmemate 64, lateque ex Herodoto in Clio, sive lib. 1, Gemino Elem. Astron. cap. 6, Plutarcho in Solone, Solino cap. 3, Censorino de Die Nat. cap. 18, Macrobio Satur. lib. 1. cap. 13. &c. demonstrant Petavius Doct. temp. lib. 1. cap. 4. sq., ac Norisius de Anno Solari Maced. dissert. 1. cap. 1. An vero prisci Menses iidem, atque Annus ideo *Macedonicus*, inciperent ab *Aequinoctio* Verno, idest a *Xanthico*, veluti Johanni Lalamantio de Anno Maced. dissert. 2. Antiq. Graec. edit. Gronovii T. IX. Ven. p. 1055. sqq. visum est; an ab *Aequinoctio* Autumnali, quod ego verius habeo, atque ideo ab *Hyperberetaeo*, sive potius a *Dio*, quod posterius mihi placet magis, definiri certo non potest. Quamquam, ut veri, quod mihi videtur, similius, fatear, si *Caelestibus* ex Mensibus veterum Macedonum *Civiles* definire fas est, siquidem *Taurus* primus *Caelestium* Mensis statutus legatur, inde primus *Civilium* statui posse *Daesius*, vel *Artemisius* visus est Ludovico du Four Longuerue de Var. Epochis Veter. cap. 6. p. 196. Alteruter nempe: veteribus namque Macedonibus *Embolimaeorum* Mensium usum nullum fuisse, nullo id vetere notante Scriptore, eidem Viro doctiss. arguitur cap. 1. §. 7. p. 8; atque Norisio id adstruenti onus probandi certe incumbebat. Juxta haec itaque veteribus Macedonibus a Verno *Aequinoctio* Annus, (qui Syro-Macedonibus postea ab *Aequinoctio* Autumnali proculdubio cepit), cepisse videtur. Quia vero *Embolimaei*, ut innui, nullus erat usus, *Aequinoctii* tempus aut a *Solis* in *Taurum* ingressu, aut a *Tauri* exortu definiri solebat. Adhaec nullo siquidem tum adhuc motu *Stellae* cieri crederentur, quarum progressus, collabescente demum Syro-Macedonum imperio, ab omnium primo anno 130. circiter ante Christianam Aeram *Hipparcho* deprehensus fuit, exinde factum opinor, ut sicut e Septembri in Octobrem Autumnale *Aequinoctium* prolapsum est, adeoque ut postinde Syro-Macedonum alii a *Dio*, alii ab *Hyperberetaeo*, sive a Septembris die 24. alii, alii a die 24. Octobris Annum inciperent; ita *Aequinoctium* Vernum e *Xanthico* migraret in *Artemisium*,

 atque

atque *Caeleſtis* Menſis *Taurus* in *Daeſium* ex *Artemiſio* dilaberetur. Totum id magis ex ſequenti veterum Macedonum Menſium duplici Schemate dignoſci licebit, collatis invicem Uſſerii de Anno Solari Maced. cap. 4. ſq., Longuerue de Var. Epoch. loc. cit., ac Noriſii de Anno Maced. diſſert. 1. cap. 1. opinionibus de *Caeleſtium* cum *Civilibus* Menſibus apud veteres Macedones compoſitione, cumque novis apud Syro-Macedones Menſibus, Annique Solaris ratione.

MEN-

MENSES LUNARES

VETERUM MACEDONUM

JUXTA LONGUERUE.

Α. Ταῦρος	1. Taurus	Daesius, vel Artemisius	Apr.
Β. Δίδυμος	2. Didymus, Geminus	Panemus, vel Daesius	Maj.
Γ. Κάρκιν ος	3. Karcinus, Cancer	Lous, vel Panemus	Jun.
Δ. Λέων	4. Leo	Gorpiaeus, vel Lous	Jul.
Ε. Παρθένος	5. Parthenus, Virgo	Hyperberetaeus, vel Gorpiaeus	Aug.
ς. Ζυγὸς	6. Zygus, Libra	Dius, vel Hyperberetaeus	Sept.
Ζ. Σκορπίος	7. Scorpius	Apellaeus, vel Dius	Oct.
Η. Τοξότης	8. Toxotes, Sagittarius	Audinaeus, vel Apellaeus	Nov.
Θ. Αἰγόκερος	9. Aegocerus, Capric.	Peritius, vel Audinaeus	Dec.
Ι. Ὑδροχόος	10. Idrochous, Amphora	Dystrus, vel Peritius	Jan.
Ια. Ἰχθύες	11. Ichthyes, Pisces	Xanthicus, vel Dystrus	Febr.
Ιβ. Κριὸς	12. Crius, Aries	Artemisius, vel Xanthicus	Mart.

MENSES LUNARES

VETERUM MACEDONUM

JUXTA USSERIUM.

I.	Zygus, Libra	Gorpiaeus, aut Hyperberetaeus	Sept.	28.
II.	Scorpius	Hyperberetaeus, aut Dius	Oct.	28.
III.	Toxotes, Sagittarius	Dius, aut Apellaeus	Nov.	28.
IV.	Aegocerus, Capricornus	Apellaeus, aut Audinaeus	Dec.	28.
V.	Hydrochous, Aquarius	Audinaeus, aut Peritius	Jan.	28.
VI.	Ichthyes, Pisces	Peritius, aut Dystrus	Febr.	27.
VII.	Crius, Aries	Dystrus, aut Xanthicus	Mart.	29.
VIII.	Taurus	Xanthicus, aut Artemisius	Apr.	28.
IX.	Didymus, Geminus	Artemisius, aut Daesius	Maji	29.
X.	Karcinus, Cancer	Daesius, aut Panemus	Junii	28.
XI.	Leon	Panemus, aut Lous	Julii	29.
XII.	Parthenus, Virgo	Lous, aut Gorpiaeus	Aug.	28.

IX. Juxta

IX. Juxta Longuerue itaque *Lunaris* veterum Macedonum Annus ab *Aequinoctio* Verno, atque Menſe Caeleſti *Tauro* majori, ſui parte *Aprili* reſpondente, Civili vero *Daeſio*, vel *Artemiſio* exordium capiebat. Juxta Uſſerium autem primus veterum Macedonum *Lunaris* Menſis e Caeleſtibus erat quidem *Zygus*, ſive *Libra*, e Civilibus vero *Gorpiaeus*, aut *Hyperberetaeus*, atque ab Autumnali *Aequinoctio* incipiebat, *Septembris* ideſt *Juliani* die 28. Ita nempe veterum Macedonum Annus *Lunaris* vagus, Intercalaris etſi methodus altera, qua cohiberetur, eiſdem tum adhuc incognita eſſet, ad *Zodiaci* ſigna tamen Menſes exegiſſe *Civiles* etiam videntur, adeo ut Menſi *Caeleſti* cuilibet Menſes non ultra duo *Civiles* ſpatio convenirent. Menſis *Embolimaei* ope factum id putat Froelichius in Annal. Reg. Syriae Proleg. cap. 1. Par. II. p. 21. Sed enim diu poſt *Embolimaeorum* uſum apud Aſiaticos obtinuiſſe veri longe ſimilius videtur; eumque a Graecis, queis omnium primis uſu fuiſſe docent Geminus Elem. Aſtron. cap. 6, ac Diodorus Bibl. Hiſt. lib. 1, accepiſſe poſtea Syro-Macedones, quibus utique *Dioſcorum* fuiſſe *Embolimaeum* egregie probat Eraſmus Froelichius Annal. Reg. Syriae cap. 3. ſq. p. 25. ſqq. Quo porro loci p. 27. de Menſis *Dioſcori* adpellatione differens adverſus Scaligerum de Emend. temp. lib. 2. p. 94, qui tamen & ipſe *Dioſcorum* apud Syros *Embolimaeum* fuiſſe Menſem adſentitur, *Dioſcorum*, cujus etiam Menſis apud Auctorem libri II. Machab. cap. 11. v. 21. mentio in Epiſtola *Lyſiae*, ad Judaeos occurrit, a *Caſtore*, & *Polluce*, quos Aeliano Var. Hiſt. lib. 1. cap. 30. *Dioſcuros* adpellari notarunt Eriphus apud Athenaeum lib. 4. cap. 3, Tzetzes ad Lycophron., Pollux Onom. lib. 7. cap. 2, Dempſterus Antiq. Rom. lib. 5. cap. 30. p. 549, *Dioſcorum*, inquam, Menſem dictum putat, atque *Dioſcurorum* cultum ſub Seleucidas quammaxime in Syria, ac Tripolis imprimis floruiſſe probat, Nummiſque veteribus *Antiochi* IV. n. 29. Tripoli ſcalpto ΞMP. anno 147. cum geminis *Dioſcoris* p. 53, & *Antiochi* VI. n. 9. anno OP. 170. p. 75. comprobat: quomodo *Artemiſium* Ἀπὸ τῆς Ἀρτέμιδος a *Diana*, Graecis *Artemide*, atque *Dium* Ἀπὸ τοῦ Διὸς a *Jove* nomina ſortitos obſervat. De *Dioſcurorum* nomine, ac tutela, *Caſtoris* ideſt, ac *Pol-*

ac *Pollucis*, qui *Jovis*, ac *Ledae* filii, *Helenae*, & *Clytemnestrae* fratres habiti sunt, Urbes pleraeque ad Mare quammaxime positae, fuisse sollicitae passim leguntur in Nummis, quales *Ascalon*, *Tripolis*, *Abydus*, *Phocaea*, *Dioscyron* in Libya, qua de Stephanus de Urb. p. 100; *Dioscororum* Insula, & Urbs ad Mare Erythraeum apud Plinium lib. 6. cap. 28, ac Ptolemaeum lib. 6. cap. 15; *Dioscurias*, *Aeas*, ac *Sebastopolis* dicta ad Anthemuntem fluvium, de qua Plinius lib. 6. cap. 5, ac Solinus cap. 25; *Tyndaris* in Sicilia a Laconibus condita apud Strabonem lib. 6, Plinium lib. 3. cap. 8, ac Ciceronem Verrin. 4. 5. 7; *Lacinium* in Magna Graecia Promontorium circa Crotonem, *Dioscurias* etiam denominatum, queis de Jacobus de Wilde in Select. Num. Antiq. Tab. VI. n. 33. p. 50, & Tab. VII. n. 39. p. 58. sq. Adhaec in Syria, sive Phoenice Urbis *Marathi* Cives Numismate cum *Dioscororum* stellis cuso *Cleopatrae* Demetrii II. Conjugi, sub *Liberae* Deae, sive *Cybelis* forma effictae adulatos fuisse, atque *Dioscororum* Stellis *Seleucum*, & *Antiochum* Cleopatrae e *Demetrio* filios, *Pollucis* uni quidem, alteri vero *Castoris* adtributo nomine designare voluisse, illisque Syriae Deos augurari propitios; observat Haymius in Thes. Britan. Tab. VII. pag. 78.

X. Contra vero Dodvvellus in laudata Epistola Lysiae ad Judaeos legendum Τό Διός Κορινθίε *Jovis Corinthii* ratus, ut loco *Dioscori*, velut habet Latinus Interpres, legit nempe Graecum Exemplar, ita & ipse locum interpretatus, Graecis, atque Syris *Jovis Corinthii* nomine Mensem hunc insignitum fuisse censet. Dodvvellum ast enim rite carpit Vir doctiss. Longuerue de Var. Epochis Veter. cap. 2. p. 53. sq. ideo, quod nullus Graecis, aut Syris Mensis hocce dictus nomine uspiam gentium adpareat. Cum Grotio igitur in Annot. ad hunc locum II. Macchab. x1. 21. ipse mavult mendosum fuisse Codicem Graecum habentem Τό Διός Κορινθίε, quo deceptus Latinus Interpres vertit *Dioscori*, legendum vult Δίε *Dii*: quod pro breviato accipientes Scribas exposuisse Διοσκόρε *Dioscori* opinatur. Quam utique conjecturam firmare videtur Vetus Interpres Syrus, qui eo loci sic legit: *Anno* 148. *die* 24. *Thisri po-*

steria-

sterioris : qui Mensis est ipse *Dius* Syro Macedonum. Conferendus & idem Abbas in Longueruanis, sive Cogitatis p.261. sq., ubi pro *Dystro* positum eo loci *Dium*, minus vere tamen, suspicatur, (quae suspicio pariter de *Dystro* ibidem legendo pro *Dioscoro* adhaesit Johanni Lalamantio de Anno Maced.dissert.2. Antiq. Graec. T.IX. p.1060, quod *Dystrus* juxta ipsum *Martio*, ast vero *Dius* responderet *Novembri*), monetque verba illa : *Anno* 188. initio vers.10. cap.1. lib.2. Macchab. jungenda esse versiculo 9.antecedenti *Mensis Casleu*. Verum non esse sane, cur loco Macchab. cit. Latini Interpretis legentis *Mensis Dioscori*, veluti Gemini, sollicitetur lectio, vidit etiam Usserius in Annal. Vet. Test. Aet. M.VI. p.320. sq., ubi *Dioscorum* in Anno Chaldaico *Embolimaeum* fuisse inter *Dystrum*, & *Xanthicum* & ipse censet, (velut etiam *Intercalares* erant apud Corinthios *Carnius*, Διμηνος a Syracusanis in Decreto ita dictus, quo de Gruterus p.401, apud Athenienses *Posideon* alter, ac *Merkedonius* apud Romanos); eumque idcirco in Editione Graeca libri *Estheris* in Bibliotheca Arundeliana Mensis *Adar-Nisan*, atque *Dystri-Xanthici* nomen, quod hodie apud Hebraeos est *Veadar*, sive *Adar* II, obtinere observat; a Syro vero Interprete II. Macchab.xi. 21. loco *Dioscori Embolimaei* Syrorum *Thisrin posteriorem* fuisse suffectum. Sed hisce de, horumque similibus alibi fusius, si Superis placebit, agendum erit.

XI. Longius hinc abfuit, atque a Damascenico *Lunarium*, qui Macedonibus olim usurpati fuere, Mensium Hemerologio distitit Vetus Auctor libri de Computo, quem e Codice Ms. 70. Litt. S. Ambrosianae Bibliothecae in lucem edidit Cl. Muratorius Anecdot. Latin. T.III. p.109. sqq., & p.200; quem Seculi VIII. Scriptorem arguit. Scriptor hic itaque sui pro qualitate temporis haud indoctus, uti fidem, quae de ratione temporum haud ignare disputat, abunde faciunt, ita veterum Macedonum tam *Caelestes*, quam *Civiles* Menses, eorumdem multum depravatis nominibus, ita exorditur, disponit, ac Julianis aequat, & comparat, ut ab aliorum Scriptorum immaniter aberret semita. Quamquam uti superius indicavi, veteres Macedones eamdem haud omnes, iidemque

haud

haud ſemper Anni rationem ſequuti ſunt, ſed ab *Aequinoctio* Verno alii, alii ab Aeſtivo *Solſtitio*, ab Autumnali hi *Aequinoctio*, illique a *Solſtitio* Hyberno Anno exordium facere delectati ſunt. Fortaſſis itaque fuere veteribus ex Macedonibus, queis accepta fuerit Anni forma, quam ex praelaudato Anonymo Ambroſiano deſcriptam heic exhibeo.

MENSES VETERUM MACEDONUM

CAELESTES, AC CIVILES

Juxta Anonymum Ambroſianum.

1. Toxotis, Sagittarius, Apollus, November.
2. Evoceros, Capricornus, Audinaeus, December.
3. Hydrodios, Aquarius, Peritius, Januarius.
4. Acthis, Piſcis, Diſthor, Februarius.
5. Crios, Aries, Pſanticus, Martius.
6. Taurus, Artemiſius, Aprilis.
7. Daſdamus, Geminus, Deſios, Majus.
8. Carcenos, Cancer, Panemus, Junius.
9. Leon, Loos, Julius.
10. Parthenos, Virgo, Sarpicos, Auguſtus.
11. Zygos, Libra, Hyperberetaeus, September.
12. Scorpius, Dius, October.

XII. Ad Syromacedonum modo accedendo Menſes, Annique formam, apud Macedones porro, qui & inde *Syro-Macedones* dicti ſunt, ac S. Epiphanio Haer. LI. *Allogorum Syro-Hellenes*, poſtquam *Alexandri* M. auſpiciis, victricibuſque armis in diſſitas Aſiae Provincias longe, lateque ipſorum prolatum imperium fuiſſet, novam Anno, ad *Solis* periodum deinceps exacto, inditam primo formam, eamdemque perinde

subactos apud Populos inductam fuisse, nova cum *Seleucidarum* Aera, qua de postea, apud Syros, puta, Antiochenos, Seleucienses, Laodicenos &c., Palmyrenos, Damascenos, Tyrios, Sidonios &c., Cappadoces, Paphlagonios, Bithynos, Cilices, Pamphylios &c., Lydios, Phryges, Lycios &c., Pergamenos, Aeolos, Jones, Smyrnaeos, Ephesios &c., Asianosque quamplures alios cum Majoris Asiae, tum Minoris indubium est. Ast enim cujuscemodi isthaecce fuerit Anni forma, novaque Mensium apud Macedones instituta distributio inter Chronologos haud satis convenit, nec ex Scriptoribus definiri facile potest. Porro in *Philippi* Regis Epistola ad Corinthios, & Athenienses sibi foederatos, a Demosthene Orat. de *Corona* p.335. nobis conservata, Mensis, qui Macedonum *Lous* dicitur, Atheniensium *Boedromion*, & Corinthiorum *Panemus* nuncupatus legitur. Contra Plutarchus in *Alexandro* hunc natum Olympiadis 106. anno 1, die 6. *Hecatombaeonis* Attici scribit, qui Macedonum *Lous* erat. Idem rursus ibidem *Alexandri* M. praelium ad Granicum Mense *Daesio* consignat, ejusque obitum, Aristobuli testimonio, ejusdem *Daesii* diei 30. adstringit: quod praelium in Camillo, non secus atque Aelianus Var. Hist. lib. 2. cap. 29, in diem 6. *Thargelionis* Attici conjicit, in eumdemque *Thargelionem Alexandri* M. obitum incidisse testatur. Qui rursus ibid. *Metagitnionem* Atticum cum Boeotico *Panemo* comparat; & in *Aristide* praelium ad Plataeas die 4. *Boedromionis* Attici, Beotici vero *Panemi* die 4. contigisse tradit. Vice versa Thucydides lib. 5. *Artemisii* diem 26. cum die 24. *Helaphebolionis* componit. Propius hinc abfuit Galenus Comment. in Epidem. lib. 1. *Aequinoctium* Autumnale initio *Dii*, Hyemale *Solstitium* initio *Peritii*, Vernum *Aequinoctium* initio *Artemisii*, & Aestivum *Solstitium* initio *Loi* consignat; atque de Sanit. tuenda lib. 4. cap. 8. *Hyperberetaeum* Pergamenorum cum Romanorum Septembri, & *Boedromione* Atheniensium confert; eique perpetuo adstipulatur Medicus alter Aetius Tetrabibli lib. 3. cap. 163. sq. Zenobius itidem in Proverbiis Cent. VI. n. 30. *Hyperberetaeum* ultimum Macedonum Mensem, non secus atque Galenus loco proxime citato, ac Suidas adfirmant.

XIII.

XIII. Cum Plutarcho quoque proxime facere videtur Polemeus Silvius in Kalendario circa medium Seculum V. Aerae Christianae conscripto apud Janingum Actor. SS. Junii T. VII. edit. Ven. p. 178. sqq., in quo ita compositi cum Romanis tam Macedonici, quam Attici Menses leguntur, cum Januario *Posideon*, & *Audinaeus*; cum Februario *Gamelion*, & *Peritius*; cum Martio *Anthesterion*, & *Dystrus*; cum Aprili *Helaphebolion*, & *Xanthicus*; cum Majo *Munychion*, & *Artemisius*; cum Junio *Thargelion*, & *Daesius*; cum Julio *Scirrophorion*, & *Panemus*; cum Augusto *Hecatombaeon*, & *Lous*; cum Septembri *Metagitnion*, & *Gorpiaeus*; cum Octobri *Boedromion*, & *Hyperberetaeus*; cum Novembri *Pyanepsion*, & *Dius*; cum Decembri *Maemacterion*, & *Apellaeus*. Ita Hesychio perinde Hebraeorum *Ab* cum Macedonico *Gorpiaeo* compositus legitur: at si Josepho Antiq. Jud. lib. 4. cap. 4, & lib. 6. cap. 4. credimus, *Ab* est *Lous*. Vicissim S. Johanni Chrysostomo Homil. in Nat. Christi p. 362. *Lous* est Augustus, *Gorpiaeus* vero September. Cum S. Johanne Chrysostomo faciunt S. Epiphanius Haer. LI. *Allogorum*, Evagrius Hist. Eccl. lib. 4. capp. 1. 4. 5. 9. 19, atque Suidas in Lex., queis *Panemus* Julio, *Gorpiaeus* Septembri, *Artemisius* Majo, *Xanthicus* Aprili, *Lous* Augusto, *Apellaeus* Decembri, *Hyperberetaeus* Octobri, *Dius* Novembri, *Audinaeus* Januario, *Peritius* Februario, *Dystrus* Martio perpetuo aequati leguntur: a queis haud procul abfuisse Polemeum Silvium paullo supra liquido patet. Auctori vicissim de Computo apud Muratorium Anecd. T. III. p. 200, quo de paullo superius, *Apellaeus* Novembri, *Audinaeus* Decembri, *Peritius* Januario &c., *Xanthicus* Martio, *Artemisius* Aprili &c., *Hyperberetaeus* Septembri, *Dius* Octobri comparati videntur. Qua ex Veterum discordia & Nuperos inter Chronologos ingens suborta pugna est, quae an unquam probe componi queat, valdequam ambigo; de qua antequam ago, diversos veterum Macedonum, ac Syro Macedonum, cum Atticis, ac Romanis collatorum Mensium laterculos, juxta diversas, probabilioresque inter Chronologos facile Principum Scaligeri, Petavii, Usserii, Petiti, Norisii, Dodvvelli, Longuerue, Corsinii, &c. opiniones, proponere operae pretium est.

MENSES

JUXTA SCALIGERUM

	Macedonici.	*Attici.*	*Syromacedonici.*
1.	Hyperberetaeus	Hecatombaeon	Ὑπερβερεταῖος
2.	Dius	Metagitnion	Δῖος
3.	Apellaeus	Boedromion	Ἀπελλαῖος
4.	Audinaeus	Pyanepsion	Αὐδιναῖος
5.	Peritius	Maemacterion	Περίτιος
6.	Dystrus	Posideon	Δῦστρος
7.	Xanthicus	Gamelion	Ξανθικος
8.	Artemisius	Anthesterion	Ἀρτεμίσιος
9.	Daesius	Helaphebolion	Δαίσιος
10.	Panemus	Munychion	Πανεμος
11.	Lous	Thargelion	Λῶος
12.	Gorpiaeus	Scirrophorion	Γορπιαῖος

MENSES

JUXTA EUMDEM SCALIGERUM

	Attici.	*Syriaci.*	*Romani.*
1.	Pyanepsion	Thisrin prior	October
2.	Maemacterion	Thisrin posterior	November
3.	Posideon	Canun prior	December
4.	Gamelion	Canun posterior	Januarius
5.	Anthesterion	Asbat	Februarius
6.	Helaphebolion	Adar	Martius
7.	Munychion	Nisan	Aprilis
8.	Thargelion	Ijar	Majus
9.	Scirrophorion	Haziran	Junius
10.	Hecatombaeon	Tamuz	Julius
11.	Metagitnion	Ab	Augustus
12.	Pyanepsion	Eilul	September

MEN-

M E N S E S

JUXTA PETAVIUM.

Macedonici.	*Attici.*	*Syromacedonici.*	*Romani.*
1. Dius	Μαιμακτηριών	1. Ὑπερβερεταῖος	Octob.
2. Apellaeus	Πυανεψιών	2. Δίος	Nov.
3. Audinaeus	Ποσειδεών	3. Α'πελλαῖος	Dec.
4. Peritius	Γαμηλιών	4. Α'υδιναῖος	Jan.
5. Dystrus	Α'νθεστηριών	5. Περίτιος	Febr.
6. Xanthicus	Ε'λαφηβολιών	6. Δύστρος	Mart.
7. Artemisius	Μϐνυχιών	7. Ξανθικος	April.
8. Daesius	Θαργηλιών	8. Αρτεμίσιος	Majus
9. Panemus	Σκιρῤοφοριών	9. Δαίσιος	Junius
10. Lous	Ε'κατομβαιών	10. Πανέμος	Julius
11. Gorpiaeus	Μεταγειτνιών	11. Λόος	Aug.
12. Hyperberetaeus	Βοηδρομιών	12. Γορπιαῖος	Sep.

M E N S E S

JUXTA NORISIUM.

Macedonici.	*Romani.*		*Macedonici.*	*Romani.*	
1. Dius	30. Sept.	24.	7. Artemisius	31. Mar.	25.
2. Appellaeus	30. Oct.	24.	8. Daesius	30. Apr.	25.
3. Audinaeus	31. Nov.	23.	9. Panemus	30. Maji	25.
4. Peritius	30. Dec.	24.	10. Lous	31. Junii	24.
5. Dystrus	30. Jan.	23.	11. Gorpiaeus	31. Julii	25.
6. Xanthicus	31. Feb.	22.	12. Hyperberetaeus	30. Aug.	25.

MEN-

MENSES
JUXTA USSERIUM.

Lunares Attici.	*Lunares Veteres Macedonici.*	*Lunares Attici.*	*Lunares Veteres Macedonici.*
Πυανεψιών	1. Gorpiaeus	Μουνυχιών	7. Dystrus
Μαιμακτηριών	2. Hyperberetaeus	Θαργηλιών	8. Xanthicus
Ποσειδεών	3. Dius	Σκιρροφοριών	9. Artemisius
	Autumnales		***Vernales***
Γαμηλιών	4. Apellaeus	Ἑκατομβαιών	10. Daesius
Ἀνθεστηριών	5. Audinaeus	Μεταγειτνιών	11. Panemus
Ἐλαφηβολιών	6. Peritius	Βοηδρομιών	12. Lous
	Brumales		***Aestivi***

MENSES
JUXTA EUMDEM USSERIUM.

Solares Novi Macedonici.	*Syro Macedonici.*		*Juliani Romani.*	
1. Dius	Ὑπερβερεταῖος	30.	Septembris	24.
2. Apellaeus	Δῖος	30.	Octobris	24.
3. Audinaeus	Ἀπελλαῖος	31.	Novembris	23.
4. Peritius	Αὐδυναῖος	30.	Decembris	24.
5. Dystrus	Περίτιος	30.	Januarii	23.
6. Xanthicus	Δύστρος	31.	Februarii	22.
7. Artemisius	Ξανθικός	31.	Martii	25.
8. Daesius	Ἀρτεμίσιος	30.	Aprilis	25.
9. Panemus	Δαίσιος	31.	Maji	25.
10. Lous	Πανέμος	30.	Junii	25.
11. Gorpiaeus	Λῶος	31.	Julii	25.
12. Hyperberetaeus	Γορπιαῖος	30.	Augusti	25.

MEN-

MENSES
JUXTA DODVVELLUM

Lunares Macedonici.	*Attici Lunares.*	*Solares Syromacedonici.*	*Attici Solares.*
1. Dius	Ποσειδεών	Δῖος	1. Maemacterion
2. Apellaeus	Γαμηλιών	Ἀπελλαῖος	2. Pyanepsion
3. Audinaeus	Ἀνθεστηριών	Αὐδιναῖος	3. Posideon
4. Peritius	Ἐλαφηβολιών	Περίτιος	4. Gamelion
5. Dystrus	Μουνυχιών	Δύστρος	5. Anthesterion
6. Xanthicus	Θαργηλιών	Ξανθικός	6. Helaphebolion
7. Artemisius	Σκιρροφοριών	Ἀρτεμίσιος	7. Munychion
8. Daesius	Ἑκατομβαιών	Δαίσιος	8. Thargelion
9. Panemus	Μεταγειτνιών	Πάνεμος	9. Scirrophorion
10. Lous	Βοηδρομιών	Λῷος	10. Hecatombaeon
11. Gorpiaeus	Μαιμακτηριών	Γορπιαῖος	11. Metagitnion
12. Hyperberetaeus	Πυανεψιών	Ὑπερβερεταῖος	12. Boedromion

MENSES
JUXTA CORSINIUM

Solares Macedonici	*Attici Solares*	*Romani Juliani*
1. Δῖος	Πυανεψιών	October
2. Ἀπελλαῖος	Μαιμακτηριών	November
3. Αὐδιναῖος	Ποσειδεών	December
4. Περίτιος	Γαμηλιών	Januarius
5. Δύστρος	Ἀνθεστηριών	Februarius
6. Ξανθικός	Ἐλαφηβολιών	Martius
7. Ἀρτεμίσιος	Μουνυχιών	Aprilis
8. Δαίσιος	Θαργηλιών	Majus
9. Πάνεμος	Σκιρροφοριών	Junius
10. Λῷος	Ἑκατομβαιών	Julius
11. Γορπιαῖος	Μεταγειτνιών	Augustus
12. Ὑπερβερεταῖος	Βοηδρομιών	September

XIV. Scrip-

XIV. Scriptorum itaque Veterum pugnantia inter se loca ista, quae graviori perinde Chronologorum inter Principes pugnae locum fecere, atque principio Josephi cum Hesychio, ac utriusque cum S. Johanne Chrysostomo, atque Suida pugnam non tam componere, quam de industria praetergredi visus est Vir doctiss. Petrus Wesselingius Probabilium cap. 29. p. 258. sq., ea ratione nempe excogitata, quod *Hebraeorum* Mensibus haud prorsus *Macedonici* responderent, quodque Hesychius non eodem, quo Josephus Macedonum, & Hebraeorum Mensium laterculo usus fuerit. Namque Josepho Antiq. lib. 1. cap. 3, & lib. 8. cap. 3. Nisan est *Xanthicus*, Ijar *Artemisius*, ac Thebet *Audinaeus*. Hesychio contra Nisan est *Artemisius*, Thebet *Peritius*, & Ab *Gorpiaeus*: quatenus videlicet *Thebet* partim *Audinaeo*, partim *Peritio*, *Nisan* partim *Xanthico*, partim *Artemisio*, & *Ab* partim *Loo*, partim *Gorpiaeo* responderent; ideoque Hesychius a posterioribus, Josephus vero a prioribus Mensium ordinem sequutus fuerit. Gravius facessere negotium Demosthenis, ac Plutarchi discordia plane videtur, prioris illius, Demosthenis idest, a quo Macedonum *Lous* cum Attico *Boedromione*, cumque *Hecatombaeone* Atticorum *Daesius* Macedonicus componitur; posterioris istius, Plutarchi nempe, a quo contra *Lous* Macedonum cum Attico *Hecatombaeone*, ac Macedonicus *Daesius* cum Atticorum *Thargelione* confertur: quo factum videtur sane, ut Demostheni tam *Attici*, quam *Macedonici* Menses *Lunares* fuerint; e contra Plutarcho *Solares*, diversoque positi ordine ab eo, quem Demosthenis aetate obtinebant. Inde diversae Scriptorum invicem diffidentium opiniones subortae sunt, quas ut componeret, ea Scaligerum de Emend. temp. lib. 1. p. 48. sqq., lib. 2. p. 91. sq., & lib. 4. p. 240. sq. cogitatio subiit, ut loco pristino Macedonum veterum Menses deturbatos fuisse, atque mutatos putaverit, adeo nempe ut *Hyperberetaeus* a diebus Aestivis ad Autumnales traductus fuerit, inque *Alexandri* gratiam, quod in Autumnali *Solstitio* devicto ad Arbelam *Dario* Asiaticum pacifice auspicatus fuerit imperium, *Alexandraei* deinceps Anni cardo factus.

XV. Paullo abhinc alteram ingressus viam Petavius duobus hancce Scriptorum veterum discordiam componi modis posse existimavit Doct. temp. lib. 1. cap. 29. sq., & in Annot.

ad

ad S. Epiphanium Oper. T.II. p. 139. ſq., primo quidem, ut duo Menſium genera Macedonibus, ac deinde Syro-Macedonibus uſurpata olim fuiſſe conjecerit, primo *Lunares*, & vagos, queis exordium fecerit *Xanthicus*, Judaico *Niſan*, & Attico *Helaphebolioni* reſpondens, finem vero *Dyſtrus*, Judaico *Adar*, & Attico *Antheſterioni* correſpondens; poſtea *Solares*, & fixos, ad *Julianorum* formam compoſitos; ideoque perſuaſum habet non eumdem primo locum, qui *Syro-Macedonicis* poſtea factus eſt, *Macedonum* veterum Menſes habuiſſe, ſed uno fere Menſe *Syro-Macedonicis* anteriores *Macedonicos* fuiſſe, ut *Xanthicus* Macedonicus *Martio* fere, *Xanthicus* Syro-Macedonicus *Aprili* reſponderet. Secundo vero modo, ut *Macedonum* veterum Menſium ordinem a *Philippi* Regis tempore fuiſſe mutatum ex ſupracit. Demoſthenis loco de Corona, ſuſpicatus alioqui depravatum ibidem Macedonici, vel Attici Menſis nomen, ſuſpicari fas eſſe putat, quin attamen, quo demum id factum modo fuerit, augurari potuerit. Poſtremae huicce Petavii, ejuſdem diſſimulato nomine, ſuſpicioni inhaerens Uſserius de Anno Solari Maced. cap. 1. ad calcem Annal. Vet. Teſt. p. 93. ſeqq., & Antiq. Graec. Gronovii T.IX. edit. Ven. p. 1210. ſqq., quem ſequuti perinde ſunt Langius, Ricciolius, Longuerue &c., cenſet inter Olympiadis 108. annum 1, quo bello Phocico finem impoſitum fuiſſe tradit Pauſanias lib. 10, aut 2, quo a *Philippo* Macedone, ab *Amphictyonibus*, e queis commune Graeciae totius Concilium conſtabat, duce belli contra Phocenſes conſtituto, ad Peloponneſios exaratae fuerant litterae, de quibus Demoſthenes in praecit. Orat. de Corona, & Diodorus Bibl. lib. 16, & Olympiadis 111. annum 2, quo ab *Alexandro* M. ad Granicum ingenti Perſae adfecti clade fuere, ſuos a Macedonibus *Lunares*, vagoſque Menſes, queis ad eam uſque aetatem uſi fuerant, in *Solares*, Atticis tamen *Lunaribus* correſpondentes, fuiſſe commutatos, documento petito ex *Philippi* Regis epiſtola Demoſtheni cit. Orat. de Corona memorata, ubi Menſis *Lous* Attico *Boedromioni* reſpondiſſe legitur: qui *Lous* poſtea ſub *Alexandri M.* aetate in *Hecatombaeonem* Atticum, ſicut & *Daeſius* in Atticum *Thargelionem*, deſcendiſſe deprehenditur. Quod ipſum,

ex Plutarcho in vita Alexandri, ac Aeliano Var. Hist. lib. 2. cap. 25. conjecturis ductis, confirmare Usserius satagit. Ut vero Athenienses a Neomenia *Solstitium* Aestivum proxime subsequente primum *Lunarem* Mensem, ita deinceps Macedones ab Autumnali *Aequinoctio* primum *Solarem* Mensem deducere voluisse Vir doctiss. arguit, a *Dio* Annum inchoantes, atque cum *Hyperberetaeo* finientes: quod ex Galeno Comment. in Hippochratis Epidem. lib. 1. comprobat, ubi ab *Aequinoctio* Autumnali *Dii*, a Brumali *Solstitio Peritii*, a Vernali *Aequinoctio Artemisii*, & a *Solstitio* Aestivo *Loi* quatuor Anni capita deducta leguntur, expliciteque docetur Macedonibus, Asiaticis, ac Romanis Menses non jam amplius ad *Lunae* numeros, sed ad *Solis* rationes computare solemne cessisse.

XVI. Juxta Usserium itaque, cui sententia in plerisque Petavius praecesserat, ex Asianis cum Macedonibus Europaeis Syro-Antiocheni, Ephesii, & Pergameni, eodem Galeno teste, ita Anni principium ab Autumnali *Aequinoctio* repetendum statuerunt, ut *Dium* etiam primum Anni Mensem decreverint. Ast enim alii, veluti Syro-Macedones, Palaestini, Smyrnenses, Paphii, & Cyprii, Anno quidem *Lunari* in *Solarem* converso idem ab *Aequinoctio* Autumnali exordium facere non dubitarunt, ita tamen, ut primum Anni Mensem non *Dium* utique, sed *Hyperberetaeum* sibi esse voluerint. Quae postrema Anni forma prae *Macedonica* tandem praevaluisse dicitur Usserio, eamque sequuti visi sunt ipsi Theophilus Alex. in Paschali laterculo, Anatolius Laodicenus in Canon. Pasch. apud Eusebium, Johannes Malela, Evagrius Scholasticus &c. Autumnali itidem ab *Aequinoctio* Anni deinceps initium capere adlibuisse docet Asianis ceteris aliis, Joniis, Magnesiis, Achivis, Tyriis, Gazensibus &c., ita tamen, ut singuli diversum, sibique bene visum Anni principio Mensem statuere delectati sint: quod ex superiori Hemerologio Mensium diversarum Gentium e Saviliano, ac Mediceo Codice MS. decerpto jam abunde liquet, liquebitque magis, ac magis ex sequenti Tabula Mensium, qui diversis Asiae Populis usurpati leguntur, quam paullo infra, ex eisdem Codicibus Mss. Mediceo, ac Saviliano proferemus. Emin. Norisius ast enim in Ope-

Opere celeberrimo de Epochis Syro-Maced. dissert. 1. de Anno Solari Maced. cap. 1. sqq. edit. Veron. p. 6. sqq., Scaligero de Emend. temp. lib. 4. p. 241, ac Petito in Eclog. Chronolog. lib. 4. cap. 14, quibus Macedones Annum ab *Hyperberetaeo* auspicari consuevisse persuasum arcte fuit, liquidis Zenobii, Galeni, Suidae &c. testimoniis ultimum *Macedonici* Anni Mensem *Hyperberetaeum* statuentium, abunde refutatis, Macedones ab Autumnali *Aequinoctio* Annum incipientes, Menses in quatuor Anni tempestates ita fuisse partitos ostendere pergit, ut cuilibet tres responderent Menses, adeo ut *Autumno* 1. Dius, 2. Apellaeus, 3. Audinaeus; *Hyemi* 4. Peritius, 5. Dystrus, 6. Xanthicus; *Veri* 7. Artemisius, 8. Daesius, 9. Panemus; *Aestati* 10. Lous, 11. Gorpiaeus, 12. Hyperberetaeus; adeoque ut a *Dio* semper Annus inciperet, atque in *Hyperberetaeo* finiretur. Contra Usserium inde contendit cap. 1. p. 6. sq. a Macedonibus usque ad *Julium* Caesarem, idest annum U. C. 708, quo a *Julio* reformatus est Annus, Menses mere *Lunares*, vagosque fuisse usurpatos. Adhaec cap. 3. p. 22. sq. Usserium reprehendit, quod ab *Alexandri M.* aetate Macedonibus, Asianis, ac Syris usu receptum adfirmavit, ut Annum diebus 365. cum quadrante, atque Menses quosdam diebus 30, quosdam diebus 31. conficerent. Annum namque dierum 360. fuisse dumtaxat, Menses autem tricenarios prorsus omnes ipse Norisius ostendere nititur ex Edicto *Polysperchontis*, qui unus ex *Alexandri M.* ducibus, natu fere maximus fuerat, atque post *Alexandri M.* obitum Regum tutor, ac Macedonici Imperii Ἐπιμελητὴς, Procurator ab *Antipatro* summa cum potestate designatus fuerat, apud Diodorum lib. 18, & ex Epistola *Antiochi Eupatoris* apud Auctorem lib. 2. Macchab. cap. 11, ubi *Xanthicus* fuisse videtur dierum 30. dumtaxat, qui tamen ab Usserio dierum 31. describitur. *Xanthicus* enim, qui Macedonibus erat Mensis 6, Syris, ac Judaeis 7. erat, indeque fit, ut Macedonum duo Menses, cum 6. *Polysperchonti* Macedoni, tum 7. Syris, ac *Macchabaeo* Scriptori dictus, ambo fuerint dierum 30. Inde rursus fit, ut siquidem Aristobulo apud Plutarchum in Alexandro defunctus *Alexander* referatur die 30. *Daesii*, ut inquam, hic Mensis *Daesius* esset

dierum 30. dumtaxat. Rurſus cap. 2. p. 22. ſq. Uſſerium redarguit, quod Aeſtivum Anni cardinem, ſeu initium *Loi* Aſianorum ad Junii diem 25. protraxerit, ut ideo *Panemo* dies 31. adſignaret: quod initium *Loi* die 24. Junii ſtatuendum ipſe Noriſius exiſtimat, juxta *Julianam* emendationem, ſecundum quam ab Uſſerio *Dii* exordium a Septembris die 24, *Peritii* a die 24. Decembris, quibus utpote *Aequinoctium* Autumnale, ac Hybernum *Solſtitium* in Anno *Juliano* emendato, Aſianiſque recepto adfixa fuerant, repetendum decretum fuerat.

XVII. Pro Uſſerio contra Noriſium viciſſim Doctiſs. Abbas Ludovicus du Four Longuerue de Variis Epochis Veter. cap. 1. §. 3. p. 5. ſqq. pugnans inde arguit, quod ſiquidem Noriſio fatente tres illi Menſes diebus 30. conſtiterint, proinde Macedonum Annus haud fuerit mere *Lunaris* ex diebus alternis 30, & 29. compoſitus. In Diariis vero aliis apud Plutarchum *Alexandri* ſiquidem obitus aliter conſignetur, ita haec cum Ariſtobulo conciliare Cl. Abbas ſatagit, ut ſiquidem *Alexander* circa Veſperas objerit, ab Auctore Diarii, Babyloniorum, apud quos objit, more diem a *Solis* ortu incipientium, proinde emortualem *Alexandri* diem 29. fuiſſe notatum, ab Ariſtobulo vero, Graecorum, quibus dies a *Solis* occaſu inchoari ſolebat, inſtar, fuiſſe poſitum diem 30. putet. Sed enim Viro doctiſs. fruſtra id dicitur: in Diario enim Regio non dies 29, ſed dies 28. dumtaxat Menſis *Daeſii* pro emortuali *Alexandri* die notatus legitur; ideoque inde, Macedonum Menſes an *Lunares* eſſent, an vero *Solares* concludi ſive pro Noriſio, ſive pro Uſſerio recte nequit. Deinde certum videri etſi poſſit *Alexandrum M.* fatis conceſſiſſe Olympiadis 114. anno 1, quod attamen incertum adhuc faciunt Cicero Philip. 5. *Alexandro* vitae annos 33. diſerte tribuens; Juſtinus lib. 12. cap. ult., ſupra annos 33. Menſem inſuper vitae adſcribens; Euſebius in Chron. MS. Palatino optimae notae ad Olymp. 114. anno aetatis 33. eumdem e vivis exceſſiſſe ſcribens, etſi in Editis annos 32. dumtaxat eidem tribuat, videndique Pontacus in Not. p. 174, ac Vallarſius ibid. p. 535, & certe *Alexandro* praeter annos 32. aetatis inſuper Menſes 7, aut 8. tributi fue-

re

re a Josepho adv. Appion. lib. 1, & Antiq. lib. 12. cap. 2, Arriano lib. 7, Diodoro lib. 17. sub fin. &c., videndique Stephanus Oriol. Episcopus in Comm. ad I. Macchab. cap. 1, Harduinus in Chron. Vet. Test. p. 575. sq., Petavius Doct. temp. lib. 10. cap. 33. sq., & lib. 13. in Chron. ad An. Periodi Jul. 4390, Olymp. 114. an. 1, U. C. 430, ante Christi natalem 324. edit. Ven. 1757. T. II. p. 331, Usserius Annal. Vet. Test. p. 211. sq., &c., dubium tamen omnino manet, quo die fatis *Alexander* concesserit. Namque Petavius loc. praecit. diem 28. *Daesii*, quam *Alexandri* emortualem fuisse ex Diariis referunt Plutarchus, & Arrianus, in Julii diem 19. incidisse censet, indeque *Thoth Alexandri*, quo velut a cardine successorum Regum aetas dinumerari solet, quique *Thoth* in annum Periodi Julianae 4390. inciderat, proxime *Alexandri* post obitum incepisse putat. ideoque *Thoth Philippi Aridaei*, qui Censorino teste de Die nat. cap. 18. ab *Alexandri* obitu putari cepit, *Alexandri* mortem, ejusdemque *Philippi* fratris initium proxime consequutum opinatur. Qui denique Arrianum, & Plutarchum ex Diariis *Alexandri* obitum die 28. *Daesii* Macedonici, sive *Thargelionis* Attici consignantes, quibus ideo *Alexandri* obitus ad annum Periodi Jul. 4391. revocari videtur, cum Scriptoribus aliis sic componit, ut mutata Macedonicorum Mensium serie, *Loum* non amplius *Hecatombaeoni* Attico, sed *Boedromioni* respondisse, adeoque *Daesium* non amplius cum Attico *Thargelione*, uti prius aevo Plutarchi, sed cum *Hecatombaeone* potius concurrisse persuasum habeat. Usserio e contra in Annal. Vet. Test. ad An. M. 3681, Periodi Jul. 4391, ante Christianam Aeram 323. p. 211, suam juxta Macedonici Anni Ephemeridem, *Alexandri M.* obitus die 22. Maji, in quam incurrisse diem 28. *Daesii* adsignatam in Diariis apud Plutarchum, & Arrianum existimat, consignandus videtur. Contra utrumque vicissim Corsinius in Fastis Atticis T. IV. ad Olymp. 114. p. 50. sq. ex loco supracit. Demosthenis, quem vitiatum opinatur, qua de re postea, haud quaquam argui posse *Macedonicorum* Mensium seriem fuisse mutatam conficit; neque *Loum* cum Attico *Boedromione* concurrisse unquam, sed cum *Hecatombaeone* semper; neque *Daesium* aliquando *Hecatombaeo-*

baeoni Attico, ſed ſemper *Thargelioni* reſpondiſse contendit; ideoque *Alexandri* obitum in Periodi Jul. annum 4391. incurriſse; adeoque *Thoth Filippi Aridaei*, celeberrimae Aerae cardinem, non ab eo deducendum anno, qui proxime *Alexandri M.* obitum inſequutus eſt, ſed ab eo potius, qui mortem ipſam proxime anteceſſit, repetendum arguit: quamvis nec ipſe diem *Alexandri* emortualem definire certo audeat.

XVIII. Indubium tamen illud haberi jubet Longuerue, proferente Uſserio, ipſoque fatente Noriſio, Anni formam ab *Alexandro M.* fuiſse immutatam. Quippe quum Macedonibus apud Plutarchum in Alexandro *Daeſii* Menſis religio obſervanda videretur: *Δαισίου γὰρ οὐκ εἰώθεισαν οἱ Βασιλεῖς τῶν Μακεδόνων ἐξάγειν τὴν στρατίαν Daeſio namque Menſe non erat moris Regum Macedonum educere Exercitum*; eodem vero decurrente Menſe *Daeſio* contra Perſas ad Granicum aciem inſtruere *Alexander* meditaretur, id proinde cepit conſilii, ut *Daeſium* vocari *Artemiſium* juberet, ideſt ut Artemiſius, qui ſecundus inter Menſes erat, iteraretur: quò factum eſt ſane, ut prior Anni forma de loco, quo fuerat ante, fuerit deturbata. Quum adhaec vero invictis probetur argumentis a Macedonibus Europaeis veterem Anni formam retentam fuiſſe; novam autem, eique prorſus ſimilem, cujus auctor ab Uſſerio fertur *Alexander M.*, a Syro-Macedonibus fuiſſe uſurpatam; atque demum Macedonum Menſes diu ante, quam *Julianis* aequarentur, fuiſſe *Solares* ipſe demonſtret, ſatius ideo Longuerue videtur, ut opinio Uſserii ſuo permitteretur ſtare loco; quo ut eamdem dejiceret, validiora deſiderari a Noriſio documenta Vir doctiſs. vidit cit. cap. 1. §. 7. p. 8. ſq. Juxta Diagramma itaque Uſserianum ita Longuerue Macedonum ordinantur Menſes & Annus, ut quatuor Anni cardines ex Galeno quatuor *Solſtitia*, & *Aequinoctia* ſint, primique Menſis initium dies 24. *Septembris*, quarti Menſis initium dies 24. *Decembris*, ſeptimi dies 24. *Martii* in Biſsextili, ſive dies 25. in anno Communi, decimi dies 24. *Junii* in Biſsexto, ſive dies 25. in Communi. Jam vero initium Menſis VII, ſive *Artemiſii* Macedonum, ſive *Xanthici* Syro-Macedonum cum Uſſerio reperit Homiliae Paſchalis ope S. Johanni Chryſoſtomo olim

olim tributae, atque Epiſtolae Smyrnenſis Eccleſiae beneficio, ubi *S. Polycarpi* obitus die 2. *Xanthici*, ac 7. Kalend. Aprilis conſignatus legitur. Addit Vir eruditus §. 10. p. 12. Alexandro Monacho in Encomio *S. Barnabae* ſcribenti Menſem VIII. *Artemisium* Aſianorum, ideſt Syro-Macedonum incepiſse die 24. *Aprilis*, (quo loci die 23. Uſserius, die 22. Noriſius legendum volunt), fidem, velut Auctori recenti, nulliuſque auctoritatis, nullam adhibendam eſse. Menſis X, ſive *Loi* Macedonum, ſive *Panemi* Syro-Macedonum initium rurſus a die 25. Junii ducendum eſse cum Uſserio ſtatuit Euthalii Sulcenſis Epiſcopi Seculi V. ſcriptoris teſtimonio de *S. Pauli* Apoſtoli Martyrio; atque Noriſium cap. 2. p. 23. Euthalio Gazenſes uſu Menſes veniſse reſpondentem jure refellit idem Longuerue §. 11. p. 13. ſq., oſtendens S. Hieronymi in vita *S. Hilarionis*, & Marci Diaconi in vita *S. Porphyrii* apud Baronium ad an. 401. n. 44, ac Bollandum Act. SS. T. III. Febr. die 26. cap. 9. §. 68. edit. Ven. p. 656. teſtimonio Gazenſes Graece prorſus neſciviſſe; Graecum ideo Euthalium de Gazenſium Menſibus neque fuiſse loquutum, neque prorſus cogitaſse. Contra Noriſius cit. diſsert. 1. cap. 2. p. 22. ex Galeno Comm. in Epidem. lib. 1. *Solſtitium* Aeſtivum in initium *Dii* Macedonici incidere adfirmante, ex Veteribus autem idem *Solſtitium* 8. Kalend. Julii illigantibus, hac idcirco die *Loum* incepiſse adverſus Euthalium arguit. Cui reponens Longuerue advertit olim apud Veteres de die *Solſtitii* haud ſatis conveniſse: nam Columellae de Re Ruſt. lib. 11. cap. 2. illud 6. 7. 8. Kalend. Julii adſignatur; Plinio lib. 18. cap. 26. ſqq., & Ovidio lib. 6. Faſt. 6. Kalend. Julii; Aëtio Tetrabibli ſerm. 3. cap. 164. diei 25. Junii, ſive 7. Kalend. Julii adfigitur; in Kalendario Romano Conſtantini ab Hervarto edito 7. Kalend. Julii; Calippo, & Gemino Iſag. Aſtron. cap. 1. diei 1. ingreſsus *Solis* in Cancrum, ideſt diei 21. Junii, ſive 11. Kalend. Julii adſcribitur. Addi poterant Varro de Re Ruſt. lib. 1. cap. 28, a quo *Solſtitium* Aeſtivum in 7. Kalend. Julii, ſive Junii diem 25, confertur; Plinius lib. 18. cap. 25, ubi parum ſibi cohaerens in diem 26. Junii *Solſtitium* rejicit, & cap. 28. in 8. Kal. Julii, ſive Junii diem 24, Aratus, & Hipparchus apud Petavium in Auct. Var.
Diſ-

Differt. lib.2. cap.6, a quibus in diem 21. Junii; Cleostratus, a quo in partem 8. Cancri, hoc est diem 4; Eudoxus, a quo in gradum 15. *Cancri*, idest diem 8. Julii *Solstitium* conjectum est; Kalendaria quoque pleraque a Graevio Antiq. Roman. T.VIII. descripta, in quibus Aestivum *Solstitium* 8. Kalendas Julii quidem illigatum legitur, velut in Kalendario Rustico Farnesiano p.25, in Kalendario Fastis Ovidii olim praefixo p.94, in Veteri Kalendario Christi anno 354. circiter elucubrato, a Lambecio edito, ac Notis illustrato p. 99, in Kalendario Juliano reformato a Gassendo illustrato p. 159, in Kalendario a Scriptore Anonymo elaborato lib. de Computo, a Muratorio e Bibl. Ambros. in lucem emisso Anecdot. T. III. p.128; in Kalendario autem Romano Veteri a Dempstero descripto Antiq. Roman. lib.4. cap.4. p.344. diei 26. Junii, sive 6. Kalend. Julii *Solstitium* adstrictum habetur.

XIX. Ea e contra Dodvvello de Cyclis Graecor., & Roman. dissert.9. sect. 1. sqq. arcte animo adhaesit opinio, ut Plutarcho, tanquam manifeste decepto, ubi Macedonicum *Loum* cum Attico *Hecatombaeone*, atque *Daesium* Macedonum cum *Thargelione* Atheniensium commisit, omnino diffidens, totusque magis Demostheni, tanquam recte definienti, ubi Macedonum *Loum* cum Attico *Boedromione*, cumque Atheniensium *Hecatombaeone* Macedonicum contulit *Daesium*, integre adquiescens, ipse sic existimat. Nempe contra Usserium, ac Norisium contendit Macedonum Menses, Galeno memoratos, *Solares* quidem fuisse, sed longe post *Julii* Caesaris aetatem illos Macedonibus, ad *Julianorum* formam exactos adhiberi cepisse, nec ante Olympiadis 135. annum 3, U. C. 517, Christianam ante Aeram 238. ex *Lunaribus* fuisse *Solares* factos autumat. Quam sane Dodvvelli conjecturam firmare duo videntur Marmora, Ticinense unum *Leone*, & *Probiano* Css., idest Christi anno 471, ac Florentinum alterum *Honorio* XI, & *Constantino* II. Coss., hoc est anno Christi 417. inscripta, in quibus Macedonicorum adhuc Mensium nomina leguntur: videndique Maffejus de Siglis p. 82, ac Gorius Inscrip. T. III. p. 314. Adhaec usque tempora, Aerae nempe Christianae annum 238, apud Macedones anni Menses utique ad *Lunae* rationes exigi con-

consuevisse opinatur, atque ita quidem Atticis fuisse Macedonicos exaequatos, ut eadem, unaque Macedonibus, & Atheniensibus Periodus adhibita fuerit, adeoque ut Macedonum utique *Lous* accurate *Boedromioni* Attico, Atticoque *Hecatombaeoni* Macedoncius *Daesius* responderet, uti Demostheni indicatum est. Donec post Olympiadis 135. annum 3, U. C. 517, Aeram ante Christianam 238. ad *Solis* periodum attemperatis Mensibus, Annique forma accommodata, multoque post magis, quam *Juliani* recepta Anni ratione, vetus Macedonici reformata Kalendarii forma est, tum demum *Lous* Macedonum cum Attico *Hecatombaeone*, cumque Atheniensium *Thargelione* Macedonicus *Daesius*, uti Plutarchus scripsit, commissus est.

XX. Suspicioni, quam de loco Demosthenis Orat. pro *Corona* depravato induerat olim Petavius, adhaerens Corsinius Fast. Attic. T.I. dissert.3. §.20. sq. p. 140. sqq., T.II. dissert.14. §.21. p.458. sqq., & Dissert. Agonist. ad calcem p.159. sq., contra Scaligerum, Petavium, Usserium, Norisium, ac Dodvvellum, magna sane in re Chronologica nomina, Macedonum Menses fuisse mutatos persuasum habentes disputans, atque Plutarcho adhaerendum potius ipse arbitratus, Demosthenis locum pro *Corona* revera depravatum fuisse ostendere adgressus est. Atque primo inde quidem, quod *Philippi* Regis Epistola ad Athenienses, & Corinthios, quos utique belli Socios adversus Locrenses invitabat, Demostheni eo loci memorata, non anno 1, aut 2. Olympiadis 108, veluti doctiss. Viris illis visum est, sed anno 3. Olympiadis 110. exaratae fuerit, ut ipse putat, eaque non de Phocensi bello, sed de Amphissensi potius intelligenda sit; ideoque in ea non *Boedromionis*, sed *Hecatombaeonis* Mensis cum *Loo* comparati nomen legendum statuit. Aeschine namque Orat. de Falsa legatione p.248. sqq., atque Demosthene ipso simili Orat. de *Falsa Legat.* referentibus, anno 2. Olympiadis 108. die 3. *Munychionis*, decreto Athenis edito, legati ad *Philippum* Regem pro ineunda pace missi sunt, a quibus cum *Philippo* foedus *Helaphebolionis* die 19. percussum est. Tribus post pacem Mensibus die 21. *Scirrophorionis* Phocenses eodem cum *Philippo* Atheniensium

foedere comprehensi gravi a *Philippo* clade adfecti fuere : qua clade audita, Athenienses deceptos a *Philippo* se fuisse cognoscentes, decreto altero *Scirrophorionis* die 27. edito res omnes, Liberos, & Uxores ex agris in Urbem deferri, ne *Philippi* nempe paterent rapinae, praedaeque, curarunt. Itaque principio ex his, quae cum Aeschine habet Demosthenes hac in Orat. de *Falsa Legat.*, corrigendum arguit Corsinius locum Demosthenis in Orat. pro *Corona* p. 316. sq., ubi Orator haec eadem enarrans Decretum illud prius de Legatis ad *Philippum* mittendis editum die 30.*Hecatombaeonis* memorat, Decretum vero posterius de rebus ex agris in Urbem transferendis editum die 21. *Maemacterionis* scribit; ideoque loco diei 30. *Hecatombaeonis* legendum vult die 3. *Munychionis*, & loco diei 21. *Maemacterionis* reponendum die 27. *Scirrophorionis*.

XXI. Ita Demosthenis loco de *Corona* emendato, ex loco ex *Falsa legatione* ipsi cum Aeschine communi, arguit Phocense bellum, non anno 3. Olympiadis 108, uti Petavio Doct. temp. lib. 13. edit. Ven. 1757. p. 328, & Palmerio Exercit. in Pausaniam p. 135. ex Demosthenis loco de *Corona* depravato persuasum fuit; sed anno 2. Olympiadis 108. *Scirrophorione* Mense confectum fuisse, tribus nempe post Mensibus, quam Phocenses pacis foedere cum *Philippo* ab Atheniensibus Phocensium foederatis pacto comprehensi fuerant : quod ipsum Dionysii Halicarn. in Epist. ad Ammaeum confirmat. Phocense hocce porro bellum, *Sacrum* ideo dictum, quod contra Phocenses ob Agrum Cyrrhaeum *Apollini* Delpho sacrum ab ipsis occupatum, ac Delphicum ipsum Templum depopulatum, atque super haec spretam *Amphictyonum*, a quibus mulcta damnati fuerant, auctoritatem, indictum fuerat, contra Phocenses communi junctis foedere Boeotis, Locrensibus, Thessalis, Perrhaebis, Doriensibus, Dolopibus, Athamenibus, Achaeis, Phtiotis, Magnetibus, Aenianibus, pro Phocensibus ex adverso stantibus Atheniensibus, Lacedaemoniis, aliisque Peloponnesiis, adeo ut a Boeotis, ac Thessalis in opem advocatus *Philippus* bello, Phocensibus oppressis, eorumque Urbibus solo aequatis, *Sacro* finem imposuerit, Phocense hoc, inquam, bellum cepisse Olympiadis 106. anno 2, ideoque post annos 10. finjis-

finjisse anno 3. Olympiadis 107. ex Diodoro lib. 16, & Aeliano Var. Hist. lib. 12. cap. 63, censet Buddeus Hist. Eccl. Vet. Test. T. II. Periodo II. sect. 6. p. 892, cum eoque quoad Belli initium consentit Lucchesinius in Annot. Hist. ad Demosthenis Orat. de Classibus p. 184, qui perinde in Annot. Hist. ad Orat. de Pace p. 356. ex Diodoro loc. cit. an. 2. Olymp. 108, ac Dionysio Halic. cit. Epist. ad Ammaeum confectum Phocense bellum istud fuisse Olympiadis 108. anno 3. cum Petavio existimat; contra vero anno 4. Olympiadis 105. cepisse ex Pausania in Phocicis cap. 2, ideoque Olympiadis 108. anno 2. die 21. *Scirrophorionis* finem habuisse arguit Corsinius. Inde sequitur itaque Corsinii opinione, quod *Philippi* Regis epistola ad Athenienses, & Corinthios contra Amphissenses Locros Demostheni Orat. pro *Corona* p. 335. sq. memorata, non de Sacro Phocensi bello jam confecto, sed de bello Amphissensi, quod nempe adversus Locros Amphissenses, a quibus Cyrrhaeus ager *Apollini* dicatus occupatus fuerat, ab Amphictyonibus decretum fuerat, in quove Dux idem *Philippus* ab Amphictyonibus incauto fuerat consilio declaratus, intelligenda sit, eaque exarata fuerit Epistola, non anno 1, aut 2. Olympiadis 108, sed anno 3. Olympiadis 110, ideoque in ipsa *Boedromionis* loco legi *Hecatombaeonem* oporteat.

XXII. Enim vero Demosthenes Orat. pro *Corona* p. 335. sqq. referens Decretum Amphictyonici Concilii de *Philippo* Rege Amphissensis belli Duce creando, Aeschinis Pylagorae, sive Legati fraude editum ait die 16. *Anthesterionis*. Quum vero *Philippum* armis Elataeam in extrema Phocide Urbem, qua in Phocidem ipsam, ac Boeotiam aditus e Thessalia claudebatur, occupasse auditum est; tum Decretum aliud die 25. *Helaphebolionis* editum refert de induciis a *Philippo* Atticae jam imminenti petendis usque ad *Thargelionem* Mensem; atque Decretum aliud memorat die 30. *Munychionis* emissum de Legatione altera ad *Philippum* mittenda. Quum vero *Philippus* decretis hisce, Legatisque nihil deferens cum Exercitu versus Atticam properare auditus fuisset, tum Decretum aliud die 16. *Scirrophorionis* adornatum tradit de Thebanis ad foedus contra *Philippum* sollicitandis. Itaque cum Thebanis

junctis Athenienses, & Corinthii armis, postquam duobus contra *Philippum* praeliis feliciter congressi fuisent, tertio tamen utrique praelio ingenti a *Philippo* clade prope Cheronaeam in Boeotiae finibus adfecti sunt. Siquidem itaque *Philippus* ab Amphictyonibus belli dux adversus Amphissenses electus fuerit paullo ante, quam Elataeam occupasset, atque Cheronaensis pugna committeretur, Elataea vero a *Philippo* capta fuerit anno 2. Olympiadis 110, velut ex Diodoro lib. 16. cap. 83, ac Dionysio Halicar. cit. Epist. ad Ammaeum arguit Corsinius, Cheronaensis item clades die 7. *Metagitnionis* Olympiadis 110. anno 3. contigerit, Diodoro loc. cit. cap. 85, Plutarcho in vita X. Rhetor. in Isocrate, ac Dionysio Halic. cit. Epist. testibus, inde palam fieri Corsinius existimat cit. Demosthenem Orat. pro *Corona*, non de bello Phocensi, quod ante 8. annos die 21. *Scirrophorionis* absolutum fuerat, sed de bello Amphissensi fuisse loquutum, indeque perspicuum fieri praecitatam *Philippi* Regis ad Athenienses, & Corinthios epistolam ad annum 2. Olympiadis 110. referendam fore; quo anno die 16. *Anthesterionis*, & ante diem 25. *Helaphebolionis* belli Dux ab Amphictyonibus fuerat designatus, ideoque ante Cheronaensem pugnam, quo tempore *Philippi* fraudes adhuc occultae fuerant, exaratam fuisse. Inde sequi itaque Corsinio videtur, quod, Cheronaensis siquidem clades *Metagitnionis* die 7. contigerit, Diodoro, Plutarcho, ac Dionysio Halic. testibus, Epistola ideo illa ad Athenienses, & Corinthios adhuc foederis socios a *Philippo*, non *Boedromione*, Mense scilicet post *Metagitnionem*, quo Cheronaensis pugna confecta est, sed *Hecatombaeone*, Mense videlicet ante *Metagitnionem*, sive ante pugnam illam prope Cheronaeam, exarata fuerit, adeoque *Lous* Macedonum cum Attico *Hecatombaeone* conferendus fuerit, non cum *Boedromione* Attico, uti perperam habetur in praecit. Demosthenis Orat. pro *Corona*. Itaque concludit Vir doctiss. *Philippi* Regis aetate neque diversam Mensium inductam formam, neque Menses ex *Lunaribus* factos *Solares*, neque Mensium immutatam fuisse seriem, sed diu post etiam Macedonum Annum permansisse *Lunarem*, eumque ab Autumnali *Aequinoctio*, velut a cardine ita cepisse, ut primum

mum in anno locum occuparet *Dius*, isque Attico *Maemacterioni*, atque Romano Octobri responderet; postremum *Hyperberetaeus*, isque *Boedromioni* Atheniensium, atque Septembri Romanorum aequaretur: quod post Usserium ex Zenobio, & Galeno loc. cit. confirmare satagit.

XXIII. Duo tamen hisce Viri doctiss. conjecturis obstare mihi videntur, neque leve sane negotium facessere; atque primo quidem, etsi praecitata *Philippi* Regis Epistola ad Athenienses, & Corinthios de bello Locrensibus inferendo post *Phocense* bellum exarata fuerit, dolo, fraudeque factum id fuit. Phocenses enim foedere Atheniensibus, & Corinthiis juncti erant, postquam bello a *Philippo* oppressi fuere, *Philippi* fraudes Atheniensibus, & Corinthiis apertissime patuere, eisdemque, aeque ac Phocensibus, ac Lacedaemoniis ipsorum foederatis hostis *Philippus* infensissimus haberi cepit. Incauto quidem Amphictyonum consilio, ad quod convenire Graeciae Populos XII. consuevisse Jones, Dolopes, Thessalos, Aenianes, Magnetes, Maleenses, Phtiotas, Dorienses, Porrhoebos, Boetios, Locros, Phocenses, queis post suffragii jure privatis, eorum in locum *Philippo* duplex collatum fuit suffragium, Amphictyonum consilio, inquam, belli Dux adversus Locros Amphissenses creatus fuerat *Philippus*, Diodoro lib. 16. teste, ast enim tum Conventui huicce neque Athenienses, neque Lacedaemonii interfuerant, ab eoque Phocenses ejecti fuerant, Demostene teste de Falsa legat.; tum repente *Philippus* Exercitu comparato, veluti contra Locrenses pugnaturus, ad Elataeam occupandam se contulit, ut habet Demosthenes Orat. pro *Corona*, ut tantum absit, ut *Philippus* Athenienses, & Corinthios adversus Locrenses belli socios habere sperarit, ut belli magis istiusce specie de Elataea occupanda consilium, quod animo pridem induerat, quod jam praeviderat Demosthenes, occultare voluerit. Locrensium deinde patroni, mutata sententia fuere Thebani, Demosthene teste cit. Orat. pro *Corona*, contra quos perinde, atque Locrenses de bello suscipiendo conscriptam eam a *Philippo* epistolam fuisse perhibet eodem loci Demosthenes: qui igitur fieri potuit, ut post Phocense bellum cum Thebani Atheniensibus ad bellum contra *Philippum*, tum *Phi-*

Philippo viciſſim Athenienſes ad bellum contra Locrenſes, ipſoſque Thebanos opem ferrent? Certe Athenienſibus Thebanos auſcultaſse, bellumque *Philippo* junctis viribus, armiſque intuliſse certum eſt: quod indicio eſse certo videtur, a tempore profligati a *Philippo* Phocenſis belli homini fraudulentiſſimo neque Athenienſes, neque Thebanos, uti neque Lacedaemonios fidiſse, ideoque Epiſtolam illam a *Philippo* ad foederatos Athenienſes, & Corinthios effectu ſuo prorſus omni caruiſſe. Hiſce praehabitis, quod ad rem propius facit, negotiumque facere haud leve videtur id eſt, quod longe majus temporis ſpatium, quam unius Menſis, *Hecatombaeonis* ideſt, quo ſcriptam de bello Locrenſi fuiſse putat Corſinius Epiſtolam, & *Metagitnionem*, quo ad Cheronaeam pugna commiſsa eſt, ab ea ſcripta Epiſtola interceſſiſse ad Cheronaenſem pugnam dubio procul oportet, quo nempe poſtquam Elataeam occupatam intellexiſsent, deque *Philippi* Graeciam ſubjugandi univerſam animo cognoviſsent, ad arma comparare ſe ſe Athenienſes, atque Thebani potuerint: ut proinde longe ante ſcriptam eam fuiſse Epiſtolam oportet, quam ad Elataeam occupandam *Philippus* ſe contulerit. Quare ſuo perſtat integra probabilitatis loco Petavii, Buddei, ac Lucchesinii opinio de Phocenſi bello anno 2. Olympiadis 106. incepto, finitoque Olympiadis 108. anno 3, opinioque Lucchesinii in Annot. Hiſt. ad Demoſthenis Orat. 2. contra Philippum p. 383. de Elataea, non anno 2, ſed 3. Olympiadis 110, Diodoro lib. 16. teſte advocato, capta. Accedit, & illud, quod inter Epiſtolas Themiſtocli adſcriptas in epiſt. 13. *Boedromion* Atticus cum Corinthiorum *Panemo* copulatus etiam legitur; igitur & cum *Loo* Macedonum copulatum eum fuiſse jam tum ſub Olympiadis 77. anno 3, quo Themiſtocles e vivis exceſſit, arguere eſt: ut recte proinde in *Philippi* Epiſtola Demoſtheni memorata Macedonum *Lous* cum *Panemo* Corinthio, & Attico *Boedromione* compoſitus fuerit. Quamquam Corſinius haſce Themiſtocli ſuppoſitas Epiſtolas fuiſſe perſuaſum habet, nulliuſque proinde fidei eaſdem habendas fore; quin etiam ex depravato Orat. pro *Corona* Demoſthenis loco anſam Conſarcinatorem Epiſtolarum illarum arripuiſſe *Boedromionem* Atticum cum *Panemo* Corinthio

thio conferendi putat. Et ſane contra Lydiatum ad Epochas Arund. p. 77, qui hiſce de Epiſtolis nihil ſuſpicatus fuerat, contra Caryophilum, ac Ehingerum, queis a duobus poſterioribus Epiſtolae illae pro genuinis habitae, atque in lucem evulgatae fuere, Themiſtocli Epiſtolas XXI. tributas recentioris foetum Auctoris eſſe haud dubitarunt Leo Allatius in Dialogo de Scriptis Socratis p. 78, Schurzfleiſchius in Diſſert. de Themiſt. epiſt., Bentlejus in Diſſert. Anglice ad Wottonum exarata, & Fabricius Bibl. Graecae T.I. lib. 2. cap. 10. §. 24. p. 429. ſq.

XXIV. Tam vero incorruptum *Demoſthenis* in Orat. pro *Corona* eſse locum, quam ſub *Alexandro* M. priſtinam apud Macedones Anni formam mutatam fuiſse, *Artemiſio* in locum *Daeſii* ſubeunte, perſuaſum habuit Julius Pontedera Antiq. Latin., & Graec. Epiſt. 26. p. 263. ſq., & Epiſt. 28. p. 271. ſq., ut cujuſmodi, ſub *Philippi* Regis aetate, ad Corinthiam, & Atticam ſe haberet Anni *Macedonici* ratio explicatu haud ipſi difficile fuerit. Pauſania nempe advocato teſte, Phocenſi bello finem per *Philippum* Olympiadis 108. anno 1. impoſitum fuiſse, eodemque anno datam a *Philippo* ad Athenienſes, & Corinthios epiſtolam *Loo* Macedonico, Corinthio *Panemo*, & Attico *Boedromione* 7. Kalend. Septembris, Auguſti die 26. putat. Hoc itaque Olympiadis 108. anno 1. decurriſſe *Octaeteridis* Olympiacae annum 5, quo Graecorum Menſis 3. incepit 7. Kalendas Septembris, cum iſtoque Anno concurriſse exiſtimat *Octaeteridis* Macedonicae annum 2, quo *Lous* a 7. Kalend. Septembris etiam incepit; concurriſse quoque annum 7. *Octaeteridis* Corinthiae, ac Syracuſanae, quo *Panemus* in 7. Kalend. Septembris pariter incidit; atque concurriſse *Octaeteridis* Atticae annum 5, quo *Boedromion* item in 7. Kalendas Septembris incurrit. Ita nempe, quo pridem ab Aegyptiis, eodem a *Caniculae* exortu a Boeotiis, Aegyptiorum olim Colonis a *Cadmo* in Graeciam advectis, incepiſse Annum exiſtimat, hoc eſt pridie Nonas Sextiles, ſive Auguſti die 4. epiſt. 20. p. 211. ſqq. Ab eodem cardine ab Eudoxo *Octaeteridem* auſpicatam fuiſse perſuaſum habet, ita tamen, ut annus 1. *Octaeteridis* a die 4. Auguſti ceptus in diem 31. Julii finierit. Apud Macedones Annum ab Autumno, ſive ab *Arcturi* ortu, ſive

die

die 2. Octobris, qui ab Octobris die 1. Boeotis, ac Romanis iniri solebat, incepisse censet. Ast enim Atticis ab Aestivo *Solstitio* Annum, sive anni Mensem 1. *Hecatombaeonem* exordiri adlibuisse quidem, ita tamen, ut *Solstitium* 3. Idus Quintiles, idest die 13. Julii statutum ab illis fuerit, inde colligit epist.22. p.220. sqq., quod a Metone, ac Euctemone Anni siquidem Attici cardines in primis Signorum partibus fuerint constituti, ut propterea Kalendis Januariis, *Sole* in Capricornum ingrediente, *Bruma* incipiat; quumque in Capricorno, Aquario, & Piscibus dies 90, cum horis 3. *Sol* demoretur, in Ariete, Tauro, & Geminis dies 94, cum horis 12, inde fit, ut a Kalendis Januariis dies 184, cum horis 15. usque ad *Solstitium* Aestivum, sive ad diem ingressus *Solis* in *Cancrum*, idest ad 3. Idus Quintiles, sive Julii diem 13. intersint. Quo ideo die 13. Julii Atticum incipere Annum, sive Anni Mensem 1. *Hecatombaeonem* ipse statuit; indeque fit, ipsius opinione, ut in *Octaeteride* Attica anno 1. responderit annus 3. Boeoticae *Octaeteridis*, idest ut tam *Hecatombaeon* apud Atticos, quam apud Boeotos *Panemus* a 3. Idus Quintiles, idest die 13. Julii, sive *Apollonii* die 16. inceperint. *Olympicum* adhaec, sicut *Atticum* eodem anno, eademque die *Solstitii*, Julii 13. idest, exordium duxisse Annum censet, adeo ut eodem in utraque *Octaeteride* tam *Olympica* idest, quam *Attica* gradu Anni procedant epist.26. p.259. sqq.; ab eodem ast enim, quo *Boeotius*, cardine, idest a *Canis* exortu, pridie Nonas Sextiles nempe, sive Augusti die 4, *Corinthium* incepisse Annum, sive *Corinthiaci* Anni, non secus atque *Spartani*, nec non *Syracusani*, Corinthia siquidem Colonia Syracusii fuerint, Mensem 1. *Carnium* auspicia cepisse epist.27.p.265.sqq. existimat. Denique quod ad Macedonum attinet Menses tam *Lunares*, quam *Solares* approbe cum Usserio Pontedera facit, eodem, quo ille, sive a *Gorpiaeo* Lunares, sive a *Dio*, atque Septembris Juliani die 24. Solares ipse auspicando.

XXV. Bene, optimeque ista se habent, modo loco starent ubique, quae pro sententiae fundamento posita Viro doctiss. sunt. Vereor ast enim, ne ingeniose magis excogitata sint ista, quam veritate suffulta. Atque principio haud certo de

de Anno, quo Phocenſi bello finis impoſitus fuerit, conſtare paullo ſupra declaratum eſt. Quod vero rei caput eſt, *Octaeteridem* ſuam a Brumali *Solſtitio*, Decembris ideſt die 28, auſpicatum *Eudoxum* fuiſſe perſuaſum habuere Scaliger de Emen. temp. lib. 2. p. 69. ſqq., eumque pone ſequuti alii plerique: aſt enim Uſserius de Maced. Anno cap. 7. ad calcem Annal. Vet. Teſt. p. 109. ſq., teſte Plinio lib. 2. cap. 47. advocato, ſuum ab *Eudoxo* Perapegma a *Caniculae* ortu heliaco quidem, ſive a *Solis* in Leonem ingreſsu fuiſse deductum putat, ſed caput iſtud in Aegyptiaci *Meſoris* diem 5, Julii noſtri diem 29. incidiſse, non ſecus atque in Decembris die 28. Brumale *Solſtitium* ab eo fuiſse collocatum opinatur: contra quos pugnat ex adverſo Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 6. ſq., in obſcuro prorſus latere, quo vere a cardine Eudoxi *Octaeteris* inceperit, multis oſtendens. *Eudoxaeam* adhaec *Octaeteridem* nunquam in uſus Civiles admiſsam fuiſse obſervat Scaliger in Proleg. de Emend. temp. p. 4, ut proinde ad ejus rationes ab Athenienſibus nunquam exactus fuerit annus; in Anni ſui vero *Solaris* conſtitutione Macedones neque ad Metonis, & Euctemonis, neque ad Eudoxi Parapegmata reſpexiſse, neque Aegyptiaci, neque Graecanici Anni formam ſequutos fuiſse, ſed magis ad Chaldaicam ſe attemperaſse conjicit Uſserius de Maced. Anno cap. 7. p. 110. In Anno praeterea Aegyptiaco *Caniculae* ortum ſtatam, fixamque haud ſemper habuiſse ſedem, ſed quadriennio Juliano quolibet die 1. antegredi conſueviſse, ſuo abunde demonſtratum eſt loco; ut proinde haud ſane conſtet, quo ab anno, annique Menſe, ac die *Boeotica* inceperit *Octaeteris*: ſed & diverſo a cardine diverſa ſub aetate *Boeoticum* exordium duxiſse Annum ſuo infra loco dicetur. *Olympica* deinde *Octaeteris*, quam ad Olympicos nempe celebrandos ludos uſu Elidenſibus veniſse putant Scaliger de Emend. temp. lib. 1. p. 36, ac Dodvvellus de Cyclis diſsert. 4. ſect. 13. ſq., commentitia prorſus viſa eſt ſane Petavio Doct. temp. lib. 1. cap. 13. ſqq., & lib. 9. cap. 48, ac Corſinio diſsert. Agoniſt. diſsert. 1. §. 1. p. 6. ſqq., & Faſt. Attic. T. II. diſsert. 14. §. 17. p. 445. ſq.; qua de re ſuo fuſe infra loco, ubi neque eumdem *Attici* ſemper, & *Olympici* Anni cardinem extitiſse, atque *Olympici* quidem Anni exor-

dium a *Novilunio*, quod Aestivo *Solstitio* proximius esset, capi consuevisse palam fiet. De Anni denique *Attici*, *Boeotici*, *Corinthiaci*, aliorumque Graecorum vario exordio, variaque sub aetatibus variis inducta ratione certi quidpiam vix, ac ne vix quidem definiri rite pose infra, quum de Mensibus, & Annis Graecorum &c. sermo fiet, abunde patebit: quo patet ideo neque de *Macedonici* Anni capite statui quid certi quire.

XXVI. Pro coronide demum Usserius de Maced., & Asian. Anno Solari cap. 6. ad calcem Annal. Vet. Test. edit. Genev. p. 106. sq., & Antiq. Graec. T. IX. edit. Ven. p. 2132. sqq., suam juxta hypothesim, qua novam, atque primam Anni *Macedonici*, & *Asiani* dispositionem, sive *Tetraeteridem* deducendam fore censet a postremo *Philippi* Regis anno, Olympiadis 110. idest anno 4, quo ille communibus Graeciae totius, praeter Lacedaemonios, suffragiis Imperator adversus Persas Corinthi electus est, Diodoro lib. 16, ac Justino lib. 9. referentibus, qui Annus Periodi Julianae fuit 4377, ante Christianam Aeram 337, a Septembris die 24, feria 6. inceptus, in quo, inquam, Anno tam Asiani, & Macedonici Imperii, quam Anni novi a *Philippo* constituti Παράπηγμα defigendum fore suum putat, methodum exponit, qua in Anno sive Periodi *Julianae*, sive Aerae *Christianae* Annum Epochae *Macedonicae* congruentem invenire fas sit. A dato nempe Periodi *Julianae* anno detractis annis 4377, aut vicissim ad datum Aerae *Christianae* annum adjectis annis 336. exsurget Epochae *Macedonicae* Annus, in cujusce quarti Mensis diem 9. Kalendae Januarii quaesiti Anni incurrent, atque sequente die 24. Septembris ejusdem anni novus *Macedonicus* inchoabit Annus. Ita v. g. ab Anno decurrente Periodi Julianae 6481, quocum in Aera Christiana concurrit annus 1767, subductis annis 4376, relinquetur Epochae *Macedonicae* annus 2103. a Mensis 4. die 9. inchoatus, Kalendis Januariis decurrentis anni respondens, atque die 24. Septembris insequentis annus 2104. Epochae *Macedonicae* incipiet. Item Anno decurrenti Aerae Christianae 1767. additis annis 336, fiet annus 2103. ab eadem die 9. Mensis 4, Januarii die 1. inceptus, uti modo dictum. Atque pari ratio-

ratione facile erit Annum Macedonicum reperire tam in *Juliana* Periodo, quam in Aera *Christiana* juxta hypothesim Scaligeri, Petavii, Norisii, Dodvvelli &c. Ita comperto Anno *Macedonico*; Cycli perinde *Solaris*, atque *Lunaris* Annum, indeque *Paschatis* diem reperire haud erit difficile, qua de re suo abunde loco agendum erit.

D E

MENSIBUS, ET ANNIS

Antiochenorum, Seleucienſium, Laodicenorum, Apamenſium &c.

ARTICULUS IV.

I. SYro-Macedonici Anni formam, atque Menſes uſu poſtremo Chaldaeis, Aſſyriis, Babyloniis, Medis, Perſis, Bactrianis &c. veniſſe, poſtquam nempe Syro-Macedonum in poteſtatem devenere, ſuo abunde, puto, dictum eſt loco. Aſiae *Majoris* de aliis modo loquendo Populis, quibus etiam *Syro-Macedonum* Annus, & Menſes admiſſi ſunt, initio Aſiaticis univerſim, atque Syris, etſi *Macedonum* Annus *Solaris*, ac Menſes accepti perinde fuerint, aliis tamen diverſa pro Regionum, morumque diverſitate tum Anni ineundi ratio, tum Menſium adpellatio uſurpanda deinceps viſa eſt. Syro-Graecis namque, ſicuti Coptis, Annum incepiſſe ab *Elul* teſtes accedunt locupletes Albategnius de Scientia Stellar. capp. 27, & 32, & Abulfaragius Hiſt. Dynaſt. Dynaſtia v. p. 63. *Elul* vero duodecimum, ultimumque fuiſſe Menſem putans Scaliger de Emend. temp. lib. 5. p. 424. edit. Genev. 1629, & Petavius Doct. temp. lib. 4. cap. 26. edit. Ven. 1757. p. 191. *Elul* a Kalendis Septembris iniiſſe perſuaſum habens, viden, ut a Noriſio de Epochis Syro-Maced. diſsert. 3. cap. 6. p. 236. ſqq. valide refellatur uterque, invictis Albategnii, & Abulfaragii teſtimoniis oſtendente *Elul* a Kalendis Octobris initium duxiſse. Syros alios tamen ab *Hyperberetaeo*, Octo-

Octobris Juliani Kalendis aequato, caput Anno fecisse ex Ulug Beigho de Epochis cap. 2. liquido adparet, ubi Rumaeis, idest Syro-Hellenistis a *Thisri* priori, ab ineunte Octobri idest, Annum incepisse tradit. Quò faciunt testimonia quoque S. Athanasii de Synodis p. 678, & S. Hieronymi in Ezech. VIII. 14, & Zachar. I, ubi Syris aliis ab *Hyperberetaeo*, Juliano Octobri aequato, Annus injisse scribitur. Non eadem a die tamen Annus Syris omnibus initium capiebat, uti perspicuum fit ex superiori Diagrammate e Codice Mediceo descripto. Antiochenis enim, de quibus mox, *Hyperberetaeus*, Annusque ideo a Kalendis Octobris incipiebat, ut ex Evagrio patere dicit Norisius. Caesareensibus in Palaestina idem Anni initium erat, Eusebio teste de Martyr. Palaest. lib. 8. cap. 21. edit. Taurin. T. I. p. 357. sq. Contra Tyrii *Hyperberataei* diem 1, Annique caput ab Octobris die 19. auspicari solebant; Gazenses a die 23. Septembris, queis de utrisque suo infra loco; Syri alii S. Epiphanio de Pond., & Mens. memorati a Septembris die 24: etsi Gazenses *Dium* incipiendum ab Octobris die 28, ac Syri alii ab Octobris die 24, statuerint; Asianis vero aliis a *Dio* universim Annum inchoantibus, aliis September, October aliis initium dederit Anno. Ita Graecis, iidem, qui Macedonibus, erant quidem Menses, non idem tamen ordo, & exordium. *Panemus* apud Corinthios *Boedromioni* respondebat Attico, qui apud Macedones alium obtinebat situm. Lacedaemoniis *Artemisius* eumdem, qui Atticus *Helaphebolion*, in Anno situm habebat, at *Munychioni* respondebat *Panemus* in Anno Macedonico, Thucydide lib. 5. teste. Apud Macedones *Daesius* respondebat *Thargelioni*, apud Athenienses vero *Anthesterioni*, Plutarcho referente in vita Arati circa finem. Boeotiis *Panemus* idem cum Attico *Metagitnione* censebatur, teste Plutarcho in Camillo, postea cum *Boedromione* comparatus est ab eodem in Aristide; videndusque Petavius Doct. Temp. lib. 2. cap. 30.

II. Jam vero Antiochenos quod attinet, iis antequam Christo nomen darent, Urbisque Regiae Constantinopolis exemplo, inductas a *Constantino* M. Indictiones, una cum Anni Juliani forma, admitterent, Menses Syro-Macedonum usu

usu pridem venisse, contra Usserium id inficias euntem, ostendit Longuerue de Var. Epochis cap. 3. §. 5. p. 88. sqq. post Valesium in Not. ad Eusebium de Martyr. Palaest. lib. 8. cap. 21. p. 358, ac in Not. ad Evagrium lib. 2. cap. 12. edit. Taurin. T. III. p. 278, ac post Norisium de Epochis Urbium Syriae dissert. 3. cap. 2. edit. Veron. p. 160. sq., *Juliani* Imperatoris in Misopogone, idest de odio barbae Par. II. Oper. p. 96. liquido, locupletique testimonio *Loum* Antiochenis decimum fuisse Mensem adfirmantis: quem plane locum frustra vexat Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 30. edit. Ven. 1757. p. 40, eumdem in mendo cubare, legendumque undecimum opinatus. Quò profecto fit, ut *Dius*, Novembri Juliano respondens juxta Norisium, qui p. 248. *Loum* a Kalendis Augusti initum Antiochenis, *Hyperberetaeum* vero a Kalendis Octobris ex Canonibus 20, & 22. Synodi Antiochenae anni 441. arguit, juxta Usserium autem *Dius* a Septembris die 24. inibat; *Lous* vero a die 25. Junii, *Dius*, inquam, primus Anni *Civilis* apud Antiochenos Mensis fuerit. Ideoque Norisius, qui dissert. 1. cap. 3. p. 42. sq. contra Usserium de Anno Solari Maced. cap. 4, ac Lupum Epistolar. Cassinensium cap. 26. in Not., Antiochenis *Gorpiaeum* a die 25. Augusti Juliani incepisse putantes refellit, putandum illum fuisse a Septembris die 1, sive a Kalendis ipsis, idcirco quod Julianis aequatos Menses Syro-Macedonicos ex S. Athanasio, Eusebio, S. Epiphanio, Evagrio, Johanne Malela, Auctore Chron. Alex. &c. ipse autumet, optime perinde cap. 2. p. 161. sq. Samuelem Petitum Eclog. Chron. lib. 4. cap. 21. contendentem Antiochenos Annum a Neomenia *Hyperberetaei* fuisse auspicatos, (quo ab *Hyperberetaeo*, sive Romano Octobri Anni principium apud Antiochenos cepisse persuasum habuere pariter Scaliger de Emend. temp. lib. 4. p. 241, Isag. Can. lib. 3. p. 295, & in Not. Euseb. n. 1965, ac Petavius Doctr. temp. lib. 10. cap. 64, Scaligero alioqui perpetuo infestus), atque hanc respondisse die 6. Octobris, Antiochenorum Menses dierum 30. fuisse omnes, eisdemque ad Anni finem quinque *Epagomenas* adjectis, refellit, ostenditque Petitum deceptum procul dubio fuisse mendoso Canone Graeco 20. Synodi Antiochenae, ubi Idus Octo-

Octobris conjunctae leguntur cum *Hyperberetaei* die 10, ideoque die 6. Octobris *Hyperberetaeum* Antiochenis incepisse oportuisset: siquidem in Versione Dionysii Exigui, & Isidori Mercatoris legitur dies 15. Octobris, qui Mensis Graecis *Hyperberetaeus* denominatur; tum etiam deceptum in lectione Evagrii Scholastici lib. 4. cap. 9, ubi *Justiniani* imperii exordium die 1. *Xanthici*, idest Aprilis consignat, ac Theophanis illud Aprilis diei 4. illigantis: unde infert Petitus Antiochenorum Menses tricenarios fuisse omnes: a die 6. Octobris siquidem ad diem 4. Aprilis sex integros pure tricenarios effluxisse Menses inde pateat, deceptum, inquam, Petitum ostendit ex *Justiniani* Novella 47, ubi die 1. Aprilis se Imperium auspicatum diserte tradit, ideoque diem 1. *Xanthici* apud Evagrium respondisse diei 1. Aprilis apud Justinianum arguit: cujusque praeterea Imperium die 1. Aprilis initum fuisse confirmat ex Procopio Hist. Arcanae edit. Alemanni p. 45, Ven. p. 299, Byzant. T. II. p. 356; indeque concludit errorem irrepsisse tum in Chronographiam Theophanis, *Justinianum* die 4. Aprilis Imperium cepisse adfirmantis p. 148. edit. Paris., Ven. p. 118, quem item errorem in Theophanem irrepsisse advertit Goarius in Not. p. 589. edit. Paris., Ven. p. 43, ac pro die 4. Aprilis in Codicibus aliis Mss. legi Kalendas Aprilis; tum in Cedreni Annales Byzant. T. VII. edit. Ven. p. 289, illud Aprilis die 14. inchoasse scribentis.

III. Eadem perinde dissert. 3. cap. 6. p. 215. tam Langium de Annis Christi lib. 1. cap. 8. p. 102, quam Vaillantium Hist. Regum Syriae p. 342. ex Auctore Chronici Alex. p. 187. edit. Paris., Ven. p. 149. sq. tradente Antiochenos Epocham suam a die 12. *Artemisii*, sive Maji deducere, illosque ideo Annum ab eodem Artemisio, sive Majo incepisse putantes, Norisius refellendos adsumpsit, Nummis Tripoli scalptis, in quibus Antiochena Epocha ab Autumno incepisse demonstratur, queis de infra, quod & advertit Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 123, refellitque Juliani praecit. testimonio, a quo *Lous* Antiochenis decimus fuisse Mensis liquido dicitur, ideoque quartum fuisse ab *Artemisio*, atque Romano Augusto respondisse oportet. Et locus ille sane Chronographi Alex. in diversas Chronologos distra-

ſtraxit ſententias. Nam Henricus Valeſius in Not. ad Evagrium lib. 1. cap. 12. conſentit quidem *Autonomiae* decretum Majo quidem Menſe evulgatum fuiſse, Annum tamen a Novembri incepiſse Antiochenos contendit. Contra Scaliger Iſag. Can. lib. 3. p. 301, ac Petavius Doct. temp. lib. 10. cap. 64. a Majo revera cepiſſe apud Antiochenos Annum exiſtimant: ad quos acceſſit Ducangius in Not. ad Chron. Alex. edit. Pariſ. p. 517, Ven. p. 431, illud perinde rite advertens alterutrum Chronographi hujuſce locum in mendo cubare: quippe qui paullo ante ſcripſit a die 22. *Artemiſii* putari annos ab Antiochenis cepiſſe, paullo vero poſt cepiſſe ab *Artemiſii* die 12. ſubjungit. Interea Noriſius ipſe cum Evagrio lib. 4. cap. 9, & Auctore Chron. Alex. p. 334. edit. Pariſ., Ven. p. 266. *Juſtini* obitum *Loo* Menſe, die 1. Auguſti Romani conſignantibus, poſtquam cap. 2. p. 163. *Loum* a Kalendis Auguſti inceptum Antiochenis ſtatuiſset, eadem diſſert. 3. cap. 6. p. 218. ſqq., Dodvvello, ac Loydio hac ipſa de opinione laudatis, Evagrii lib. 2. cap. 12, & lib. 4. cap. 4, Joh. Malalae in Chron. lib. 14. in *Leone* Imp. Byzant. T. XXIII. edit. Ven. Par. II. p. 27. de Terraemotu Antiochiae ſequuto anno Epochae Antiochenae 506. loquentium, quem Evagrius die 14. Septembris, die 13. ejuſdem Menſis conſignat Malela, teſtimonio motus, Annum olim quidem Antiochenos ab *Hyperberetaeo*, ideſt Kalendis Octobris inchoaſſe conſentit, ſed poſtea a *Gorpiaei* die 1, ideſt a Septembris Kalendis auſpicari fuiſſe delectatos contendit.

IV. Contra Noriſium, collato veluti pede, ſibi pugnandum adſumpſit Vir Doctiſs. Ludovicus du Four Longuerue de Vet. Epochis cap. 3. p. 88. ſqq., Uſſerium de Anno Solari Maced. cap. 1. ſequutus, atque Noriſium Evagrii, Joh. Malalae, Auctoriſque Chronici Alex. teſtimonio deceptum pronunciare non dubitat, qui de Anni Antiocheni forma ſua aetate uſurpata loquuti ipſi videntur, diverſa plane a Veteri, de qua loquutum Julianum Auguſtum in Miſopogone ipſe intelligit. Eumdem Noriſium etiam p. 220. ſqq. contra Evagrii, ac Malelae fidem Antiochiae Terraemotum Aerae Chriſtianae anno 459, ideoque Attiochenam Aeram ante Chriſti natalem anno 47. conſtituentium, contendentem Aeram hancce Chriſtianam annis

annis 48. anteceſſiſſe, ac Terraemotum illum anno Chriſti ante natalem 458. accidiſſe, refellit Cl. Aſſemanus Bibl. Orient. T. I. p. 211. ſqq. invicto cum Dionyſii Telmaharenſis Patriarchae Jacobitae in Chronico Syriaco, tum Coſmae Presbyteri in vita S. Simeonis Stylitae teſtimonio, quo de argumento prolixius alibi, quum de Antiochiae Epochis agendum erit. Itaque apud Antiochenos Anni *Civilis* initium a Neomenia *Dii*, Octobris Juliani diei 24. reſpondente, deduci olim conſueviſſe cum Uſſerio Vir doctiſs. Longuerue exiſtimat. Juxta ipſum tamen Antiochena Aera, quae eodem die incipiebat, quo Aera *Seleucidarum*, inibat a Caeleſti Menſe *Zygone* veterum Macedonum, *Dio* Macedonum Europaeorum, Syro-Macedonico *Hyperberetaeo*, Macedonici Anni Menſe XII, Romani Septembris die 25. Iſque mos Antiochenis obſervatus creditur, donec Aera *Seleucidarum* oblitterata, nova *Caeſariana*, Urbis Conſtantinopolitanae exemplo, ſubſtituta eſt. *Indictionum* deinde inducto uſu, & Antiochiae Chriſtiana alte Religione obtinente, *Seleucidarum* abjecta prorſus Epocha, nova a Kalendis Septembribus *Mundi* Aera, una cum *Indictionum* Cyclo XV, ſive a Kalendis *Elul*, ſive *Gorpiaei*, Juliano Septembri nempe exaequati, ultrocitroque recepta eſt: ceteris Orientalibus ſive Chriſtianis, ſive Mohammedanis veteri retento more *Seleucidarum* Epocham a Kalendis Octobribus, ſeu a Neomenia *Hyperberetaei*, Juliano *Octobri* aequati, auſpicandi: quod mirum videri nequit utique: nam & Romanis Civilis Anni initium ſunt Kalendae Januariae, *Indictionum* ſunt Kalendae Septembres, Urbis Epocha *Paliles*, ſive dies 21. Aprilis; Aera Chriſtiana aliis a die 25. Decembris inibat, a Martii die 25. aliis, ac demum a die 1. Januarii; qua de re plura Noriſius diſſert. 3. cap. 6. p. 216. ſq., noſque affatim, ubi de Romanorum Anno, & Menſibus agendum erit. Juxta hanc itaque ad Juliani formam aequati ab Antiochenis Anni, quam ſuis utique in Operibus mediae Antiquitatis Scriptores, Evagrius, Joh. Malela, Auctor Chron. Alex. &c. ſequuti ſunt, rationem, ecce tibi Diagramma, velut a Ducangio ad calcem Chronici Paſch. edit. Ven. p. 391. digeſtum eſt.

M E N S E S

Antiochenorum		*Macedonum*	*Romanorum*
I.	Eilul	12. Gorpiaeus	9. September
II.	Thiſrin prior	1. Hyperberetaeus	10. October
III.	Thiſrin alter	2. Dius	11. November
IV.	Canum prior	3. Apellaeus	12. December
V.	Canum alter	4. Audinaeus	1. Januarius
VI.	Asbat	5. Peritius	2. Februarius
VII.	Adar	6. Dyſtrus	3. Martius
VIII.	Niſan	7. Xanthicus	4. Aprilis
IX.	Ijar	8. Artemiſius	5. Majus
X.	Haziran	9. Daeſius	6. Junius
XI.	Thamuz	10. Panemus	7. Julius
XII.	Ab	11. Lous	8. Auguſtus

V. Aſianis, praeter Annum *Civilem* ab ineunte *Gorpiaeo*, ſive a Kalendis Septembris, in gratiam Romani Imperatoris, a quo fuerant *Indictiones* inſtitutae, incipientem, Aſianis, inquam, univerſis alterum *Sacrum* etiam Annum, a *Dio* cardine ducto, veteri retentum uſu fuiſſe, juxta cujus Anni rationes *Deorum* Sacra, ſacrique Ludi peragi ſolerent, opinatus eſt, ita opinandi ex Evagrio accepta occaſione, Loydius in Epiſtola ad Toinardum Noriſio memorata de Syromaced. Epoch. diſſert. 3. cap. 6. edit. Veron. p. 251. ſq. Sed enim multis opinionem hancce Loydii eodem loci Noriſius exagitat, vexatque, Euſebii Hiſt. Eccleſ. lib. 8. cap. 21. de Martyr. Palaeſt. auctoritate ſcribentis die 5. *Dyſtri*, ideſt ante diem 3. Nonas Martias, Natalem diem *Genii Publici* Caeſareae celebratum; Ammiani Marcellini lib. 22. adfirmantis in Syria *Adonia* Menſe *Thamuz* (Junio ideſt ex S. Hieronymo, ut alibi contra Noriſium pro Julio contendentem oſtenſum eſt), ritu veteri ſolem-

lemnia habita; Nummis etiam passim in Syria percussis, signatisque litteris ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ *Anno Novo Sacro*, idest in Natalitiis Imperatorum recurrente, hisce nempe contendens Norisius Ethnicorum Sacra eisdem Anni *Civilis* diebus celebrata, non distinctis, nullosque distinctos fuisse a Civilibus dies Sacros. Quamquam postremo Vir doctiss., sicui *Juliani* testimonium de *Loo* decimo Antiochenorum Mense, *Dio* Mense ideoque primo, recipiendum videatur, ei facultatem perinde Loydii de Sacro a Civili distincto apud Antiochenos Anno opinionem amplectendi liberam facit. Observante tamen Longuerue de Vet. Epoch. cap. 3. §. 8. p. 103. sqq., nullo, siquidem Veterum testimonio duplex isthaec Anni *Sacri*, & *Civilis* apud Asianos Loydio excogitata firmetur acceptio, mero pro invento ad *Juliani*, quo premebatur, testimonium eludendum potius, quam enucleandum, obtrusa haberi, rejicique proinde videtur. Et certe veteribus Ethnicis nullum distinctum a *Civili* usu *Sacrum* venisse Annum documento locupleti sunt, atque liquido vetustissima Kalendaria, antiquique Fasti apud Petrum Castellanum de Graecorum, & Athen.Mens., & Anno Antiq. Graec. Gronovii T.IX. edit. Ven. p.1096.sqq., quale Kalendarium Furii Dionysii Filocali anno 354. conscriptum, alterumque Polemei Silvii anno 448. apud Cuspinianum, Bucherium in Comment. ad Victorii Aquit. Canon., ac Janningum in Praefat., Tract. &c. in Acta SS. T.III. edit. Ven. p.158. sqq., ac T. VII. Junii p. 178. sqq.; quale Kalendarium *Julii* Caesaris olim in Aedibus Card. Maffei, post in Farnesianas inlatum apud Gruterum p.CXXXIII, Antiq.Roman.Graevii T.VIII. edit. Ven. p.4. sqq., & apud Blanchinium de Kalendario, & Cyclo Caesaris ad calcem Tab.II; Romanum, & Graecum, quo de Lilius Gyraldus Oper. T.II. edit. Lugd. Bat. p.825.sqq.; Rusticum, & Capranicum apud Graevium eodem Antiq. Rom. T.VIII. p.21. sqq., & p.30; quales Fasti Kalendares a Sibranto Siccama illustrati eodem loci p. 38. sqq.; Vetus Kalendarium, quod in libris antiquis Ovidii Fastis praefixum legitur ibidem p. 90. sqq.; Kalendarium aliud sub *Constantio* Imper. adornatum, & a Petro Lambecio egregiis illustratum Notis ibid. p.97. sqq.; Kalendarium Romanum a Dempstero editum

 p.116.

p. 116. sqq. ; alterum ex Ovidio , Columella , & Plinio descriptum a Petavio Doctr. temp. T. III. edit. Ven. 1757. p.60. sqq. ; alterumque *Constantini M.* ab Herwarto digestum , a Petavio ibid. p.67. sqq. subjunctum ; Kalendarium a Gassendo explanatum Antiq. Rom. T.VIII. p.144. sqq. ; quales Fasti Romani a Petro Viola expositi p.188. sqq.; Fastorum liber ab Hadriano Junio digestus ibid. p.229. sqq.; quale vetus Hemerologium ab Erycio Puteano evulgatum p. 670. sqq. &c., in quibus ne hilum quidem , leveque interlucet vestigium de *Civili* Anno a *Sacro* distincto , sed ubique statis *Civilis* Mensis cujuslibet diebus Festa , Sacra , & Certamina celebranda indicta leguntur . Conferendi in hancce quoque rem , tum qui de Romanorum Sacris fuse pertractarunt, Petrus Taffinus de Vet. Rom. Anno Seculari eodem T.VIII. p.466. sqq.,& Petrus Morestellus de die Civili , dierumque diversitate p.732. sqq. , praeter eos quamplures cum veteres Macrobium , Festum , Varronem , Servium , Pollucem &c. , tum nuperos Natalem Comitem , Rosinum , Dempsterum , Nieupoortum &c. ; tum qui de Graecorum Festis abunde scripsere Pfeifferus Antiq. Graec. lib. 1. cap.40. sq. p. 90. sqq. , Lakemacherus de Antiq. Graec. Sacris Par. IV. cap.1. sqq. p.573. sqq. , Meursius , Vandalaeus &c. , Corsinius , Maffejus &c. , queis de gemino ejusmodi *Sacro* Anno , ac *Civili* nihil suboluit .

VI. Inficias tamen iri nequire Viro doctiss. Longuerue videtur , quin Asianis , in hisque signatim Antiochenis , quod ipsum de Seleuciensibus, Laodicenis &c. aestimare pronum est, post *Julii* Caesaris obitum , *Juliani* Anni forma , retentis tamen Macedonicis Mensium nominibus , recepta fuerit ; tumque duplices Anni Kalendae obtinere ceperint , vetus nempe consuetudo propria exordiendi Annum a Kalendis *Dii* , sive a fine Octobris , atque nova *Juliano* conformis Annum a Kalendis Januariis auspicandi . Quae posterior Annum a Kalendis Januariis incipiendi ratio postea Seculo VI , quo una Antiochiae Christiana praevaluit Religio , ampleque per Asiam dominata est , profana illa primi Annum a *Dio* exordiendi oblitterata , sola deinceps obtinuit , una cum more *Indictiones* ubique receptas a Kalendis Septembribus auspicandi . Non itaque

que mos iste Annum a Kalendis Septembris inchoandi apud Antiochenos, aliosque Asianos sub *Julio* Caesare jam obtinuerat, veluti Norisio visum, decepto ab Evagrio, a Joh. Malela &c., qui de Antiocheni Anni forma loquuti sunt, qua suo erat aevo, non qua fuerat ante, velut ostendit Longuerue p.85. sq. Contra tamen Vaillantius Hist. Reg. Syr. p.342. ex Nummis Antiochiae cusis, ubi *Solis*, ac *Lunae* crescentis, cum *Ariete*, typus exsculptus visitur, (in quibus inepte sane Harduinus in Nummis Popul. illust. p.19, & 21. *Arietis* effigiem Lanae in eo tractu laudatissimae symbolum fuisse commentus est), Antiochenis ab *Aequinoctio* Verno Annum, & Epocham itidem suam iniri consuevisse arguit: quae opinio Langio prius de Annis Christi lib.1. cap.8. p.102. adhaeserat: ideoque a Mense *Artemisio*, quo *Sol* Taurum percurrit, Majo Romano respondente, Annum iis incepisse censenti: etsi Vaillantius a *Xanthico*, quo *Sol* in Arietem ingreditur, illis Annum inceptum velit. Atqui ex Nummis aliis, veluti Tripoli scalptis, Aeram *Seleucidarum*, Annumque Syrorum ab Autumno cepisse, quod etiam agnovit Harduinus in Num. Popul. illust. p.172. sq., & in Chron. Vet. Test. p. 576, & 615. sq., ostendit Norisius dissert.3. p.156, Nummo praesertim Cimelii Medicei Antiochiae cuso, (cui similem alterum ex Joberto eadem obsignatum Aera ET. ΔP. 104, aliosque tergeminos tum Anno EP. 105, tum ZP. 107, tum HP. 108. notatos exhibet Harduinus in Num. Popul. illust. p.22,), in quo *Solis*, ac *Lunae* bicornis cum *Ariete*, typus, Antiochiae symbolum, conspicitur, signato tamen ET. EP. annus 104. sub *Quadrato*: qui Annus plane ab Autumno Urbis Antiochiae anni 808, *Neronis* 2. cepit. Unde patet *Solis*, ac *Lunae* bicornis, & *Arietis* symbolum, non Anni ineuntis Antiochenis indicio fuisse, sed Numinum *Tutelarium* figuras aenigmaticas, *Jovis*, *Apollinis*, *Dianae* &c., velut idipsum etiam *Julianus* Apostata indicat in *Misopogone* p.104, quo loci Antiochensium Numina adjurat, *Jovem*, *Apollinem*, &c.; quod & ipsum Nummis aliis confirmat Norisius p.135, 151. &c., *Arietis* signum *Jovis Ammonis* symbolum fuisse multis ostendens, ac post ipsum Longuerue p.109. sqq., *Solis* idest Antiochenis sacri, non secus atque Syris aliis *Scor*-

pii

pii figura, Aegyptiis *Tauri*, & *Leonis* imago *Solis*, sive *Jovis* symbolum erant apud Macrobium Saturn. lib. 1. cap. 21, Seleuciensibus *Fulminis* signum, Atheniensibus *Noctua*, Boeotiis, & Euboeis caput *Bovis*, Ephesiis *Cervus*, seu *Apicula*, Tyriis, ac Sidoniis *Aquila*, aut *Navis*, Poenis, Thessalis, Siculis *Equus* &c., queis de, aliisque oppido multis Gesnerus, Harduinus in Num. Popul. illust. p. 204. sqq., Froelichius in Numism. Antiq. Urb., Reg. &c. cap. 5. p. 54. sqq. &c.

VII. Atque *Jovem* utique, ut & id scitu haud indignum heic obiter indicem, *Jovem*, inquam, *Ovem* dictum Straboni lib. 17. p. 559, Clementi Alex. Protreptici p. 25, ac Diodoro Tarsensi de Fato lib. 6. apud Photium Bibl. Cod. 223. p. 691, unde *Jovem* etiam *Ovium* divitem Tertulliano de Pallio cap. 3. denominatum legimus, apud Aegyptios sub *Arietis* specie cultum tradit Herodotus lib. 2. cap. 42; quo de Symbolo plura Isaacius Vossius ad Pomponium Melam lib. 1. cap. 8, & Spanhemius de Usu, & Praest. Numism. dissert. 5. p. 349. sq. Quin & *Neithae* apud Aegyptios, sive *Minervae* apud Graecos symbolum fuisse *Arietem* tradunt Horapollo in Hierogl. lib. 1. cap. 8, & Proclus in Timaeum lib. 1. cap. 30, qua de adeundus Jablonskius in Pantheo Agypt. lib. 1. cap. 3. §. 2. p. 74. sqq., ubi plura de voce Νηΐϑ Aegyptiaca disputat, eoque *Neith*, sive *Nuti* nomine *Deum* cum Renaudotio Monum. Acad. Inscrip. Paris. T. II. p. 273; *Misericordem* cum Crozio Thes. Epistolici T. III. p. 155, (qua plane *Misericordiae* denominatione *Venus* etiam Cypriis olim, & Chalcedoniis celebrata legitur apud Hesychium V. Ἐλεήμων); *Antiquam* cum Diodoro lib. 1. p. 11, Plutarcho de Isid., & Osir. p. 376, & Copto Novi Testam. Interprete Matthaei xi. 21, Luc. x. 13, & Hebr. 1. 1. designari observat. Conferendus etiam Huetius Demon. Evang. Prop. IV. cap. 9. sq. edit. Ven. T. I. p. 145, & 153, quo loci post Macrobium Saturn. lib. 1. capp. 9, & 24, Varronem de Re Rust. lib. 1. cap. 37, & de Ling. Latin. lib. 6, Servium ad Aen. vi. 607, Porphyrium apud Eusebium Praep. Evang. lib. 3. capp. 11, & 13, Clementem Alex. Strom. lib. 5, Diodorum lib. 1, Jamblicum de Myst., aliosque plures *Jani*, *Dionysii*, *Jovis*, *Neptuni*, *Plutonis*, *Apollinis*, *Aesculapii*, *Herculis*, *Mercurii*, *Hori*,

Si-

Sirionis, *Hermopanis*, *Osiridis*, *Hermanubis*, *Serapidis*, *Ammonis*, *Panis*, *Aphtae*, *Beli*, *Saturni*, *Mithrae*, *Paeonis*, *Adonidis* &c. nominibus unum apud Aegyptios, Perſas, Syros, Graecos, Latinos &c. deſignatum fuiſſe *Solem* oſtendit, qua de re dictum etiam nobis, ubi de Menſibus, & Anno Chald., Aſſyr., Perſ. &c. In Nummis etiam Antiochiae ad Daphnem cuſis, relatiſque cum ab Harduino in Numm. Popul. illuſt. p. 19. ſqq. cum *Jovis*, qui *Genius* Antiochenorum erat, & *Arietis* ſupraſtantis effigie expreſſis, qui & p. 46. *Arietis* itidem cum *Mercurio* effigie Corinthi ſignificari *Genium* ex Nummis, & Pauſania obſervat, non ſecus atque p. 120. *Arietis* iterum una cum *Ove* imaginem in Nummis ſcalptam Neapolis in Samaria *Genium* denotari confirmat; tum a Froelichio Annal. Reg. Syr. p. 51, 93. &c. ſub *Antiocho* IV. n. 20, 24. ſq., ſub *Antiocho* VIII. n. 9. &c. *Jupiter* Olympicus, *Solis* nempe ſymbolum, inſculptus inſpicitur; non ſecus atque in Nummis aliis Urbium *Seleuciae* in Pieria, *Laodiceae* ad Mare, & *Apameae* ad Axium: quarum trium Urbium Populi Antiochenis utique Ἀδέλφῶν *Fratrum* titulo jungebantur: quo ſane de Titulo poſt Strabonem lib. 16. edit. Amſt. p. 1087. conferendus idem Froelichius in Not. ad Nummos *Alexandri* I. p. 64, ubi Nummos *Fratrum Populorum* epigraphe inſignitos cum anni 164, aut 165. nota, contra Noriſium, qui ad poſteriorem eos Epocham *Pompejanam* retraxit, cum Haymio in Theſauro Britan. Tab. VI. de *Alexandro* I. cognomento *Bala* Syriae Rege p. 64. ſqq., ubi tum Golztium, Nonnium, & Cuperum Nummos hoſce ad Delphos referentes, tum Harduinum eo Heracleenſes, ac Tarſenſes *Fratrum* titulo deſignatos commentum emendat, ad priorem *Seleucidarum* Aeram exigendos obſervat.

VIII. Propagato longe, lateque in Aſiam poſtmodum armis Romano Imperio, Macedonico-Europaeorum Menſium oblitteratis fere, antiquatiſque nominibus ipſis, nominibuſque Syro-Macedonum loco retentis, Menſes ad Julianorum pone formam deinceps fuiſſe digeſtos certo certius eſt; eaque Anni forma uſi frequens leguntur S. Anatolius Laodicenus in Can. Paſch. apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 32, ubi diem 22. *Dyſtri* aequat cum 11. Kalend. Aprilis; Euſebius ipſe in Hiſt. Eccl. paſſim, ac praeſertim de Martyr. Palaeſt.; Theophilus

Alex.

Alex. in Prologo Laterculi Pasch., ubi diem 21. *Dystri* cum Martii die 21. componit; quove *Aequinoctium* consignat Vernum; S. Hieronymus, Aetius Amidenus, Suidas, V. Beda etiam &c. S. Epiphanio tamen, ut alibi demonstratum jam est, non una semper Annos, Mensesque putandi ratio inita, eademque retenta est: utpote qui Annum novum Atticum, atque Julianis utique constantem Mensibus, modo a Septembri, modo ab Octobri inchoare non destitit. Nempe Viro doctiss. Norisio judice differt. 1. cap. 2, postquam a *Julio* Caesare *Solaris* Anni forma apud Romanos reformata est, vulgarique opinione, falsa tamen, receptum quatuor Anni cardines in quatuor octavis signorum *Zodiaci* fore partibus figendos, ita ut Plinio lib. 2. cap. 19, & lib. 18. cap. 25, Columella de Re Rust. lib. 9. cap. 14, S. Anatolio in Can. Pasch., V. Beda de Rat. temp. cap. 28, aliisque referentibus, idque confirmantibus antiquis Kalendariis in Lapidibus scalptis apud Gruterum p. 138, & apud Graevium Antiq. Roman. T. VIII. edit. Ven. p. 4. sqq., queis de supra dictum est, Mense Martio *Aequinoctium* Vernum 8. Kalend. Aprilis adstringeretur, Junio *Solstitium* Aestivum 8. Kalend. Julii, Septembri Autumnale *Aequinoctium* 8. Kalend. Octobris, ac Decembri *Solstitium* Hybernum 8. Kalend. Januarii, proinde Asianis ProConsularibus Annum ex *Lunari* commutatum in *Solarem* ab Autumno, veterem juxta morem, atque ab 8. Kalendas Octobris inchoandum, atque ita quidem ut *Dius* primus Macedonum Mensis a die 24. Septembris in Asia deinceps iniret, Annoque initium daret, statutum, lege veluti sancita, censet Norisius. Itaque ex Galeno Epidem. lib. 1, ac S. Epiphanio Haer. 51, Macedonum, & Asianorum Menses ita statuendos suscipit, ut quatuor anni tempestatibus initia quatuor Menses *Dius* Autumno, *Peritius* Hyemi, *Artemisius* Veri, ac *Lous* Aestati sancirent; Menses vero tricenarios haud omnes fuisse existimat, cumque Julianis post Usserium, Langium, Ricciolium &c. comparat, ac disponit eo, qui superiori in Diagrammate expositus est modo, & ordine.

IX. Id probatum haud ivit Viro pariter doctiss. Longuerue, qui de Var. Epochis cap. 1. §. 5. p. 6. sqq. contra Norisium contendit Anni *Juliani* reformati a Romanis formam Asianos Mace-

Macedones haud demum admisisse ideo, tum quod Norisio ipso fatente jam pridem ante *Julium* Caesarem, ab anno idest U. C. 628, Christianam ante Aeram 126, Annus *Solaris*, diebus alternis 30, & 31. singulis constans Mensibus, usu Tyriis fuerit; tum quod Macedonibus *Caelestes* Menses a Romanis longe difformes jampridem adhibiti fuerint. Utrumque hocce tamen valdequam infirmum, cui totus confidit, momentum esse, quod Viri longe doctiss. venia, paceque dictum velim, sic ostendo. Tyriis etenim Annum fuisse *Solarem* ante Juliana tempora liquet, quod haud liquet de Macedonum Anno. Quod veteres autem Macedones Anno *Caelesti* ab Orientalibus sane olim accepto, mutuatoque usi fuerint, non inde sit sane, ut *Julianum* postea non admiserint, eò vel magis, quod *Caelestis* Annus ille potius quam *Solaris*, fuisse *Lunaris* videtur. Ut ut tamen hisce de sit, Asianis quin etiam plerisque, juxta Anni *Juliani* formam, Annum deinceps ab ipsis Kalendis Januariis auspicari placuisse indubium est. Ita Patribus Nicaenis profecto, veluti liquet ex Canone 5, quibus cum Aera *Seleucidarum* retenti Syro-Macedonum Menses *Julianis* aequiparati leguntur in Symboli titulo Act.2.Concili Chalcedonensis ab *Eunomio* Nicomediensi recitato. Ita Patribus Concilii Antiocheni anno 441, uti liquet ex Canone 20, de quo Norisius dissert.3.p.203. Ita Auctoribus Canon. Apost.Can.37.edit.Graecae, vel 38. versionis Dionysii, ubi videndi Zonaras in Canon. p.20, Balsamon p.252, conferendus etiam in Photii Nomocanonem Tit.VIII. de Parochiis cap.8, ubi hanc insuper in rem Synodi Nicaenae Canonem 5, Laodicenae Can.40, Chalcedonensis Canones 19, & 21, Carthaginensis Can.18, 73, 76, & 85, Sextae Synodi Canonem 8, & Nicaenae II. Can. 6. subtexit; & Aristinus, quos & ipsos hancce Macedonico-Julianam sequutos fuisse formam adparet. Ita Laodicenos etiam a Kalendis Januariis, ut in Kalendario Juliano, Annum deinceps auspicandum duxisse scribit Scaliger de Emend.temp.lib.5.p. 441. edit. Genev., nullo tamen producto teste, qui facilis alioqui patebat S. Anatolius Laodicenus in Can. Pasch. supra laudato, quod ipsum pariter de Seleucìensibus, Apamensibus &c. cogitare pronum est.

X. Quamquam neque defuere sane, qui Judaico more, ratione Paschalis nempe festivitatis habita, *Xantichum* primum Mensem, Annique caput habere, retinereque maluere, ab *Incarnatione* nempe Dominica, dieque 25. Martii auspicia capere delectati, ab eademque die *Xantichum*, Juliani Anni forma minime spectata, incipere gestientes. Atque ita inter alios probata isthaec putandorum annorum ratio est Pseudo-Chrysostomo, sive Auctori Homiliae Paschalis 7. Oper. S.Johannis Chrysostomi edit. Paris. T.VIII. p.275, ubi *Xantichum* utique cum Martio componere haud dubitat. Germano namque procul dubio in Opere, Homilia videlicet in diem Natalem Christi D. Oper. edit. Paris. Monfauconii T.II. §.5.p.361.sq. verus hinc paullulum absfuit S.Johannes Chrysostomus: eo quippe loci *Xantichum* cum Aprili, *Artemisium* cum Majo, *Daesium* cum Junio, *Panemum* cum Julio, *Loum* cum Augusto, *Gorpiaeum* cum Septembri, *Hyperberetaeum* cum Octobri, *Dium* cum Novembri, *Apellaeum* cum Decembri, *Audinaeum* cum Januario, *Peritium* cum Februario, ac *Dystrum* cum Martio comparat. Huic etiam Anni rationi arcte institit Auctor Graecus Constitutionum Apostolicarum, ut qui lib.5. cap.13. *Xantichum*, Aprili aequatum, Anni caput constituit, Christi D. obitum *Xanthici* die 4, seu Aprilis consignans; cap.12. Christi D. natalem diei 25. Mensis noni *Apellaei*, hoc est Decembris, & Epiphaniam diei 6. Mensis decimi *Audinaei*, sive Januarii adfigit; & cap.16. *Aequinoctium* Vernum in diem 22. *Dystri* Mensis duodecimi, idest Martii diem 22. confert: sed hocce de argumento satis jam, atque super, aliò namque, ubi & utilitatis haud minus inest, & luminis longe majus emicat, sermo nos evocat.

DE

DE

MENSIBUS, ET ANNIS

Gazensium, *Palmyrenorum*, *Tyriorum*, *Sidoniorum*, *Aradiorum*, *Tripolitarum*, *Damascenorum &c.*

ARTICULUS V.

I. GEminas praeter *Gazas*, quarum una in Media Atropatene in campo sita, pari intervallo ab Artaxatis, & Ecbatanis distita, Mediae Regum, olim Βασίλειον, sive Regia, qua de Plinius lib.6. cap.13, ac Strabo lib.11. p.363, altera Sogdianae adnexa, quae Curtio lib.8.cap.4. *Gabaza* dicta, Arriano lib.4. cap.2. *Gaza* dicitur; duplex altera eodem *Gazae* nomine Urbs distinguenda visa est Palmerio Exercit. ad Polybium lib.5. p.84. sqq., ut alia nempe fuerit Syriae in *Antiochi* ditione, altera prope Desertum in ditione *Ptolemaei*, qua de capiendum Act. Apost. Caput VIII. v.26, loquutosque Polybium loc. cit. p.427, ac Diodorum lib.19. censet, distinctas ambas a S. Hieronymo ex Casaubono in Not. ad Strabonem p.759, ac inter utramque *Raphiam* consitam observat. De *Gaza* itaque ad initium Deserti ex Phoenice in Aegyptum euntibus posita, quae vulgo Philistaeae adscribi solet, unaque, ac postrema ex quinque Philistinorum Satrapiis, eademque in Col-

le ſita nunc agendo, Urbs iſthaec porro celebris olim, Hebraeis עזה, Syris *Aza* dicta, qua de plura Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib.3. cap.13. §.218. p.511. ſq., diverſa cum fortuna diverſis ſub Regibus temporum infortunia perpeſſa, ab *Antigono* Syriae Rege primum, a *Ptolemaeo Sotere* perinde occupata, ab *Antiocho Magno* poſtea vaſtata, Polybio teſte in Excerp. Valeſ. p.86, ab *Alexandro Jannaeo* poſtremo everſa eſt, referentibus S. Luca Act. Apoſt. VIII. 26, Joſepho Antiq. Jud. lib.13. cap.21, ac Strabone lib.16. Ex hacce tamen clade ſurrexiſſe Gazam docent ſane Nummi Gazae inſcripti Tito, Hadriano, Antonino Pio, M. Aurelio, L. Vero, Fauſtinae Jun., Commodo, Caracallae, Plautillae, Helagabalo, apud Triſtanum T.II. p.250, Patinum p.313, Harduinum p.62. ſq., Spanhemium p.669. &c. Queis ex Nummis & illud liquet Gazae *Jovem* Cretagenem, *Marnam* cognomine, ſicut Epheſi, eximie cultum fuiſſe, velut etiam teſtes accedunt locupletes Arnobius, S. Epiphanius in Ancor. cap.108, S. Hieronymus epiſt.7. ad Laetam, & in vita S. Hilarionis cap.15, Maximus in vita Procli, ac Stephanus de Urbib.; quo ſane *Marnae* cognomine haud *Virginem*, uti Triſtano viſum, bene vero *Aſterii* Cretenſis ſervum ita *Marnas* adpellatum, teſte S. Epiphanio, indicari cenſet Holſtenius in Not. ad Stephanum de Urb. p.78. ſq., conferendique Salmaſius in Hiſt. Auguſt. p.202, & in Not. ad Solinum p.172, Triſtanus loc. cit., Seldenus de Diis Syris ſyntag.2. cap.1, Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hiſt. Vet. Popul. T.I. p.336, & 368, ubi *Marnam* a Phoenicio *Baal* indiſtinctum habet, ac Bochartus Geogr. Sacr. lib.1. cap.15. p.422, & lib.2. cap.13. p.743, ubi tum Gazae nomen ab *Herculis* filio *Azone* factum, tum *Marnae* adpellatione *Dominum Hominem* venire putat.

II. Jam vero Gazenſes Syriae Regum ſiquidem jugum ſubire, diuque ſuſtinere oportuerit, inde factum, ut Syro-Macedonum, una cum *Seleucidarum* Aera, qua de poſtea, Menſium, Annique formam, eamque plane fixi, atque *Solaris* adhibitam Gazenſibus fuiſſe perſuaſum habuerint Valeſius in Not. ad Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib.8. de Martyr. Palaeſt. cap.21. T.I. edit. Taur. p.358, Uſſerius de Anno Solari Maced. cap.2. ad

ad calcem Annal. Vet. Test. p.96, sive Antiq. Graec. Gronovii T.IX. edit. Ven. p.1215, ac Norisius de Epochis Urb. Syriae dissert.5. cap.2. sq. edit. Veron. p. 500. sqq. Gazensibus tamen, postquam sub *Pompejo* Romanorum in potestatem devenere, peculiari cum altera Urbis Epocha, ab *Autonomia* Urbi concessa, petita, qua de suo infra loco, *Juliani* quoque Anni formam perinde fuisse receptam, dubitandum haud est. Non eisdem tamen a diebus, ac Syro-Macedones, & Antiocheni, Menses exordiri Gazensibus in more positum observat post Valesium loco supracit. Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis cap.5. p.142. sqq., ubi Scaligerum in devia aberrantem sibi castigandum adsumpsit. Nempe Gazensium Annum pure, puteque *Actiacum* fuisse, Macedonicis attamen Mensium adpellationibus, Mensibusque compositum tricenariis, & a *Gorpiaeo* cepisse opinatus est Scaliger de Emend.temp.Proleg.p.8,lib.4.p.245,& Isag.Can.lib. 1.p.144, conjectura ducta e Marco Diacono in vita S.Porphyrii, ubi *Dium* cum Novembri, *Apellaeum* cum Decembri, *Audinaeum* cum Januario, & *Xantichum* cum Aprili confert; ideoque quinque *Epagomenas* ad exitum *Loi* aggregatas Scaliger autumat. Parum hinc abfuit Petitus in Eclog. Chron. lib.4. cap.23, ubi Gazensium Annum ab *Hyperberetaeo*, sive a die 28. Romani Septembris incepisse, *Epagomenas* vero ab ejusdem Septembris die 23. auspicandas opinatur, eodem Marci Diaconi testimonio suffultus. Sed enim utrumque refellendum sumpsere Norisius de Epochis Urb. Palaest. dissert.5. cap.2. p.505.sqq., ac Longuerue de Var. Epoch. cap.5. §.1. p.143. sqq. ipsius Marci testimonio, (cujusce tamen nomine Acta S.Porphyrii inscripta genuinum haud ipsius opus esse, sed Simeonis Metaphrastis, ab istoque interpolata vidit ipse Baronius in Not. ad Martyrolog. Rom., emendatus tamen ipse a Longuerue p.145.), qui apud Surium, Bollandum ad diem 25. Februarii, ac Baronium ad an.398. n.99, non *Gorpiaeum* Macedonicum, sive *Thoth* Aegyptiaco-Actiacum, nec *Hyperberetaeum*, sive Septembrem Juliano-Romanum, bene vero *Dium*, ut vidit etiam Valesius, primum Gazensium fuisfuisse Mensem aperte scribit. Isque *Dius* profecto, Syro-Macedonum more, non ab Aestate, uti Scaligero visum, sed ab Autum-

Autumno, nec a die 28. Septembris, veluti Petito fuit persuasum, sed ab Octobris die 27. inibat, uti cum Usserio ad Annum M.3944. Annal. Vet. Test. p.434. autumat Longuerue, cit.loco. Norisius igitur, inde quod Gazenses Agypto finitimi, diutiusque *Ptolemaeis* Aegypti Regibus obnoxii fuissent, Anni Aegyptiaci formam, etiam sub Macedonum jugo, etiam item sub Romanorum imperio retinuisse persuasum habuit. Quam juxta formam, a Marco Diacono, ut putat exhibitam, qui Mensem 1. *Dium* nuncupat, 11. *Apellaeum*, ac dein *Audinaeum* Januario, & *Xanthicum* Aprili exaequat, Gazensium Annum diebus 365. constitisse censet, adeo ut Menses dierum 30. omnes essent, & ad anni finem quinque *Epagomenae* aggregarentur: atque ita sequentem Gazensis Anni laterculum Anno cum Aegyptiaco, tum Romano per ipsum aequati contexit.

MENSES

GAZENSIUM.			AEGYPTIORUM.		ROMANORUM.	
I.	Dius	30.	3.Atyr	30.	10.Octob.	28.
II.	Apellaeus	30.	4.Chojac	30.	11.Novem.	27.
III.	Audinaeus	30.	5.Tybi	30.	12.Decem.	27.
IV.	Peritius	30.	6.Mechir	30.	1.Januar.	26.
V.	Dystrus	30.	7.Phamenoth	30.	2.Februar.	25.
VI.	Xanthicus	30.	8.Pharmuth	30.	3.Martii	27.
VII.	Artemisius	30.	9.Pachon	30.	4.Aprilis	26.
VIII.	Daesius	30.	10.Paynus	30.	5.Maji	26.
IX.	Panemus	30.	11.Epiphi	30.	6.Junii	25.
X.	Lous	30.	12.Mesori	30.	7.Julii	25.
XI.	Gorpiaeus	30.	Epagomenae	5.	8.Augusti	24.
XII.	Hyperberetaeus	30.	1.Thoth	30.	9.Septem.	23.
	Epagomenae	5.	2.Paophi	30.	Epagomenae	5.

III. Juxta

III. Juxta Norisium igitur Annus Gazensium a die 28. Octobris auspicia capiebat, ejusdemque Mensis die 23. *Epagomenae* ineuntes exibant die 27. Contra vero Aegyptiis Annus a die 29. Augusti incipiebat, *Epagomenae* vero a die 24. ejusdem Mensis exorsae in diem 28. desinebant. Dubitat attamen demum Norisius, an Gazenses, in Seleucidarum posteaquam devenere potestatem, cum Syro-Macedonum Mensibus *Lunarem* quoque periodicum admiserint Annum; an potius veteris *Solaris* Aegyptiaci Anni rationi pertinaciter adhaeserint: quod posterius longe probabilius habet: quae fuit etiam Valesii in Not. ad Eusebium de Martyr. Palaest. opinio. Ast enim Norisium refellere cum Scaligero putantem Gazensium Menses triginta dierum omnes fuisse, & ad Aegyptiaci Anni formam compositos, cum *Epagomenis* quinque ad Anni finem, adgressus ibidem Longuerue, Aegyptiacum Annum vagum antea fuisse, atque fixum deinde a die 29. Augusti cepisse siquidem indubium sit, Gazensem e contra semper fixum Annum fuisse, atque a die 27. Octobris inivisse cum Usserio contendit. Adhaec Marcus Diaconus in vita S. Porphyrii auctor est locuples Gazensium Menses diebus quinque praecedere Menses Romanorum, & *Audinaeum* Gazensem Romano Januario respondere, ideoque falli oppido Norisium arguit Longuerue affirmantem Gazensium Menses 1, & 11. Romanos praevertere Menses diebus 4. dumtaxat, *Loum* praecedere Augustum diebus 7, *Gorpiaeum* Septembrem diebus 8, & *Hyperberetaeum* diebus pariter 8. Octobrem praevertere. Junge, quod juxta Norisium *Artemisius* respondere diei 1. *Pachon* Aegyptii, sive Aprilis Romani diei 26. debet: at juxta S. Epiphanium de Ponder., & Mens. §. 20. edit. Petavii p. 177. dies 1. *Artemisii* in *Pachon* diem 2. incurrit: uno die itaque Gazensium Mensium ordo a Norisio praevertitur. In opinione Norisii denique primus Syro-Macedonum Mensis, isque primus Aerae *Seleucidarum*, erat *Hyperberetaeus*; atque ita ab *Hyperberetaeo* pariter Annum Tyriis, Palaestinis, Syrisque plurimis incepisse pugnat: itaque Gazensibus itidem ab eodem Mense incepisse Annum inferre fas esset; quibus plane inde, ab *Hyperberataeo* idest, sicut *Antiochena*, sic etiam *Gazensis* Epocha incipiebat, veluti Lon-

Longuerue p. 148. existimat. Verum Norisii suspicionem de Anno *Lunari* periodico Gazensibus adhibito comprobare videtur Galenus in Comment. ad Hippocratis Epidem. lib. 1, atque Longuerue idcirco opinionem de Anno Gazensium fixo infirmare. Perhibet enim Macedones, Asianosque Proconsulares Annum quidem adhibuisse *Solarem*, ast vero Palaestinos *Lunarem* ex diebus 354. conflatum habuisse. Nisi Palaestinorum heic nomine Galeno Judaeos dumtaxat, non etiam Palaestinos Syro-Macedones Gazenses venisse, quod pronum est, putandum sit.

IV. Palmyrenis, Urbis nempe Thadamorae Hebraeis, ac Syris adpellatae, Josepho teste Antiq. Jud. lib. 8. cap. 2, ac Regionis amplae, multisque excultae Oppidis, rebusque, ab *Odenathe*, ac conjuge *Zenobia* praeclare gestis sub *Galerio*, & *Aureliano* celebris, in Syro-Phoenice ad Libanum haud longe ab Euphrate, neque longe a Damasco, Plinio lib. 5. cap. 25. ferente, mediae veluti duo inter Imperia Parthicum, atque Romanum positae, Incolis, inquam, Syro-Macedonum Menses, deindeque Epocham, dictam etiam *Seleucidarum*, usu olim venisse docet Tabula Marmorea Romae in Hortis primo Carpensibus, in Villa postea Justinianaea a Francisco Blanchinio reperta, cujusce figuras, & Epigramma Palmyrenis descriptum litteris exprimi curavit Sponius in Miscell. Rei Antiq. dissert. 3. Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 407. sqq., inde Gruterus in Thesauro Inscrip. p. 86. n. 8, atque Norisius de Epochis Syro-Maced. cap. 3. §. 2. edit. Veron. p. 127, accuratius vero a Masono, ac Relando Palaest. illust. p. 391. In ea vero Graeca isthaec Epigraphe a *L. Aurelio Heliodoro* Palmyreno, qui *Hadrianum* in ea se nuncupat, *Hadrianopolitem* intellige ab Urbe, quae ab *Hadriano* instaurata, ornataque ejus de nomen deinceps induit, Stephano Byzant. de Urb. teste, notanteque post Sponium Cellario Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 12. p. 366, *Diis Patriis* Ἀγλιβώλῳ, καὶ Μαλακβήλῳ *Aglibolo*, & *Malachbelo*, queis de Diis Seldenus de Diis Syris syntag. 2. cap. 1, dicata, legitur posita Μηνὸς Περιτίου Ἔτους ΖΜΦ *Mense Peritio*, (Syro-Macedonico), *Anno* (Seleucidarum) 547, qui fuit Aerae Christianae 236, quique Annus cepit ab Au-

Autumno U.C. 988, Mensisque *Peritius* Februario Juliano respondit, adnotante S. Hieronymo in Zachariae cap. 1. Quare Norisius jure, optimeque Sponium reprehendit, quod Annum eo in Lapide signatum 547. incipiendum putavit ab anno 2. post *Alexandri* M. obitum, eumdemque concurrise cum Anno Christianae Aerae 234, ac ultimo *Alexandri Severi*. Qua in re sane dupliciter errat Sponius, nempe *Seleucidarum* Aeram in Lapide notatam repetendo annis 10. prius, quam oportet; & Annum 547. conjungendo cum Aerae Christianae anno 234, ac *Severi* ultimo. Siquidem enim *Severi* ultimus annus fuerit U.C. 988, proinde annus 547. incidere debuit in Annum U.C. 978, Aerae Christianae 225, annis 10. idest prius, quam Sponio persuasum fuit.

V. Graeco porro illi Epigrammati duo subjiciuntur in Lapide versiculi characteribus exarati, quos Gruterus Arabicos, Scaliger ignorabiles, Petitus in Epist. ad Peireschium, ac Norisius Phoenices putarunt; sed Palmyrenos fuisse proculdubio viderunt Gallandius in Epist. ad Sponium, & Franciscus Blanchinius, qui descriptos misit ad Gisbertum Cuperum, hic vero ad Rhenferdium explicandos remisit, quos multum differre ab iis, qui a Sponio, & a Grutero editi sunt; advertit Cuperus Opusc. Blanchinii T.I. Epist. ad ipsum p. 60. sqq., & Epist. 9, ac 55. ad Crozium Epist. Crit. &c. p. 29. sq., & p. 188; explicatos vero Characteres illos Rhenferdius sic reddidit. *Aglibolo, & Malachbelo, & Aram ejus, scilicet Throni, & cultum ejus faciundum curavit ex crumena sua Jaratus filius Chaliboei, (Αλιβαιου) filii Jazaei, filii Samsisaari, vel Jonis, pro vita sua, & vita filiorum, in Mense Sebat, vel Februario anno Akisuasi*. Duplici hocce porro *Agliboli*, atque *Malachbeli* nomine *Solem*, & quidem *Malachbeli* titulo, ac *Lunam*, & hanc *Agliboli* designari epigraphe putat Salmasius in Comment. Hist. Augustae. Contra *Agliboli* Solem, & *Malachbeli* Lunam indicari Sponius loc. cit. persuasum habet, utriusque scilicet a *Belo*, sive *Bele*, quo apud Aquilejenses etiam *Sol* olim adpellatus legitur, vocabulo derivato. Ast enim verius idem unum Palmyrenis in honore maxime habitum indicari Numen indubium videtur, cujus Imagines exhibet

 Tho-

Thomas Hyde de Relig. Vet. Persar. p. 116. Idem videlicet est, atque Syrorum *Beel-Samen*, ideſt *Dominus Caelorum*: ita namque *Bel* significatur *Dominus*, Hebraice vero *Samajim* idem sonat ac *Caelos*. Itaque *Sol* Phoenicibus *Agul-Baal*, sive *Agli-Baal* dictus est, *Deus* ideſt *Orbicularis*, qua plane figura *Sol* insignitus conspicitur, atque *Malach-Baal* alio item denominatus vocabulo est, *Rex* ideſt *Magnificus*. Sive, ut explicare mavult Bochartus Geog. Sac. Par. I. T. II. Oper. lib. 2. cap. 8. p. 731, ita *Aglibelus* dictus est *Sol* Aestivus, *Malachbelus* vero *Sol* Hybernus. Indeque factum aestimari potest, ut *Elagabalus* nomen etiam a *Sole* apud Emisaeos, quibus *Agul-Baal*, hoc est Seldeno adnotante, *Deus Orbicularis* dicebatur, accipere delectatus fuerit; atque *Solis* insuper adfectare Sacerdotium, ingenti pro superbiae fastu, visus sit, velut etiam adnotavit Jacobus de Wilde in Select. Numism. Antiq. Tab. XIV. §. LXXXVIII. p. 119. Sed & *Solis* sub *Elagabali* nomine, Sacerdotio delectatus olim *Antoninus Pius* legitur in Nummis hac obsignatis epigraphe *Sancto Deo Soli Elagab.*, in aliis *Sacerdos Dei Solis Elagab.* apud Harduinum Hist. Aug. p. 816, quo loci perperam *Elagab.* pro *Gabalensibus* in Syria Civibus interpretatur, queis in honore *Sol* habitus fuerit: *Elagabalus* siquidem, ut modo dictum, *Solis* epitheton sit, quo rotunda ejus figura indicatur. Videndi Seldenus de Diis Syris Syntag. 2. cap. 1, & Abbas Bassius in Not. ad Bannierii Mytholog. T. II. lib. 2. cap. 2. edit. Neap. p. 304. sq.

VI. Putat jam vero Rhenferdius supralaudatus *Jarati*, sive *Jarchaei* nomen haud differre a nomine *Heliodori*, quod in Lapide Graece descriptum legitur. Fieri quoque potuisse censet, ut *Akisaasus*, cujus nomine obsignatus in Lapide Palmyrenice legitur Annus, nomen fuerit Principis, vel Magistratus *Eponymi*, velut apud Athenienses primus *Archon* vocari solebat. Jam vero, si recte Versiculos hosce Palmyrenis exaratos litteris Rhenferdius est assequutus, queis sane assequendis Novo Testamento Syriaco in Bibliotheca Guelferbutensi asservato, in quo Palmyrenos Characteres, ac initio praesertim Evangelii S. *Matthaei*, occurrere testatur Cuperus, valdequam adjutum se Rhenferdius profitetur, inde arguere fas esset sane Pal-

Palmyrenis Menſes, non utique Macedonicos, uti Sponio, Petito, Noriſio &c. viſum eſt, ſed Judaicos, aut Syriacos, eoſque *Julianis* aequatos, fuiſſe uſurpatos; nec alteram, niſi quae a proprii *Magiſtratus*, quoquo is adfectus nomine fuerit, Annis propius iniret, pro veteri Aſianorum more, adhibitam Palmyrenis Epocham fuiſſe. Fruſtraneo ſed enim labore Rheinferdium in Peric. Palmyr. defatigatum oſtendit Cl. Abbas Barthelemyus diſſert. in Alphab., & Ling. Palmyr. inſerta Acad. Cort. n. 1. T. VII. p. 4. ſqq., ubi ex Inſcriptionibus XIII, quibus octo ſubjunctae Graecae ſunt, a Dawkinſio, ac Vood e Palmyra in Angliam delatis, integrum, quale nobis ſuper. T. I. p. 208. exhibitum eſt, Palmyrenum efformare, partim ex Syriaco, magis vero ex Hebraico, Alphabetum fas Viro doctiſs. fuit. Atque in hiſce ſane Graecis Inſcriptionibus apud Smithum in Monum. Palmyr., Tranſact. Philoſ. n. 218. p. 123, apud Cuperum Epiſt. 2. ad Nicaſium Epiſt. Crit. &c. p. 433. &c. alii paſſim Macedonum occurrunt Menſes, ſimulque Aera Palmyrenis adhibita, ita dedicata Graeca inter alias in Epigraphe legitur Ετους ΔΟΥ. Μηνος Υπερβερεταιου *Anno* 474. *Menſis Hyperberetaei*: quae ſane Epocha a Kalendis Octobribus Periodi Julianae anno 4402, Chriſti ante natalem 312, quo nempe *Seleucidarum* incepit Aera, ſuum duxiſſe ſimiliter cardinem ſuo, ubi de Veterum Populorum, & Urbium ſermo nobis incidet, loco demonſtrabitur. Unde inferre pariter eſſet, una cum *Seleucidarum* Aera, Menſes quoque Macedonicos uſu Palmyrenis veniſſe, idemque Anno ſicut his, ſic & illis factum initium fuiſſe. Suſpicari tamen ſubit Palmyrenum hominem, qui Graece Inſcriptiones reddere voluit, ad Graecorum etiam Menſes, & Epocham attemperare eaſdem voluiſſe; Scriptorum, atque Sculptorum morem ſequutus, qui aliena loquentes lingua, aliorum quoque Menſes, & Aeras adfectare non dubitant. Sed enim hiſce magis elucidandis vetuſtiora, quae adhuc deſiderantur, alia in promptu Monumenta ſiquidem haud ſuppetant, ad aliorum ideo Populorum Menſes, & Annos, quos meliori in luce ponere liceat, nobis eſt properandum.

VII. Atque de Tyriis quidem ut agamus, ordo modo poſtulat,

quorum de antea originibus paucis agere praestat. *Tyrum* porro Urbem ante fundationem Templi *Salomonici* annis 240. fundatam fuisse scripsit Josephus Antiq. lib. 8. cap. 2, atque Sidoniorum opus fuisse liquet ex Isajae cap. 23. vers. 12; & quidem ante Trojanam halosim a Sidoniis aedificatam confirmat Justinus lib. 18. cap. 3. In Insula pridem sita, unde *Palaetyrus* nomen tulit, medio postea isthmo continenti juncta Peninsula facta Urbs, passus 19000, sive stadia 152, sive Romana Miliaria 19, Plinio teste lib. 5. cap. 19, utraque complectebatur. Ab *Hiramo* deinde Rege Urbi conjunctum est *Jovis Olympici* Templum in Insula consitum, in eoque *Jovi* dedicata Aurea Columna, & *Herculi* erecta Statua legitur apud Menandrum, ac Dium Josepho memoratos Antiq. lib. 8. cap. 2, & lib. 1. contra Appion. edit. Froben. p. 924. Celebris altera Statua, sive Colossus *Apollinis* in honore Tyri habebatur, quae e Gela Urbe Siciliae a Poenis olim deportata, Tyriis dono tradita fuerat, in quave spem Tyrios maximam repostam habuisse diserte referunt Diodorus lib. 13, & 17. p. 58, Plutarchus in Alexandro, Josephus Antiq. lib. 11. cap. 8, Arrianus lib. 2, Justinus lib. 11, aliique. *Herculis* tamen, idest *Solis*, velut interpretatur Nonnus Dionysiac. lib. 40. v. 369. p. 1038, cultui adeo dedita Urbs fuit, ut tum ex Urbe *Herculi* Tyrii nomen inditum fuerit, Diodoro teste lib. 17. cap. 40, tum ex *Hercule* Urbi vicissim ipsi cognomen *Heracliae* adhaeserit, uti legitur in Nummis Caracallae, Elagabali, Otaciliae, & Saloninae apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 174. sq., ac Spanhemium de Usu, & Praest. Num. p. 300, & 877. *Melcharti* etiam nomen *Herculi* a Tyriis inditum, quasi *Melech-Cartha* esset, idest *Rex Urbis*, opinatus est Bochartus Geog. Sacr. Par. II. lib. 2. cap. 2. p. 709. Sed enim *Melcharti* nomen ab Urbe Carthagine in Hispania tulisse *Hercules* videtur Nevvtono in Chron. Vet. Regn. emend. p. 111; & *Malich* etiam Amathusiis in Cypro *Herculem* cognominatum notavit Hesychius, viditque Bochartus ipse loc. cit. *Apollinem* vero apud Tyrios, tanto habitum in honore, alterum haud fuisse a *Phut*, sive *Put*, de quo Moyses Gen. X. 6. 7, indeque Graecorum *Pythium* effluxisse putat Bochartus in Phaleg lib. 1. cap. 2. p. 10. sq.; sed non adeo

adeo antiquum fuisse Tyriis *Apollinem* rectius observant Angli Scriptores Hist. Univ. T. V. cap. 6. edit. Ven. p. 174. De aliis, tum qui habuere proprios Tyrii, tum qui cum Phoenicibus aliis fuere ipsis communes, Diis non est cur dicam, me siquidem alibi dicere abunde memini. Ad Tyrum itaque Urbem stylo modo reflexo, sub *Salmanazare* quinquennii obsidionem Urbs sustinuit, eo defuncto, in libertatem adserta. A *Nabuchodonozore* nonnisi post obsidionis annos tredecim occupata demum est, ac destructa. Ad hanc usque aetatem suos Tyrus Reges habuit, queis de super. Articulo II. p. 183. sq. dictum est. Post cladem vero a Babylonis Rege acceptam in Insula denuo instaurata Urbs Regum loco *Suffetes*, idest Magistratus, sive *Judices*, voce ab Hebraea *Sophetim* derivata, a Babylonis Regibus accepit. Donec post obsidionis Menses septem ab *Alexandro* M. eversa prorsus Urbs est, soloque aequata juxta prophetiam Isajae cap. 23, & Ezechielis cap. 26. sqq.; videndusque Petavius Doct. temp. lib. 9. cap. 68. sq. Tyrios itaque ab Urbe ita dictos, unde toti etiam *Syriae*, olim *Tyriae* dictae, inditum fuisse nomen censet Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. emend., *Syros* antea denominatos, generali nempe Regionis adpellatione, qua de Salmasius in Solinum cap. ult. p. 936, ac Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 12. p. 382. sq., antiquitatis habuisse annos 2300. scripsit Herodotus lib. 1. cap. 44. ex interpret. Vallae p. 51, ita se ab *Herculis* Sacerdotibus Tyri accepisse testatus: quorum tamen Sacerdotum, non secus atque Aegyptiorum, antiquitates supramodum amplificandi suas ambitionis prae aestu gestientium, fluxa valdequam fides, sublestaque nemini non videri nequit. Herodoti tamen locum in mendo cubare suspicatus est Alphonsus de Vignolius in Chronolog. Hist. Sac. T. II. lib. 4. cap. 1. p. 33. sq., ac pro anno 2300, legi oportere 1300, chiliadem unam idest auferendam, existimat: quo sane modo, manuque ita adhibita medica, computum recta incedere. Verius mihi a Tyriis Sacerdotibus origines exaggeratae suae videntur, quam ejusmodi conjecturis indulgendum sit. Videndus tamen Vir doctiss. ibid. p. 17. sqq., ubi de Tyri Urbis auspiciis, situ, antiquitatibus, Regibus, fatis &c. multis affatim, scituque dignis agit.

VIII. Ad

VIII. Ad Mensium, Annique formam quod nunc attinet, Macedonum Annum, Mensesque Tyriis adhibitos fuisse indicat Josephus Antiq. Judaic. lib.8. cap. 2. de *Hiramo* Tyri Rege Salomoni aetate suppari loquens, Menandri Ephesii Phoenicum Annalium interpretis testimonio usus, eosque Menses *Solares* profecto fuisse prodit. Ex quo proinde liquet ab vero longe procul aberrare illos quotquot, qui persuasum habent Orientales fere omnes *Solaris* Anni sibi prius incognitam, inusitatamque, a *Julio* Caesare formam demum accepisse: quod ipsum de Persis, atque Aegyptiis jam vidimus, de Syro-Damascenis, aliisque mox videbimus. Postquam itaque Tyri in *Seleuci* primum Nicatoris, in *Ptolemaei* deinde Philopatoris, ac in *Antiochi* M. demum potestatem devenere, ab anno 3. Olympiadis 140, U. Romae C. anno 536, Christi ante natalem 218, quo ipso bellum II. Punicum cepit, eos Syro-Macedonum Anno, Mensibus, & Aera deinceps usos, atque ab ipsa *Seleucidarum* aetate incepta utique,indubium videtur. Atqui quae Anni forma, quove a Mense capite facto, Tyriis tum adhibenda suscepta fuerit, non una plane Chronologorum opinio est. Scaliger de Emend. temp. lib.5. p. 437. sq. in ea sententia versatur, ut Tyros Annum a Vere cepisse, primum Anno Mensem fecisse *Dystrum*, hujusce diem 1. cum die 22. Martii Juliani concurrisse; Menses tricenarios fuisse cunctos, & ad Anni finem quinque aggregatas *Epagomenas*; eamdemque Damascenis Anni formam, qua de lib.4. p.244. sq., usurpatam fuisse, arbitretur. Contra e veteri Codice Ms. Graeco Anni Tyriorum diagramma edidit Henricus Stephanus in Thesauri Adpendice, in quo Anni familiam ducit *Audinaeus*, claudit vero *Apellaeus*, ille a Januarii Romani die 15. incipit, iste cum Decembris die 18. finit, Menses octo diebus 30. constant, quatuor, a quarto idest ad octavum, diebus 31. Verum illud erroribus scatere demonstratum est Petavio Doct. temp. lib. 1. cap. 29: Annus enim dies eo in laterculo 364. dumtaxat colligit, atque Mensibus dies insunt plures, quam imputati leguntur: *Peritio* II. namque dies 30. dantur, at a die 14. Februarii, qua init, ad Martii diem 18, qua finit, dies 32. intercedunt. *Dystro* III. dies 30. tribuuntur itidem, qui tamen a die

die 18. Martii ad 16. Aprilis dies 29. dumtaxat colligit. Ita *Xanthicus* IV. a die 16. Aprilis ad Maji 18., dies 31. nedum, sed 32. numerat. *Artemisio* V. dies 31. haud tantum, sed imo 35. dandi sunt, quot a Maji 18. ad diem 22. Junii excurrunt. E contra *Daesius* VI. inde ad diem 21. Julii dies non 31, sed 29. dumtaxat colligit. *Panemo* VII. vicissim a Julii 21. ad 18. Augusti dies 28, non vero 31. tribuendi sunt. *Lous* VIII. inde ad Septembris 19. ultra dies 30, computat dies 2. alios. *Apellaeo* XII. denique a 18. Decembris ineunti ad Januarii diem 15. dies 30. non utique, sed 28. tantum adscribendi sunt. Caeterum probabile habet Petavius a Tyriis, aliisque, quibus *Juliani* Anni forma accepta fuit, ab ea die Anno caput factum fuisse, in quam Neomenia primi Mensis incidisset: quod divinando magis, quam adfirmando Viri doctiss. effatum accipi debet.

IX. Ejusdem Graeci Codicis fide suffultus e contra Samuel Petitus Eclog. Chron. lib. 4. cap. 22. eam induit opinionem, ut apud Tyrios Annum ab *Hyperberetaeo*, atque ita, ut hujusce dies 1. cum Octobris die 19. concurreret, incepisse, Mensesque tricenarios habuisse omnes, junctis ad finem anni quinque *Epagomenis*, arbitretur. Ita quoque ab *Hyperberetaeo* Annum Tyrios auspicatos fuisse censet Ricciolius Chronolog. Reform. lib. 1. cap. 20, ita tamen, ut *Hyperberetaei* caput in diem 24. Septembris incidisse putet. Ast enim Norisius de Epochis Urb. Phoenices dissert. 4. cap. 2. edit. Veron. p. 399. sqq. ex Synodo Chalcedonensi Act. 9, ubi gesta apud Tyrum in caussa *Ibae* referuntur, atque Tyriae Epochae annus 574, *Peritii* dies 10, Februarii dies 25. notati leguntur; & ex Synodo Constantinopolitana sub *Menna* Act. 5, ubi gesta apud Tyrum ab *Epiphanio* Metropolita recitantur, atque Tyriorum Aerae annus 643, *Loi* dies 28, ac Septembris dies 16. obsignati habentur, (quae ipsa viderat pridem Valesius in Not. ad Eusebium de Martyr. Palaest.); Mensium, Annique Tyriorum laterculum talem proponit, qualis in Hemerologio Saviliano, ac Mediceo descriptus conspicitur; adeo ut inde potius haustum a Norisio videri posset, nisi Viro doctiss. perspectum illud haud fuisse liquido inde pateat, quod ipsius nullum perinde in aliorum

rum Mensibus, Annisque Populorum usum fecerit. Nisi quod in Hemerologio nostro Tyrii Anni principium a 15. Kalendas Januarii, a Decembris idest die 18, sive juxta Tyrios ab *Apellaeo* repetitur: quod indicio, documentoque, ut alibi dixi, est Hemerologii Scriptorem diversorum Populorum Annos, & Menses ad *Juliani* Anni formam tum ubique fere receptam aptare studuisse; ab Emin. Norisio vero Anni Tyrii diagramma ad Anni formam potius Tyriis ipsis usurpati fuit digestum, ideoque Tyrii Anni cardo a die 1. *Hyperberetaei*, iste vero ab Octobris Juliani die 19. deductus fuit: quod e subjecto magis discere Schemate licet.

MENSES TYRIORUM

JUXTA HEMEROLOGIUM

Απελλαιος	Apellaeus	15. K. Jan.	Δαισιος	Daesius	13. K. Jul.
Αυδιναιος	Audinaeus	16. K. Feb.	Πανεμος	Panemus	13. K. Aug.
Περιτιος	Peritius	14. K. Mar.	Λωος	Lous	13. K. Sept.
Δυστρος	Dystrus	15. K. Apr.	Γορπιαιος	Gorpiaeus	13. K. Oct.
Ξανθικος	Xanthicus	14. K. Maji	Υπερβερεταιος	Hyperber.	14. K. Nov.
Αρτεμισιος	Artemisius	14. K. Jun.	Διος	Dius	14. K. Dec.

JUXTA NORISIUM

I.	Hyperberetaeus	30.	19. Oct.	VII.	Xanthicus	31.	18. Apr.
II.	Dius	30.	18. Nov.	VIII.	Artemisius	31.	19. Maji
III.	Apellaeus	30.	18. Dec.	IX.	Daesius	31.	19. Junii
IV.	Audinaeus	30.	17. Jan.	X.	Panemus	31.	20. Julii
V.	Peritius	30.	16. Febr.	XI.	Lous	30.	20. Aug.
VI.	Dystrus	31.	18. Mar.	XII.	Gorpiaeus	30.	19. Sept.

X. Ex hoc Diagrammate itaque cum a Norisio accurate digesto, tum in Hemerologio Florentino, quod omnium primus ex *Ptolemaei* Tabulis Mss., sive Προχειρους Κανονας Bibl. Mediceae in lucem edidit Johannes Massonius de Anno Solari antiquo, meminitque ipsius frater Samuel Massonus Hist.Crit. Reipubl. Litter. T. I. p. 292. sqq., seu verius ex Codice Ms. adjecto *Theonis* Fastis Consularibus, ex quo eosdem descripsit, edbiditque Dodwellus, ac post ipsum Hadrianus Relan-

dus

dus in Adpendice ad Faſtos Conſulares fratris ſui, e Bibliothecae Florentiae Pluteo XXVIII, in Hemerologio, inquam, deſcripto patet, quod *Peritius* incipit a die 16. Februarii, ideoque *Peritii* dies 10. in Februarii diem 25. incidit, velut a Synodo Chalcedonenſi ſignatum eſt; quodque *Lous* incipit ab Auguſti die 20, ideoque *Loi* dies 28. cum die 16. Septembris concurrit, velut a Synodo Conſtantinopolitana notatum legitur. Jam vero a die 19. Octobris ad diem 25. Februarii dies 130. intercedunt, e quibus Menſes quatuor dierum 30, & quinti tertia pars efficiuntur, atque ita ut tertia pars illa quinti Menſis, ideſt dies 10. *Peritii* in diem 25. Februarii incidat. Rurſus a die 26. Februarii ad diem 16. Septembris dies ſunt 203, quot nempe a die 11. *Peritii* ad diem 28. *Loi* excurrunt, ſuppoſitis *Peritio* dierum 30, quinque vero Menſibus ante *Loum* dierum 31. ſingulis. Denique a die 17. Septembris ad diem 18. Octobris dies 32. numerantur, quot nempe habentur a die 29. *Loi* ad diem 30. *Gorpiaei* ultimi Menſis. Atque ita ex diebus 130, deinde 203, ac denique 32. fit Annus *Solaris* dierum 365, Juliano aequatus, a Tyris adhibitus. Falſum eſt itaque a Tyriis Annum fuiſſe dierum 360. uſurpatum; falſum Menſes Tyriorum fuiſſe omnes dierum 30, quod perſuaſum Scaligero, ac Petito fuerat; falſum item *Hyperberetaeum* incepiſſe a die 24. Septembris, veluti Ricciolius opinatus eſt; falſum apud Tyrios Annum dierum 364. fuiſſe, quod imaginatus eſt Georgius Hieronymus Velſchius in Not. ad Tabulas Aequinoctiales novi Arabum, & Perſarum anni p.48; falſum denique Annum Tyrios auſpicatos fuiſſe a *Dyſtro*, ſive a Verno tempore, uti Scaliger opinatus eſt. Tyria namque Synodus in cauſſa *Ibae* habita anno 574. dicitur, qui ſententia ipſius Scaligeri fuit Aerae Chriſtianae 448, (infra etſi Chriſti fuiſſe annum 449. oſtendetur), Annus vero 643, quo habita legitur altera Tyria Synodus ab *Epiphanio*, cum Aerae Chriſtianae anno 518. concurrit. Atqui ſi primus Tyriis Anni Menſis fuiſſet *Dyſtrus*, anno Chriſti 449. dies 10. *Peritii* in Tyriorum Annum 575. incidiſſet, & Chriſti anno 518. dies 28. *Loi* in Tyriorum incurriſſet annum 645: nam anno Chriſtianae Aerae 448. additi anni 70. efficiunt annos Chriſti 518; rurſus anno

575. Tyriorum additi itidem anni 70. efficiunt annos 645. Igitur in Scaligeri hypothesi biennium abundat; videndusque Norisius cit. differt. cap.3. p.408, ubi totum id luculenter, dilucideque confirmat.

XI. Jam vero Tyriae Aerae Annum 574. notatum a Synodo Tyri habita in caussa *Ibae* Edesseni in Aerae Christianae Annum 449. incidisse, contra Scaligerum pro Christi anno 448, quocum Tyriorum Annum 574. copulandum opinatur, pugnantem ostendere pergit Norisius cap. 4. p.422. sqq. Nempe is Annus 574. ibidem notatur etiam *Indictione*, & Anno *Post Consulatum Flavii Zenonis*, ac *Postumiani*; quas utique notas esse Anni Christi 448. vult Scaliger, anni 449. sic ostendit Norisius. Nempe *Flavium Zenonem*, atque *Rufium Praetextatum Postumianum* Consulatum gessisse Aerae Christianae anno 448. liquet ex Fastis, atque Synodo Constantinopolitana sub *S.Flaviano* Act. I. in Synodo Chalcedonensi Act. I. repetita: Formula vero *Post Consulatum* indicari annum, qui proxime sequutus est, idest Annum 449, liquet ex Synodo Latrocinali Ephesi hoc ipso anno 449. habita, in qua cum *Theodosii* Imper. Divalis ad Dioscorum, tum ejusdem Synodi Acta hac ipsa Formula *Post Consulatum Flavii Zenonis*, & *Postumiani* signata leguntur. Quin etiam Formula ista *Post Consulatum* in Fastis, apudque Scriptores Annos plerosque designari post Aerae Christianae annum 309, qui Annus in Fastis I. *Post Consulatum M. Aurelii Valerii Maximiani Herculei* 10, & *C.Galerii Maximiani* 7. notatur, insequens vero Annus 310. in Fastis 2. *Post Consulatum* ejusdem *M. Aurelii Valerii &c.* 10, ejusdemque *C. Galerii* notatus itidem legitur, consuevisse p.424.ostendere pergitNorisius,qua de re opportuniori alio nobis in loco agendum erit. Idque nunc obiter indicare sufficiet in Fastis Consulares Annorum notas AeraeChristianae anno 541. cum *Flavii Basilii Junioris* Consulatu finiri, post quem Annos deinceps quatuor supra viginti signari Formula *Post Consulatum Basilii* anno 1. 2. 3. &c. usque ad 24, sive Aerae Christianae 565; post quem Anno Christi nempe 566. Consul fuit *Flavius Justinus Junior*, cujus *Post Consulatum* perinde Formula signantur Anni sequentes 12. usque ad Christi annum 579; quo Con-

Consul audivit *Tiberius Constantinus*, cujus *Post Consulatu* tres sequentes Anni notati sunt usque ad Christi annum 583, quo *Mauritius* Aug. Consulem egit, ejusdemque *Post Consulatu* Anni 8. sequentes usque ad Aerae Christianae annum 591. obsignati leguntur, indeque rursus *Consulari* nota 1. 2. 3. &c. ejusdem *Mauritii* designantur Anni 11, idest usque ad Aerae Christianae annum 603, quo *Phocas* cum Imperio Consulatum arripuit; post quem Formula *Post Consulatum Phocae* denotati habentur Anni 7, usque ad Christi annum 611; quo *Flavius heraclius* Consul exivit, indeque ab anno 612. usque ad 642. per annos 30. eadem Formula *Post Consulatum Heraclii* cucurrit. Is vero Annus 642. notatus est *Constantis Augusti* Consulatu, ejusdem vero *Constantis Post Consulatu* designati leguntur sequentes Anni 26. ab anno nempe Christi 643. ad annum 668: quo demum anno in Fastis *Consulares*, & *Post Consulares* annorum notae desiere, nec usu deinceps Scriptoribus venere. Scriptoribus etsi plerisque jam ab Anno 24. post Consulatum *Flavii Basilii Junioris*, idest ab Aerae Christianae anno 565. finem ejusmodi Notae accepisse visae fuerint. Denique, ut ad Norisium redeam, hinc cum Baronio ad annum 448, ac Petavio Doct. temp. lib. 13. in Chronolog. ad Aerae Christianae annum 448. edit. Ven. 1757. T.II. p.454. sq. ceteros emendandos Conciliorum Collectores Vir Cl. admonet p.425, quibus Synodus Tyria in Caussa *Ibae* Christi anno 448. habita visa est, haud attendentibus nempe ad Epochae Tyriae Annum 574. in Synodi Actis signatum, quem cum Aerae Christianae anno 449. concurrisse Viro doctiss. hactenus demonstratum est. Cui sane utroque subscribere pollice haud ambigens Pagius ad annum 448. n.9. sqq. Annal. Ecclest. Baronii T.VII. edit. Lucens. p.630. sqq. multis id ipsum argumentis confirmare satagit.

XII. Ad Sidonios, qui Tyris primum imperantes, ut qui pote Tyrum ipsam fundarunt, apud Josue XIX. 28. sq., ac Justinum lib. 18. cap. 3, ipsorum postea subire jugum compulsi leguntur apud Scriptorem III. Reg. V. 1, ac Josephum lib. 9. cap. ult., modo sermo nos vocat, quorum in antecessum origines paucis attingere praestat. *Sidon* itaque, Urbs in Phoenice vetustissima, *Jacobo* Patriarchae Gen. XLIX. 13. memora-

ta, perampla, & Mari quammaxime potentiſſima, Joſue xi. 8., de *Sidonis* filii Chanaam, *Noachi* nepotis Gen. x. 15, a quo condita fuerit, nomine dicta fertur apud Joſephum Antiq. Jud. lib. 1. cap. 7, & S. Hieronymum in Gen. quaeſt. 10. Etſi Juſtino a Piſcium, qui Phoenicia *Sidones* voce dicebantur, copia ita dicta *Sidon* viſa ſit: quae ſane interpretatio magis ad ſaporem fecit Marshamo in Canon. Chron. Seculo xi. p. 304. ſq., Bocharto in Phaleg, ſive Geog. Sac. Par. I. lib. 4. cap. 35. p. 302. ſq., Clerico Comm. in Gen. x. 15. p. 97. &c., ideo quod Hebraice *Said* eſt *Piſcatio*, unde *Bethſaida* in Galilaea Oppidum quaſi *Piſcatorum Domus* eſt dicta. Fundatam a Sidoniis fuiſſe Tyrum ſupra diximus, teſtimonio ducto ex Iſajae xxiii. 12, ubi Sidonis filia Tyrus vocatur, ac Juſtini lib. 18. cap. 3, ubi explicite ita tradit: atque ita locum Iſajae vulgo accipi Interpretibus ſolet, Marshamo, Bocharto loc. cit., Clerico ad hunc Iſajae locum p. 118; Relandum vero Palaeſt. illuſt. p. 1048. eo ab Iſaja titulo *Sidonem* ipſam deſignari putantem inſigni prae aliis Ezechielis xvi. 46. ſqq. loco, ubi Jeruſalem ſorores tam Samaria, quam Sodoma explicite nuncupantur, refellit De Vignolius Chron. Hiſt. Sacr. T. II. lib. 4. cap. 1. p. 19. In Nummis porro Sidone percuſſis apud Haymium Theſau. Britan. T. I. p. 53. ſq., Vaillantium de Num. Colon. T. II. p. 129, Harduinum in Num. Popul. illuſt. p. 155. ſq., & in Chron. Vet. Teſt. p. 599, 601, 609. ſq., Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 51, 105, 108, & 113, 115, & 117. &c. cum Capite Muliebri Velato, ac turrito, quod Urbis ſuo utentis jure eſt indicium, aut cum *Europae* Tauro vectae effigie, legitur epigraphe Σιδωνος Θεας, *Sidonia Dea*. Ea porro *Europae* figura Indigenas vultu decoros, ac ſimul viribus eſſe robuſtos, eoque *Deae* titulo Urbem eſſe nobilem, & antiquam indicari Harduinus ſuo pro ingenio putat. Verum a vulgari opinione, qua de Haymius loc. indic., ac De Wilde in Select. Num. Tab. xxxvii. p. 55. ſq., haud recedendum cenſeo, egregio Luciani de Dea Syria teſtimonio ſuffulta; quo nempe loci Sidoniis Deam *Aſtartem*, quam ipſe *Lunam* exiſtimat, eximie cultam, eique nobile dicatum Templum memorat, ex Sacerdotum fide tamen Deam illam *Europam* eſſe *Agenoris* filiam, *Cadmi*, atque *Phoenicis* ſoro-

ſororem a *Jove* raptam, eamque in Urbis Nummis exprimi ſubjungens. Adhaec Reges ab initio proprios habuiſſe & ipſa Sidon legitur, in quibus familiam duxiſſe *Sidon* Chanaani filius videtur. A *Phoenice* deinde genere Aegyptio, unde Regioni nomen inditum, fundatum *Sidone* fuiſſe regnum fertur Apollodoro lib. 2. p. 71, Q. Curtio lib. 4. cap. 4, ac Euſebio in Chron. edit. Vallarſii p. 214, ubi factum id *Abrahami* anno 550. legitur, luxatum tamen eſſe locum, idque referendum ad annum 611. conjicit Vallarſius ibidem in Notis, ad annum vero 559. Scurzfleiſchius; verius factum id haud procul ab Aerae *Atticae* anno 1255, qui Chriſti ante natalem fuit annus 1519; quo a *Cadmo* fratre *Phoenicis* Thebis Cadmaea condita legitur in Lapidibus Arund. Epocha VII, arguit De Vignolius loc. cit. p. 31. Trojana ſub haloſi Sidone regnaſſe *Phalis*, ab eoque in belli ſocietatem ut adduceretur *Sarpedon* Libyae Rex, conatus adhibitus omnis traditur Homero Odyſſ. 8. Sidonis Regis deinde Oratorum ad *Sedeciam* delegatorum mentio fit Hieremiae XXVII. 3, tacito ipſius tamen nomine. Longe celebrior eorum, qui ſub Perſarum imperio uſque ad *Alexandrum* M., a quo demum Sidonis regnum exciſum fuit, Sidone regnarunt fama ad nos pervenit, queis de ſiquidem Articulo II. p. 183. dictum, quatenus operae ferebat pretium, fuerit, ad Sidoniorum proinde Menſes, Annique formam noſtram properare orationem oportet.

XIII. Ex quo itaque Sidonii *Ptolemaeis* Aegypti, atque *Seleucidis* perinde Syriae Regibus obnoxii eſſe cepere, haud dubium eſt, quin & ipſis Seleucidarum cum Epocha, tum Anni ratio accepta fuerit. De Aera docent abunde nos Nummi Sidone cuſi, queis de ſupra dictum, dicendumque rurſus alio, ubi de Veterum Populorum, & Urbium Epochis, recurret. Quod ad Anni formam attinet, in Codice Mſ. tam Saviliano apud Uſſerium de Anno Solari Maced. cap. 4. ad calcem Annal. Vet. Teſt. p. 102, quam Mediceo apud Joh. Maſſonum de Anno Solari Antiquo, ac Lamium Novell. Letter. anno 1748. n. 1, & 17, in quo Variarum Gentium, uti diximus, Menſes Romano-Julianis aequiparati leguntur, ita diſpoſiti videntur Sidoniorum Menſes, ut *Dius* ita comparetur Januario, ut ab eadem

dem die 1, ſive a Kalendis uterque incipiat. Quò fit, ut altera prorſus a Tyriis, queis, obſervante Noriſio, *Apellaei* diem 15. cum die 1. Januarii concurriſse vidimus, Anni forma Sidoniis uſurpata fuerit: quod magis e ſubjecto intelligi Schemate dabitur, e Mediceo deſcripto Hemerologio.

MENSES

SIDONIORUM.

Διος	Dius	31.	Kalend.	Januarii
Απελλιος	Appellaeus	28.	Kalend.	Februarii
Αυδναιος	Audinaeus	31.	Kalend.	Martii
Περιτιος	Peritius	30.	Kalend.	Aprilis
Δυστρος	Dyſtrus	31.	Kalend.	Maji
Ξανθικος	Xanthicus	30.	Kalend.	Junii
Αρτεμισιος	Artemiſius	31.	Kalend.	Julii
Δαισιος	Daeſius	31.	Kalend.	Auguſti
Πανημος	Panemus	30.	Kalend.	Septembris
Λωος	Lous	31.	Kalend.	Octobris
Γορπιαιος	Gorpiaeus	30.	Kalend.	Novembris
Υπερβερεταιος	Hyperberetaeus	31.	Decembris I.	

XIV. Ex hocce porro Diagrammate, in quo Menſes apud Sidonios ita cum *Julianis* apud Romanos comparati leguntur, ut a Menſium Romanorum Kalendis ſinguli Menſes Sidoniorum incipiant, totidemque ideo, atque *Juliani* diebus conſtent, liquido adparet Graecum Hemerologii Scriptorem magis quam ad Sidonii, ad Juliani Anni rationes attendiſſe, atque ad hunc magis illum attemperare voluiſſe. Siquidem vero Syris univerſis ab Autumno inciperet Annus, inde perſpicuum fit Sidonios quoque ab Autumno Annum auſpicantes, a *Dio* Anni initium haud inchoaſſe. A quo inchoarint, an a *Gorpiaeo*, an a *Loo*, in

in obſcuro prorſus latet, atque Monumenta deſunt, quibus obſcurae huicce rei lux accendatur. Suſpicari licet attamen apud Sidonios, non ſecus atque apud Lycios, queis eamdem frequentatam Anni formam infra videbimus, immutatas fuiſſe poſtmodum Anni rationes, retentiſque, velut Antiquitatis reliquiis aliquot, veterum Syro-Macedonum Menſium nominibus, ad Anni *Juliani* formam Annum deinceps exigendum ratos cum Sidonios, tum etiam Lycios, Anni caput *Dium*, exemplum Aſiae Minoris Urbium, quae ab eodem *Dio* Annum deinceps auſpicari delectatae ſunt, ſequutos, conſtituendum & ipſos duxiſse, atque ita quidem, ut dies 1. *Dii* exacte deinceps Kalendis Januariis in Anno *Juliano* reſponderet: atque hanc utique Anni aequationem ſequutum in Hemerologio ſuo fuiſse Codicis Saviliani, ac Medicei Scriptorem nuperum Graecum. Niſi ea ſuſpicio etiam ſubſit, quominus Graeco Scriptori Hemerologii noſtri Anni Sidoniorum forma comperta fuerit, ideoque numeralis, atque individua Kalendarum nota, ſive dierum fuerit pretermiſsa; iſtaque ſubintelligenda perinde ex Tyriorum Menſium ordine ſit, Annique ſerie. Aradiis, quandiu Syro-Macedonum imperio fuerunt obnoxii, eadem, quae veteri Syro-Macedonibus uſu fuerat, Anni formam & ipſis fuiſse uſurpatam haud dubium eſt. Ex quo vero Syriae Regum excuſso jugo, in Romani ſe Populi clientelam Aradii contulere, nova cum Aera, quam ab anno Seleucidarum 52, ante Chriſtianam Aeram 261. deducendam ex Nummis *Domitiano*, *Trajano*, *Hadriano*, *M. Aurelio*, *L. Vero*, *Caracallae &c.* Aradi ſcalptis contendit Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p.582., triennio vero retardandam opinatus eſt Noriſius de Epochis Syromaced., qua de re ſuo alibi loco; nova quoque ad Romanum attemperata Anni forma Aradiis admiſſa videtur. Alterutram vero ex hiſce Tripolitis acceptam fuiſſe arguere inde fas eſt, quod originem ſiquidem Tyriis, Sidoniis, & Aradiis ſuam Tripolitae debeant, veluti teſtatam rem faciunt Scylax in Periplo p.99, Diodorus lib.16. cap. 41, Strabo lib.16. p.519, Pomponius Mela lib.1. cap.12, Plinius lib.5. cap. 20., ac Stephanus de Urb. edit. Holſt. p. 330., ab horum alterutris Anni quoque formam accepiſſe profecto Tripolitae putandi ſunt.

XV. Re-

XV. Restat, ut de Syro-Damascenis, sive Damascenis paucis, quoad ejus fieri potest, dicamus, utique prolixe dicturi, quum de Veterum Populorum, & Urbium Epochis sermo nobis incidet. Atque Damasci quidem nobilissimae in Syria inter Libanum, & Antilibanum Urbis, conditor *Arami* primogenitus *Uts*, quo de Gen. x.23, fertur JosephoAntiq.Jud. lib.1. cap.7, quocum faciunt Bochartus in Phaleg, sive Geog. Sac. Par.I. lib.2. cap.8. p.80, & Joh. Clericus Comm. in Genes.xiv. 15. p.126. Atque hinc fit, ut Damascena Vallis, quae fuit olim Πολυώνυμος, Hebraeis idest dicta variemode חובה *Hoba* Gen. xiv.15, און *Aven*, & בית·עדן *Bet-Eden*, hoc est *Domus Voluptatis* Amosi 1.5, הדרך *Hadrac* Zacchariae ix.1, hodiedum Arabibus עוט *Gaut*, sive עוטה *Gauta*, & cum Articulo אלעוטה *Algauta*, derivato nempe ab עוץ *Utz* nomine, denominari soleat, uti testes accedunt locupletes Arabs Geographus Clim.3. Par.V, Hierosolymitanus Paraphrastes in Gen.xiv.15, ac Jonathas in Num.xxxiv.6, ubi Gen.x.23. Arabs Interpres pro עוץ *Utz* habet אלעוטה *Algauta*. Videndi quoque La Rocque Itin. Syr. T.II. p.299. sq., Baratierius in Not. ad Benjamini Tudel.Itin. T.I. cap.10. p.115. sq. &c. Arabibus Scriptoribus nonnullis Damascum conditam a *Demschaco*, filio Chanaami, ab eoque tulisse nomen, ferri; aliis vero longe plurimis Urbis conditorem fieri *Abrahamum*, eique de famulo *Eliezere*, qui *Damascus* cognominatus legitur Gen.xv.2, factum nomen, refert Herbelotus Bibl. Orient. p.282. sq., ac p.291, Scriptoribus inter alios allegatis Sojouthi in Azhar al Orousch, Auctore libri Al Thiraz Almancouse Mohammedano Hegirae anno 991, Aerae Christianae 1583. exarati. Damasco vicissim a *Baccho*, postquam *Lycurgum*, ac ceteros Arabes comites vino domuisset, nomen impositum fuisse; alios vero ferre Urbem a Gigante quodam, *Asco* denominato, ibique domito a *Jove*, nomen accepisse refert Damascius in vita Isidori Philos. apud Photium Cod.242. p.1062, cum quo facit & Stephanus de Urb. edit. Holst. p.90. sq. Quò sane respexisse videtur Julianus Apostata in epist.24. ad Sarapionem p.145, ubi Damascum Urbem Διὸς Πόλιν *Jovis Urbem* adpellat, ob victoriam nempe de Gigante *Asco* ibi reportatam, qua de Tzetzes ad Dionysium p.113, ac

ac Ἱερὰν etiam *Sacram*, quo ſane titulo inſcripta legitur in Nummis *Caracallae*, *Helagabalo*, *Severo Alexandro* &c. cuſis apud Patinum p.308, & 334, Triſtanum T.II. p.238. Holſtenium in Not. ad Stephanum loc. cit., Harduinum in Num. Popul. illuſt. p.48. &c.

XVI. Jam vero haud dubium eſt, quin una cum Syris aliis, Damaſcenis etiam, Syro-Phoenicibus aliàs denominatis S. Juſtino in Dialogo cum Tryphone §.78. edit.Ven. p.176, ac Tertulliano adverſ. Judaeos cap.9, Damaſco nempe Phoeniciae, novae Provinciae a Syria diſtractae, ab *Hadriano* adjudicata, Syro-Macedonum, ex quo poſt *Alexandri* M. obitum, ipſorum ſubire jugum compulſi fuere, cum uſurpatos fuiſse Menſes, tum uſu Anni formam veniſse. Poſtquam vero Damaſceni anno Seleucidarum 231, ante Chriſtianam Aeram 84. in *Aretae* II, qui Arabiae veteri regno, in quo regnaſse *Aretas* I. dicitur Scriptori lib.2. Macchab. cap. 5. 8, *Aretae* III. perinde mentio fit S. Paulo II. Corinth.xi. 32, Caeleſyriam adjunxit, quo de loquitur Joſephus Antiq. lib.14, cap.1, & de Bello lib.1. cap.6, cuique Damaſci ſcalpti conſpiciuntur Nummi apud Harduinum in Chron. Vet. Teſt. p.587, & 599, Morellium, Froelichium Annal. Syr. Reg.p.115.&c., poteſtatem devenere, quo de novo dominio Joſephus Antiq.lib.13.cap.15; Arabici & ipſos Anni formam admiſiſſe, veteri abolita, captoque a Verno *Aequinoctio* Anni exordio, auctor eſt Simplicius in Comment. ad Ariſtotelis Phyſic. lib.5, Seculi V. Scriptor juxta Jonſium Hiſt. Peripat. diſſert.1, verius Seculi VII juxta Morhofium in Polyhiſt. Litter. Philoſ. T.II. lib.1. cap.9. p.49. Arabum itaque, vicinorum Arabiae ideſt Petreae Incolarum, Menſes, Annique formam, qualis a S. Epiphanio Haereſi LI. *Alogorum* deſcribitur, admiſiſſe Damaſcenos etiam, ſive hoſce potius illis tradiſſe, autumant Scaliger de Emend. temp. lib.4. edit. Genev. p.244. ſq., Noriſius de Epochis Seleucid. diſſert.2. cap.2. §.2. edit. Veron. p.94. ſq., ac Longuerue de Var. Epochis cap.2. §.21. p.75. ſq.; ita nempe, ut *Angalthabait* ab Octobris die 18. inciperet, & *Aleon* a die 17. Decembris. Verum ſub *Areta* Rege, cui parere deinceps cepere, priſtinum Syro-Macedonici Anni caput ab Autumno captum a

Damaſcenis immutatum fuiſſe,& ad Vernum tempus retrotractum ex Simplicio arguit Scaliger, eoque loci veri habet etiam ſimilius Noriſius,quocum conferendus item Petavius in Not.ad S.Epiphanium Oper.T.II.p.138,ubi de Arabum, ſive Damaſcenorum Menſium cum Julianis concurſu eadem docet. Arabum adhaec nomine, quibus in Hemerologio Saviliano, ac Mediceo Syro-Macedonum Menſes, ad *Juliani* Anni rationes aequati, adſcripti leguntur, haud Arabiae proprie Incolas, ſed Arabiae finitimos, Arabum imperio ſubjectos, atque Arabiae perinde adcenſitos venire Chalcidenſes, Dorenſes, Tripolitas, Beroeenſes, Philadelphios, Geraſenos, Boſtrenſes, Damaſcenos &c. haud dubium videri debet: quibus omnibus xvi. Kalendae Januariae cum *Audinaei* die I. compoſitae in Hemerologio noſtro leguntur. Quò fieri videtur, ut hiſce olim Anni caput eſſet aut *Hyperberetaeus* a xiv. Kalendas Octobris inceptus, aut *Dius* a xv. Kalend. Novembris auſpicatus, veluti de Tyriis, ac Sidoniis dictum eſt; poſtea vero Anno factum auſpicium fuerit a *Xanthico* cum xi. Kalend. Aprilis compoſito; atque hocce de argumento hactenus.

DE

D E

MENSIBUS, ET ANNIS

Ponticorum, Laodicenorum, Pisidarum, Carurorum, Phrygiorum, Cappadocum, Bithynorum, Constantinopolitarum &c.

ARTICULUS VI.

I. QUAE ab Haly amne, quo Paphlagonia finitur, usque ad Colchos perampla patet Regio, a Ponto Euxino, supra quem sita est, nomen accepit, & ipsa Pontus adpellatur. Ita vero tres in Regiones Pontus est divisus, ut qui ab occasu Galatiae contiguus erat *Pontus Galaticus*; qui medium inter utrumque occupabat locum, *Pontus Polemoniacus*, de Regis, quem M. Antonius instituerat, *Polemonis* nomine; quique inde in ortum ad Colchos usque proferebatur, *Pontus Cappadocius* dictus sit: qua de Ponti divisione plura Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 8. p. 285. sq. Duos porro, a Macedonicis prorsus diversos, in Ponto Menses divino in honore fuisse habitos, atque locum in Pontico Anno habuisse ex Strabone lib. 12. edit. Casaub. Paris. 1620. p. 557, & 580, Amstel. 1707. p. 835, & 869, si vere tam ejusdem assequutus sententiam est, colligere sibi visus est Lilius Gyraldus de Mensibus Oper. T. II. p. 789. Nempe auctor est Strabo Ponticis Mensem alterum *Pharnacem* fuisse, nomine a

Pharnace Rege, Avo *Mithridatis* ultimi, a Romanis devicti, patre *Mithridatis Evergetae*, Romanorum in Punico bello socii, a quo condita etiam Urbs, suoque de nomine *Pharnacia* adpellata fertur, qua de Cellarius loc. cit. p.275, derivato; alterum vero Mensem ex loco, ubi Templum ei dedicatum fuerat, nomen tulisse. Quo sane loci a Strabone ipsum Mensem fuisse designatum, unde Mensis etiam nomen loco, ac Templo illi fuerit inditum, suspicatus Harduinus est in Num. Popul. illust. p.18, & 170. Contra vero Soucietus in Hist. Chronolog. Pythodoris Reginae Ponti §.59. p.40. sq. non a Mensis nomine locum, ac Templum, bene vero a Templi, ac loci nomine Mensem Straboni designatum fuisse putat; qui locus, ubi Templum Mensi dicatum fuerat, quo de Strabo ibi loquitur, *Ameria* erat, ideoque Mensis ille *Amerius* inde dictus fuerit. Inde haud procul vero in loco *Cabiro*, post a *Pompaeo* instaurato, ac *Diospoli* nuncupato, a *Pythodori* Regina exornato, ac Regali pro sede delecto, ideoque *Sebaste* denominato, quo de Cellarius p.281, Templum *Pharnaci* Mensi quoque dicatum erat; cui multos oppido Ἱεροδούλος addictos addit Strabo; quo simili nomine in *Antipa* Herodis magni Avo *Aedituum* significatum opinatus Basnagius emendatus est a Cupero epist.2. ad ipsum Epist. Crit. Hist. Litter. &c. p.393, Sacerdotes Templo addictos eo importari nomine recte censente.

II. Duos adhaec Menses alios divino in Asia habitos fuisse in honore refert Strabo lib.12. edit. Paris. Casaub. p.557, 577, & 580, edit. Amst. p.835, 865, & 869. Apud Antiochiam Pisidiae nempe Mensis alter, a loco denominatus Ἀρκαῖος *Arcaeus*, sive Ἀσκαῖος *Ascaeus*, usurpatus traditur; cujusce Mensis Fano multos itidem addictos fuisse Hierodulos, Fanum vero illud post *Amynthae* obitum eversum fuisse subjungit: Κάρος *Carus* vero Mensis alius a loco ita dictus, ubi Templum maxima apud Laodicenos, & Caruros in veneratione extitisse scribit, Populis adhibitus hisce indicatur. Et Antiochiae Pisidiae, Tiberiade, in Samos Insula, Ancyrae in Galatia, Juliopoli in Bithynia, Gabe, Carrhis, Magnesiae ad Maeandrum, Nysae in Caria, Saettene in Lydia, Sibindis in Phrygia, alibique certe Mensem sub Dei *Luni* effigie in honore fuisse habitum ex Num-

Nummis hacce *Lunae* figura, inscriptioneque Μὴν *Mensis* insignitis, atque passim Imperatoribus Hadriano, Antonino Pio, L. Vero, Septimio Severo, Antonino Caracallae, Juliae Mamaeae &c. inscriptis apud Patinum p.58, & 218, Harduinum in Num. Popul. illust. p.17, sq., 61, 74, 80, 97, 126, 147. sq., 153, & 170, Vaillantium, & Cuperum Antiq. Graec. T.II. edit. Ven. p.2. &c. adparet. Ubi vicissim *Phaetonti*, hoc est *Soli*, dicatum olim ab Antiochenis fuisse Mensem arguit Cuperus, contra *Lunae* Harduinus autumat. Ast enim Huetius in Epist. ad Bochartum Collect. Tilladeti T.II. edit. Florent. 1738. p.199. sq. Μηνη hocce loci derivare non dubitavit ab Hebraeo מני Isajae LXV.1, quod idem putat cum *Meni* Hieremiae LV.27, ut vertit Chaldaeus Interpres; atque *Meni* voce sane *Daemonem*, sive *Genium*, aut *Lunam*, sive *Solem* designari censet, ut inde, ex *Meni* מְנִי idest, derivatus Μὴν apud Graecos, hoc est *Genius* videatur, ex *Mene* detorto vero dicti Μῆνες, Aeolice Μᾶνες sint, unde Latinorum *Manes*, hoc est *Genii* ortum duxerint. Itaque Templum illud *Meni* sacrum, *Lunae*, aut *Soli* fuisse sacratum intelligi oportere Vir doctiss. opinatur: juxta Astrologorum siquidem placita, *Fortunae*, atque *Genii* sortes in potestate *Solis*, atque *Lunae* repositae putarentur. Jungit Vir Cl ex Jamblico in vita Pythagorae lib.1. *Menem* illum, cui *Gallum* esse sacrum existimabat Pythagoras, ipsum esse *Solem*; indeque conflatum *Armeniae* fuisse nomen ex הר-מני *Ar-Meni*, idest *Monte Meni*, nempe *Monte Soli* sacro, cujusce siquidem cultui deditissimae Gentes erant, arguit; atque ita quoque *Tauromenio* in Siciliae litore Urbi a תוה-מְנִי *Tauh*, quod *Mons* est, ac *Meni*, quod est *Sol*, adhaesisse nomen existimat, ideo quod ibi Mons *Soli* olim Sacer esset; quod ibidem Aram habuerit *Apollo Archagetas* Dux, & Auctor Coloniae illuc deductae; quodque ibi pascentes Boves *Soli* sacras quum rapuissent *Ulyssis* socii, ut est in Odyssaea, *Solis* in se vindictam experti sint.

III. Priores jam vero duos Ponticis usurpatos Menses, velut ex Strabone arguit, *Pharnacem* idest, & *Amerium* in Nummis *Pythodoris* Ponti Reginae duobus *Zodiaci* signis *Libra*, & *Capricorno* designatos fuisse apud Froelichium in Num. Antiq. cap.10. p.206. sq., Harduinum in Num. Popul. illust. p.139.

p.139, Khevenhullerum in Regum Vet. Numifin. p.150. ſq., exiſtimat Soucietus Hiſt. Chron. Pythodoris §.59. p.40. ſqq., ideoque *Pharnacem* ab *Aequinoctio* Autumnali, ab Hyberno vero *Solſtitio Amerium* incepiſse, reſpondiſseque Septembris diei 22. primum, atque ſecundum diei 21. Decembris, duobus nempe punctis Cardinalibus: quo fit, ut poſteriores duos duobus aliis punctis Cardinalibus reſpondiſse Menſes *Arcaeum*, & *Carum* ideſt, atque unum ab *Aequinoctio* Verno, ab Aeſtivo *Solſtitio* alterum incepiſse, ac ita *Arcaeum* diei 19. Martii, *Carum* Junii diei 20. reſpondiſse, arguere fas ſit. Verum potius quam duorum ſigna fuiſse Menſium, duorum Ponti, & Cappadociae Regnorum, queis *Pythodoris* una ſimul praerat, fuiſse ſymbola duo illa *Zodiaci* ſigna crediderim, ſive aliud quidpiam, quam Menſes indicaſse. Atque ita profecto haud Menſes utique ſignificabant *Aries* in Nummis Sebaſte in Galatia, Aeginae, & Samaene in Cephalenia apud Froelichium in Num. Antiq. cap.2. p.22. ſq., cap.6. p.110. ſq., & cap.11. p.233. Ita neque *Luna*, ſive Deus *Lunus* in Nummis *Caracallae* apud Vaillantium de Colon. p.36, De Wilde Num. Select. Tab.xxv. p.34, ac Regum Syriae apud Froelichium Annal.Syr. Reg. p.75. Ita neque *Scorpius* in Nummis Regum Commagenes apud Haymium Theſ.Britan.T.I. p.116.ſqq., & Froelichium Antiq. Num. cap.10. p.215. ſq. Ita neque *Leo* in Nummis Samoſatae, atque Regum Macedoniae, Cariae, Paphlagoniae, & Galatiae apud eumdem Froelichium Antiq. Num. cap. 6. p.110, cap.7. p.129. ſqq., ac p.135, & cap.9. p.197. ſq. Ita neque *Taurus* in Nummis *Cleopatrae* Uxoris *Antiochi* VII. *Evergetis* apud Froelichium Annal.Reg.Syr.p.81.ſqq. Ita neque *Piſces* in Nummis Sibiritarum in Creta, & Athenienſium apud eumdem Num.Antiq.cap.6.p.114, & cap.11 p.239. Ita neque *Capricornus* in Nummis Regum Commagenes, & Mauritaniae apud eumdem Froelichium Num.Antiq.& cap.10. p.216, 219. ſq.; in Nummis *Auguſti*, & *Veſpaſiani* apud Harduinum in Num. Popul. illuſt. p.185; & in Nummis *Gordiani*, ac Siciliae apud Vaillantium Colon. T.I. p.58, & T.II. p.209. Quemadmodum ergo Graecis Menſis dies tertium *Minervae*, quartum *Herculi*, ſextum *Dianae*, ſeptimum *Apollini* &c., Latinis quoque

Men-

Menſes ſingulos certis ſymbolis Diis fuiſſe dedicatos ex Kalendario Caeſareo Vindobonienſi, Romano veteri Faſtis Ovidii praefigi ſolito Antiq. Rom. T. VIII. p.9. ſqq., geminoque altero Graeco, & Romano apud Gyraldum Oper. T.II. p.826. ſqq., atque Dempſterum in Paralip. ad Roſini Antiq. Rom. lib.4. cap.4. p.341. ſqq. intelligere fas eſt; ita Menſis nomine eo apud Strabonem loci Ponticis, Laodicenis, Piſidis &c. non Anni partem utique, bene vero *Lunam* veniſſe, cui nempe Templum aedificatum fuerat, ejuſque in honorem inſtituti fuerant Sacerdotes, velut olim apud Albanos, atque in Phrygia eidem *Lunae* conſtructa fana, recte ex recta Strabonis ſententia obſervarunt cum Strabonis Interpres Antonius Macinellus cit. lib.12. p.104, tum etiam Eduardus Corſinius Faſt. Atticor. T.II. diſſert.14. p.471. Quò fit proinde, ut Ponticis, Laodicenis, Piſidis, Caruris, Phrygiis, Apamaeis, finitimiſque Populis aliis, nonniſi Syro-Macedonum adhibiti Menſes, ad Juliani deinde Anni rationes attemperati, fuerint.

IV. Ad aliarum modo Gentium, quibus peculiaris Anni diſtincta forma uſurpata eſt, atque a Syro-Macedonibus prorſus diverſi Menſes adhibiti ſunt, deflexo ſtylo, primo ſe nobis offerunt loco Cappadoces. Atque hi quidem e Syris oriundi, idcirco Syro-Cappadoces Herodoto lib. 1. cap. 72, Leuco-Syri Plinio lib.6. cap.3. denominati, Medorum primo, ſub Perſarum ditione poſtea degiſſe traduntur Herodoto. Quò factum videtur facile, ut quae Medis, ac Perſis uſu fuerat eadem & Cappadocibus accepta fuerit Anni forma: cur vero ea ſemel accepta, diu poſtea retenta fuerit Anni forma, ea mihi videtur cauſſa, quod Perſas ſe genere, ſuamque ad Perſarum Regem *Cyrum* originem referre Cappadociae Reges delectati quammaxime ſint, Diodoro Siculo teſte in fragm. lib.31. apud Photium in Bibl. Cod. 244. p. 1158. ſq. Poſtquam nempe a *Cyro* anno Chriſti ante natalem 548. *Croeſo* devicto, una cum Lydia, & Cappadocia univerſa ſubjugata Aſia eſt, ejuſdem e *Cyri* genere Reges in Cappadocia regnare perrexiſſe e Cappadocum fide referre Diodorus pergit. Ex *Atoſſa* namque Cyri filia, & *Pharnace* Cappadociae Satrapa, ſive Rege genitus fertur *Smerdis*, ex iſtoque filius *Pedagamus*, ſive Παῖδα Γάλλον filius

filius *Gallus* filium habuit *Artamnam*, e quo gnatus *Anaphas* egregiam ob bellicam fortitudinem Cappadociae Regnum a tributo deinceps immune impetravit. Hunc in regno homonymus excepisse filius traditur, istumque filius *Datamas* in praelio contra Persas interfectus. Successit filius *Ariamnes*, ipsique post annos 50. filius *Ariarathes* I, in Aegyptiaca expeditione *Darii Nothi* socius, quo defuncto, successit filius *Ariarathes* II, qui sub *Alexandro* M. indemnis quidem vixit, sed a *Perdicca* deinde victus, interfectusque est, eique suffectus Cappadociae dux *Eumenes* Macedo. Interfectis vicissim *Perdicca*, & *Eumene*, acceptis a Rege Armeniae *Ardoata* copiis *Ariarathes* III, Macedonum duce *Amynta* occiso, paterno Cappadociae regno potitus est usque ad annum Christi ante natalem 275. circiter. Eum in regno excepit filius *Ariamnes* II, istumque frater *Ariarathes* IV, qui *Antiochi* II. *Thei* dicti filiam *Stratonicam* uxorem duxit. Eodem genere, ac cognomine successere deinde *Ariarathes* V. VI. VII. VIII. IX. usque ad annum ante Christi natalem 91, quo Cappadociae Romano a Senatu Rex *Ariobarzanes* I. impositus est, ac post ipsum filius *Ariobarzanes* II, Armeniae deinde parte a *Pharnace* ablatae a *Julio* Caesare adauctus. Eo a C. Cassio interempto, Regnum adivit *Ariarathes* X. frater, seu verius filius, quo Christi ante natalem anno 40. a M. Antonio interfecto, Cappadociae regnum *Archelao* e Comanis Sacerdotibus gnato tributum est: quo demum a *Tiberio* Christi anno 17. sublato, Cappadocia Romanam in Provinciam redacta est, Tacito Annal. lib. 2. cap. 42. teste, conferendusque Froelichius in Numism. Antiq. cap. 9. p.183.sqq., ubi ex Nummis Cappadociae Regum historiam egregie illustrat, Harduino juncto Num.Popul.illust. p.41.sq., quo loci e Cappadocum Regum Nummis & ipse pleraque collegit, quae huc approbe faciunt.

V. Hinc factum itaque puto, quod Persici generis, quo gloriabantur, memoriae retinendae gratia, cujusce pariter rei caussa *Solis* Persis in honore habiti cultus ad Cappadoces transiisse legitur, quorum idcirco in Nummis *Sol* Argaeo Monti, ideo Cappadocibus etiam in honore habito, impositus conspicitur, quo de Strabo lib. 15. p. 504, Plutarchus in Sylla,

So-

Solinus cap. 57. &c., conferendique Vossius Instit. Orat. lib. 1. cap. 5, sect. 39, & de Idolol. lib. 2. capp. 9, & 64, ac De Wilde in Num Select. §. cx. p. 145. sqq.. factum, inquam, puto, quod Persici Anni semel a Cappadocibus admissi forma ad seram usque aetatem retenta tenacissime fuerit. Et sane eosdem post etiam, quam sive in Macedonum, sive in Romanorum potestatem devenere, cum Syro-Macedonici, tum Romani neglecta, ubique alioquin fere gentium recepta, Anni forma, Cappadocibus Menses, qui Medorum olim, atque Persarum fuerant proprii, usurpari perrexisse, diuque fuisse retentos, docent abunde nos eorumdem Mensium nomina Persicis haud absimilia, quae nobis servarunt Lilius Gyraldus de Anno, & Mens. Oper. T. II. p. 785, Graecus Anonymus ab Henrico Stephano in Adpend. Thesauri p. 222. editus, ac geminus Codex MS. Savilianus, ac Mediceus in Hemerologio Mensium diversarum Urbium, velut e subjecto discere Schemate licet.

MENSES CAPPADOCUM

EX LILIO GYRALDO

A.	I.	Τιρήξ	Tirix
B.	II.	Ματὰ	Mata
Γ.	III.	Σανθηρι	Santheri
Δ.	IV.	Μιθρι	Mythri
E.	V.	Ἄπομεναμαθ	Apomenamath
ς.	VI.	Ἄρθραι	Arthrae
Z.	VII.	Τεθουσία	Tethuſia
H.	VIII.	Ὤσμονία	Oſmonia
Θ.	IX.	Σόκδαρὰ	Socdara
I.	X.	Deeſt in Gyraldo.	
IA.	XI.	Ἄρταεστίν	Artaeſtin
IB.	XII.	Ἀργότετα	Argoteta

EX HENRICO STEPHANO

I.	Τίρι	Perſis	Tir
II.	Μόρταδ		Mordad
III.	Ξοάρηρι	Perſis	Schahrier
IV.	Μέδρι		Mihr, ſive Mither
V.	Ἄπονμα	Perſis	Aban-Mah, ſive Apon-Mah
VI.	Ἄρδρα		Adhur, ſive Adzar
VII.	Τετουτία, ſive Τεθουσία		Deimag, ſive Teimah
VIII.	Βώμωνμα, ſive Ὤσμωνμα		Bahman-Mah
IX.	Σφόνδαρκα		Eſphandarmodz-Mah
X.	Ἄρταυα	Perſis	Phrurdin, ſive Phevardin-Mah
XI.	Ἄρδάπεστι		Artapeſcht
XII.	Ἄρτατμα, ſive Χάρτατμα		Chordad, ſive Chortat-Mah

EX

EX HEMEROLOGIO SAVILIANO, ET MEDICEO.

A.	Λυτανος	I.	Lytanus	7. Eidus	Decembris
B.	Αρτηυς	II.	Arteys	3. Eid.	Januarii
Γ.	Αδραοςτατα	III.	Adraoſtata	4. Eid.	Februarii
Δ.	Τειρει	IV.	Tiri	4. Eid.	Martii
E.	Αμαρπατα	V.	Amarpata	3. Eid.	Aprilis
ς.	Ξανθικος	VI.	Xanthicus	5. Eid.	Maji
Z.	Μυαρ	VII.	Myar	4. Eid.	Junii
H.	Απομυλη	VIII.	Apomyle	6. Eid.	Julii
Θ.	Αθρα	IX.	Athra	5. Eid.	Auguſti
I.	Δαθου	X.	Dathu	6. Eid.	Septembris
IA.	Οσμαν	XI.	Oſman	8. Eid.	Octobris
IB.	Σονδα	XII.	Sonda	7. Eid.	Novembris

VI. Ex propoſito Schemate porro liquet Perſica eſſe proculdubio Menſium nomina, foede tamen a Cappadocibus depravata, pejuſque a Scriptoribus Graecis tam Codicis Saviliani, ac Medicei, quam apud Lilium Gyraldum, & Henricum Stephanum, veluti vidit, eademque diligenter emendavit Vir doctiſſ. Longuerue de Variis Epochis cap. 6. de Anno Perſar. §. 25. p. 196. Quod vitii genus ſimiliter irrepſiſſe in Menſes Hebraeorum, quos Syri ad ſuam attemperantes dialectum infecere, atque in Menſes Aegyptiorum, qui a Coptis ſuam ad depravatam Aegyptiacam inflexi eloquutionem a priſtino defecere linguae nitore, alibi nobis obſervatum eſt. Unde haud mirum, quod ſive Perſarum, ſive Cappadocum Menſium nomina Graeci Scriptores illi aut inſcite deſcribentes, aut ad Graecam intorquentes dialectum mendoſa effecerint. Conjicit attamen doctiſſ. Abbas Longuerue *Artana*, qui Perſico *Phrurdin* Menſi apud Henricum Stephanum reſpondet, ita Cappadocibus ab *Ard*, ſive *Art*, Magno ideſt *Genio* patrio, adpellatum

 tum

tum fuisse, atque Mensem *Bahmen-Mah* Persicum Cappadocibus dictum forsitan *Osmon-Mah* de nomine *Dei Caeli*, sive Graece *Urani*: namque עסמון *Osmon* Hebraice, & Chaldaice *Uranus* est, sicut *Esmun* Aegyptiis, *Aesculapius* est Graecis, Damascio teste in vita Isidori apud Photium Cod. 242. p. 1047: a Chaldaeis vero Persarum Magos superstitiosa oppido accepisse multa indubium est, sicut a Persis Mensium nomina Cappadoces accepere. *Dathusa* adhaec Cappadocum Mensis alter, in Codice Mediceo *Dashu* nuncupatus, etiam Synodo V. Collat. 5, & S. Gregorio Nazian. epist. 90. ad Theodorum memoratus legitur; qui *Tethusia* Graeco Scriptori apud Henricum Stephanum, atque Lilium Gyraldum p. 785. dicitur, a quo aliorum quoque Mensium Cappadocum nomina diversimode Graecorum more inflexa leguntur. Apud Cappadoces porro Anni caput olim ab *Aequinoctio* Verno, atque a Mense Persico *Tir* auspicatum fuisse, documento esse videtur Mensium laterculus e Graeco Scriptore descriptus ab Henrico Stephano, & a Gyraldo. Sequiori tamen sub aetate ad *Juliani* Anni formam Anno composito suo a Cappadocibus exordium ab Hyberno *Solstitio*, atque a Mense *Lycano*, Persico idest *Phrurdin*, factum fuisse indicio est, quod versamur, Hemerologium Florentino-Laurentianum, in quo Cappadocum, ac Romanorum ita invicem conferuntur Menses, ut eadem etsi die non incipiant, certis attamen, statisque in Juliano-Romanis Mensibus Mensium Cappadocum dies exaequentur.

VII. Ad Bithynorum Menses, & Anni formam nunc accedendo, Bithyni porro ab Occasu ad Bosphorum Thracium, ab Austro ad Rhyndacum Amnem, & Montem Olympum, ab Aquilone ad Pontum Euxinum, & ab Ortu ad Parthenium fluvium, sive ad Paphlagoniam inhabitantes, genere *Bebryces* antiquissimo fuere, deinde *Thraces*; unde nomen obtinuere, velut Herodotus lib. 7. cap. 5, Appianus in Mithrid., ac Strabo lib. 12. p. 373. habent; indicioque sunt Nummi, a Bithyniae Regibus cusi, ubi *Dianae* Thracicae, quae & *Bendis*, & Δίλογχος, duas idest Lanceas gerens, Hesychio dicta est, effigies in parte aversa expressa conspicitur. Reges habuere ab antiqua ad seram usque aetatem, in hisque Argonautico sub aevo *Amycus* Neptu-

Neptuni filius, a *Polluce* singulari certamine interfectus, memoratur Servio ad Aeneid. v. 373, Hygino Fabul. 17, & Valerio Flacco Argon. lib. 4. v. 99. Domitis a *Cyro* Bithynis Satrapae deinceps ipsis regendis e Perside delegati leguntur apud Xenophontem Instit. lib. 8, cujusmodi fuere in Arabia *Megabizus*, in Phrygia Majori *Artacamas*, in Lydia, & Jonia *Chrysantas*, in Caria *Adusius*, in Phrygia Hellespontica, & Aeolide *Pharnucus*. In Bithynia, *Artaxerse Mnemone* in Perside anno Christi ante natalem 400. imperante, Satrapae nomine rei Civili, & Militari praefuisse *Pharnabazum*; non secus atque rei praeerant universae Regum adsumpto titulo, in Lydia *Artymas*, in Phrygia *Artacamas*, in Lycaonia, & Cappadocia *Mithridates*, in Cilicia *Syennesis*, in Phoenicia, & Arabia *Dernes*, in Syria, & Assyria *Belesis*, in Babylonia *Rhoparas*, in Media *Arbacas*, in Phasiana, & Hesperide *Teribazus*, in Paphlagonia *Corylas*, in Thracia *Seuthes*; auctor est Xenophon ad finem libri 7. Αναβάσεως de Exped. Cyri. Qui *Pharnabazum* in Bithyniae perinde regno ab anno Christi ante natalem 383. circiter excepere, Reges memorati leguntur Memnoni in Historia Tyrannorum Heracleae Ponticae cap. 21. apud Photium in Bibl. Cod. 224. p. 722. sq., *Dydalsus* nempe, quo defuncto *Botiras* per annos 75. regno potitus est, ac post ipsum filius *Bas*, a quo *Calantus*, copiis ab *Alexandro* M. praefectus, bello profligatus est, atque Macedones a Bithyniae finibus prohibiti. Ipsum post annos 50. filius excepit *Zipaetes*, qui e *Lysimachi* praefectis alium interfecit, alium quam longissime suis a finibus depulit, quin & *Lysimachum* ipsum repressit. Post annos regni 47. ei vita functo successit filius *Nicomedes* I, a quo suo de nomine aedificata, denominataque *Nicomedia* Urbs est, atque Gallis e Thracia in Asiam via aperta. Extant hujusce nomine scalpti Nummi apud Froelichium Antiq. Num. cap. 9. p. 193, Spanhemium de Praest., & Usu Num. dissert. 8. T. I. p. 516, ac Khevenhullerum in Reg. Vet. Num. Anecd. p. 40. Patres excepere filii *Zelas*, unde nomen *Zela* in Cappadocia Urbs tulit, ubi *Dianae* Ἀναΐτιδος *Domo carentis* cultus viguit; Prusias I, & II. cognomento *Venator*; *Nicomedes* II, in Nummis *Epiphanes* cognominatus; *Nicomedes* III. cognomento

to *Philopator*, a quo improle defuncto ante Christi natalem anno 76, aut inseq. regni Bithyniae haeres ex Tabulis Populus, Senatusque Romanus est institutus. Extant *Prusiae* II, ac *Nicomedis* II, & III. Nummi Aera Bithynica, qua de alibi, ubi de Popul., & Urb. Epochis, obsignati apud Vaillantium in Hist. Reg. Bithyniae, Harduinum in Num. Popul. illust. p. 34. sq., Spanhemium p. 514, Begerum Thesauri Brandeburg. T. I. p. 269. sq., Froelichium Num. Antiq. p. 194. sq., Haymium Thesauri Britan. T. II. p. 46. &c.

VIII. Menses jam vero quod attinet, Bithynis usurpatos, alio plane ab eo, quo in Hemerologio Saviliano, ac Mediceo descriptos jam superius attulimus, & nomine, & ordine ii recensiti conspiciuntur ex Scriptore Graeco ab Henrico Stephano in Thesauri Adpendice, a Lilio Gyraldo de Anno, & Mens. p. 785, altero e Codice MS. Graeco a Scaligero de Emend. temp. lib. 1. p. 50. sq., ab Usserio de Anno Maced. cap. 4. ad calcem Annal. Vet. Test. p.103, a Stephano Moynio Var. Sacr. T. I. p. 457, a Petavio Doct. temp. lib. 1. cap. 31. edit. noviss. Ven. p. 40. sq., a Corsinio Fast. Attic. T. II. dissert. 14. p.408. sq., a Julio Pontedera Antiq. Latin., & Graec. epist. 28. p.276, ab Eustachio Manfredo Element. Chronolog. Par. I. cap. 12. p. 59, ab Audrichio Instit. Antiq. cap. 5. p. 55, aliisque, velut ex subjecta, cum superius memorata conferenda, serie cognoscetur, unde cognoscere haud facile erit, quo demum a Mense apud Bithynos Annus exordium caperet.

MEN-

MENSES BITHYNORUM

EX CODICE STEPHANI, ET GYRALDI.

Ἡραῖος	Heraeus	30.	Septembris	24.
Ἑρμαῖος	Hermius	30.	Octobris	24.
Μητρῷος	Metrous	31.	Novembris	23.
Διονύσιος	Dionysius	30.	Decembris	24.
Ἡράκλειος	Heraclius	30.	Januarii	23.
Δῖος	Dius	31.	Februarii	22.
Βενδιαῖος	Bendiaeus	31.	Martii	25.
Στρατεῖος	Stratejus	30.	Aprilis	25.
Ἄρειος	Arius	31.	Maji	25.
Περιέπιος	Periepius	30.	Junii	25.
Ἀφροδίσιος	Aphrodisius	31.	Julii	25.
Δημήτριος	Demetrius	30.	Augusti	25.

MENSES BITHYNORUM

EX CODICE SAVILIANO, ET MEDICEO

Διονυσιος	Dionysius	IX. Kal. Januarii
Ηρακλης	Heracles	IX. Kal. Februarii
Διος	Dius	IX. Kal. Martii
Βερδιδος	Bendidus	IX. Kal. Aprilis
Cτρα	Stra	IX. Kal. Maji
Πρηστιος	Prestius	IX. Kal. Junii
Αρραριος	Arrarius	IX. Kal. Julii
Αφροδισιος	Aphrodisius	IX. Kal. Augusti
Δημετρος	Demetrus	X. Kal. Septembris
Πραισης	Praeses	IX. Kal. Octobris
Ερμαιος	Hermaeus	IX. Kal. Novembris
Μητρωος	Metrous	IX. Kal. Decembris

IX. In hocce porro Schemate conspicis quinque Mensium nomina, quae ab Hemerologio Saviliano, ac Mediceo Bithy-

thynis adtribuuntur, procul ab iis distare, quae apud Henricum Stephanum, Gyraldum, Scaligerum &c. leguntur. Nempe pro *Heraeus* habetur *Praeses*, pro *Heraclius* reponitur *Heracles*, pro *Stratejus* decurtatus legitur *Stra*, pro *Arius* producitur *Arrarius*, & pro *Periepius* sufficitur *Praestius*: ab hisce vero nomine differunt alii Stephano Moynio loc. cit. recensiti, ubi loco *Praeses* habetur *Penipejus*, ac pro *Arius* legitur *Arejus*: quod indicio est liquido ab alterutro Mensium ejusmodi corrupta fuisse nomina, & ad alienam inflexa dialectum. In Mediceo, & Saviliano praeterea Hemerologio Civilis apud Bithynos Anni caput *Dionysius* ita constitutus legitur, ut is a die 24. Decembris Romani incipiat, dierum vero *Dionysii* pars major cum Januario nostro decurrat: quod indicio est haud obscuro Hemerologium illud sequioris aetatis a Scriptore fuisse elaboratum, qui Bithynorum Menses ad Anni Juliani rationes exigere studuerit. Antiquiorem vero praeferre Epocham videntur Codices Graeci Mss. ab Henrico Stephano, a Gyraldo, a Scaligero &c. inspecti, atque Mensium antiquitus a Bithynis usurpatorum cum seriem, tum situm indicare. Juxta Codices istos ergo Civilis apud Bithynos Annus ab *Heraeo* incipiebat, sive a *Junonio*, isque Mensis a Septembris Juliani die aut 23. juxta Hemerologium, aut 24. juxta Codices alios inibat. Quod egregio confirmatur *Agrippae* Bithyni Astronomi testimonio apud Ptolemaeum Almag. lib. 7. cap. 3; quo loci anno Nabonassari 840, Aerae Christianae 92. diem 7. *Metroi* Bithyni cum die 2. *Tybi* Aegyptiaci committens argumento fuit Scaligero, Usserio &c. diem 1. *Metroi* conferendi in diem 23. Novembris, cui etiam diei, sive 9. Kalend. Decembris *Metroi* dies 1. illigata certe legitur in Hemerologio nostro, ideoque diem 1. *Heraei*, Civilis Anni caput, adfigendi diei 24. Septembris. Ideoqae ex ipso Hemerologio emendandum Hemerologium est; in quo siquidem *Metroi* dies 1. adfixa legatur diei 23. Novembris, sive 9. Kalend. Decembris, inde fieri nequit, ut *Heraei* dies 1. responderet diei 23. Septembris, sive 9. Kalend. Octobris, sed 8. Kalend. Octobris, sive Septembris diei 24. aequari debuit. Junge, quod eodem in Hemerologio *Dionysius* comparatur nedum Januario Romano, sed *Posideoni* etiam Attico

tico, sed *Tybi* Alexandrino, sed *Dio* Macedonico &c., quorum sane Mensium initium a die 24. Septembris deducendum fuisse demonstratum est superius Usserio, Norisio &c. Atque ad hosce porro Codices emendanda, exigendaque est Anni Bithynici ratio a Stephano Moynio Var. Sacr. T.I. p. 457. exhibita, ubi Anni familiam *Aphrodisius* ducere conspicitur: nisi Bithynici Anni seriem illam, ut videtur, ad Anni *Aegyptiaci* formam attemperatam fuisse, capto videlicet ab Augusti die 29. initio, quis putet.

X. Inde rursus animum suspicio mihi subest, quod idem Hemerologium tam Savilianum idest, quam Mediceum in Mensium itidem Graecorum ordine sit emendandum, quatenus nempe *Audinaeum* Januario nostro ita aequat, ut ab eadem uterque die 1. auspicetur. Siquidem enim *Audinaeus* hicce Graecorum cum Asianorum *Posideone* conferatur, atque recte quidem *Posideon* iste 9. Kalendas Januarii, sive diei 24. Decembris exaequetur, conferaturque cum *Dionysio* Bithynorum, atque hicce pariter recte diei 24. Decembris, sive 9. Kalend. Januarii aequiparetur, inde fieri nequit, ut Graecorum *Audinaei* dies 1. cum Kalendis Januarii concurrat, bene vero cum 9. Kalend. Januarii, sive cum die 24. Decembris concurrere debet. Nisi putandum sit, quod neque procul abs vero abest, de peculiari altera Graecis hisce, sive Syro-Hellenistis, ad Anni *Juliani* reformati approbe exacta formam, Anni usurpati ratione Graecum hunc Hemerologii Scriptorem fuisse loquutum. Hujusce porro similes aliorum circa Mensium in Hemerologio nostro descriptorum ordinem, atque situm criticas facere observationes fas, ac pronum esset, puta circa Menses Sidoniorum, Lyciorum &c., sed hae ex hactenus observatis praesto, sponteque quasi sua succurrunt, atque facile cuique patent, quin hisce diuturnior impendatur opera, nobis utpote jam aliò properandum sit, atque temporis nos urgeat angustia. Interea tamen haud auscultandum sane est Scaligero de Emend. temp. lib. 1. p. 50, ubi *Aphrodisium* Bithynum ita cum Attico *Hecatombaeone* comparat, ut ipsum Bithyni Anni primum fuisse Mensem velit; ex dictis hactenus siquidem Anni Bithyni familiam duxisse *Heraeum*, aut in Anno

Bithyno ad Julianum exaequato, *Dionysium* liquido constet. Nec item audiendus ibidem, dum Populares Bithynorum Menses *Lunares* mere fuisse putavit: quippe quos sub *Domitiani* Caesaris aetate *Solares* certe fuisse, ad *Julianorum* formam exactos ex observatione Menelai Astronomi apud Ptolemaeum lib.7. p.170.edit.Graecae, qua de lib.12. cap.23, demonstravit Petavius Doct. temp. lib.1. cap.31, conferendusque Corsinius Fast. Attic. T.II. differt.14. p.409. Nec erat denique, cur Julius Pontedera Antiq. Rom., & Graec. epist.28. p.276.eadem, quae ab Hemerologio nostro stabilita est, Mensium Bithynorum cum Romanis aequatione in *Hermaeo*, *Metro*, *Dionysio*, ac *Bendinaeo* servata, eumdem in ceteris situm haud servaret, sed una die citius reliquorum, quin imo biduo *Demetri*, quam in Hemerologio statutum fuerit, initium statueret.

XI. Divinare porro difficillimum est, unde denominare Menses Bithyni suos delectati sint, quum eorum plerique barbari prorsus adpareant; atque ad veteres Thraces, ut mihi videntur, referendi. Si conjecturis attamen indulgere liceat, eorumdem plurium originationem a Diis genti cultis, aut a Deorum sacris petitam fuisse, arguere fas erit. *Dionysius* itaque nuncupatus, aut ego fallor, videri potest, vel a *Dionysio*, nempe *Libero*, vulgo *Baccho*, ita denominato a *Δίος*, idest *Jove*, cujusce de nomine similiter alter denominatus videtur Mensis, & a *Nysaeis* Nymphis, a quibus educatus fertur Luciano Oper. T.II. p.7, & Ausonio Epigram 30; vel a *Dionysiis* ipsi *Baccho* sacris, quae Graecis Mense *Anthesterione* solemnia fuisse liquet ex Kalendario veteri Graeco-Romano apud Gyraldum Oper.T.II. p.846, DempsterumAntiq.Rom.lib.4.cap.4. p.346, quae Romanis *Liberalia* dicta Martii die 16, aut 17. celeberrima erant; de quibus adeundi Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib.6. cap.4, Rosinus, ac Dempsterus Antiq.Rom. lib.2.cap.11.p.185.sqq.,& lib.4.cap.7.p.361.sqq., Vossius de Idol. p.146, Joh.Nicolaus Ilma Schvvartzius de Ritu Bacchan.cap.1. Antiq.Graec.T.VII.p.179, ac Jonstonus de Festis Graec.cap.3. ibid.p.878. *Heracles* indistinguendus videtur ab *Heraclio* Mense, quem ab *Heraclaeis* celebribus *Herculi* sacris denominatum, atque Delphis quammaxime festivum paullo infra planum

num faciemus. Sed & *Heracleae* cum Thracicae, unde originem nactos Bithynos supra diximus, tum Ponticae, unde haud longe sita Bithynia, Urbis idest utriusque ab *Hercule* conditae, *Heraclia* celeberrima erant, a Bithynis inde mutuata, nomen etiam Mensi indidisse videntur. *Bendidus*, sive rectius *Bendidaeus*, ita dictus aestimari potest a *Diana* Thracica *Bendis* cognominata, Hesychio teste V. Βένδις edit. Hagenuae p.143. Quo nomine celebre fanum *Bendidaeum* Xenophonti Hist. lib. 2. memoratur *Dianae* sacrum; eidemque *Dianae* sacratissima *Bendidia* in Thracia celebrata festa, *Bacchanalibus* affinia, referuntur Straboni lib.10. p.720; eaque Atheniensibus etiam observata, atque a Barbaris accepisse tradunt Proclus in Timaeum lib.1, eadem die 20. ante *Panathenaea* Athenis celebrata memorans, Palaephatus, & Hesychius apud Castellanum de Fest. Graec. T.VII. p.624, Plato de Repub. lib.1. sub fin., ac Simplicius Physic. lib.5. apud Meursium Graeciae feriatae lib.2. eodem Tomo p.739. sqq., Jonstonum de Fest. Graec. cap.4. ibid. p.895, atque Pfeifferum Antiq. Graec. lib. 1. cap. 44. p. 110. sqq.

XII. Quid porro rei barbara praeseferant, undeque promanarint Mensium *Stra*, sive *Strateji*, *Praeslji*, sive *Periepii*, *Arii*, sive *Arrarii* nomina, nulla vel levi assequi conjectura queunt. *Aphrodisium* ast enim Mensem, aut a *Venere Aphrodite* ipsis egregie culta, aut ab *Aphrodisiis* festis *Veneri* apud Graecos ubique agitatis indicat Athenaeus lib.4. Quae festa Cypriis quammaxime sacra fuisse testantur Pindari Scholiastes in Pyth. ode 11, Clemens Alex. in Protrept., & Firmicus de Error. profan. Relig.; Paphiis item tradit Strabo lib.14, ac Plinius lib.11. sect. 97. edit. Hard.; Corinthiis etiam auctores sunt Athenaeus lib.13, ac Strabo lib.8. apud Joh. Fasoldum de Festis Graec. Antiq. Graec. T.VII. p.542. sq.; Atheniensibus testis accedit Athenaeus lib.4. *Agetor* vero dicebatur Sacerdos, qui *Aphrodisiis* praeerat, Hesychio teste, quo de adeundi Meursius Graec. fer. lib.1. eodem Antiq. Graec. T.VII. p.736. sq., ac Jonstonus de Fest. Graec. cap.5. ibid. p.897. *Demetrus* etiam a *Demetriis* festis diebus nuncupatus videtur, quae vel in *Cereris* honorem, cujusce fanum Δημήτριον cele-

brc erat, ſolemnes habebantur apud Heſychium, ac Pollucem Onom.lib.1.cap.1, vel in honorem *Demetrii* die 30. *Munychionis* peragi ſolebant, de quibus Diodorus lib.20, & Athenaeus lib. 12. Ita pariter *Hermaeus* a ſacris, feſtiſque in *Mercurii* honorem celebrari ſolitis nomen tuliſſe videtur, quo de rurſus infra. Sic & *Heraeus* probabiliter ab Ἥρα nempe *Junone*, Thracibus olim, ac Bithynis item eximie culta, aut ab ejus Templo *Heraeo* dicto Heracleae in Thracia celebri, quo de Herodotus lib.4. cap.88, aut a Sacris ejus in honorem quotannis agitari conſuetis, denominatus videtur: videnduſque Stephanus de Urb. p.130. ſq., ibique Holſtenius in Not. *Metrous* denique nomen a *Metrois* Phrygiae Deae feſtivis accepiſſe putandus eſt; aut ſi mavis, a *Metra*, quo *Venus* olim dicta nomine traditur Herodoto lib.1. p.17; atque conſulendus Joſephus Laurentius in Var. Sacr. Gentil. cap.12. Antiq.Graec.T.VII.p.193: quae in re adeo veteri nobis conjectando magis dicta, quam adfirmando ſint.

XIII. Byzantinos denique, ſic a *Byzante* Urbis, antea *Lygos* dictae, Plinio lib.4. cap.11, & Auſonio Epigr. 1, aut conditore, aut inſtauratore, de quo Stephanus Byzant. de Urb. p.76, & Euſtathius in Dionyſii Perieg. v.804, conferendique Gyllius de Boſphoro Thrac. lib.11. cap.3, Meurſius ad Heſychium p.229, & Holſtenius in Not. ad Stephanum, a *Byzante*, inquam, cujus etiam nomine, & capite inſignitus profertur Nummus a Baudelotio de Utilit. Peregrin. p.100, ab Haymio Theſ. Britan. p.270, ab Harduino Num. Popul. illuſt. p.37, a Froelichio in Num. Antiq. cap.11. p.235. &c., dictos, ex quo Syro-Macedonum ſubire jugum coacti fuere, ipſorum ſe Anni formae attemperare, Menſeſque acceptos habere haud detrectaſſe indubium videri debet. A *Septimio Severo* poſt biennii obſidionem expugnatum denique Byzantium, ideo quod *Peſcennio Nigro* adhaeſiſſet, juribuſque omnibus, in Perinthum tranſlatis, exſpoliatum, queis tamen iterum poſt patris obitum a *Caracalla*, nomine *Antonianae* etiam adjecto, donatum fuiſſe putat Triſtanus T.II. p.206, in Vicani Oppidi formam redactum eſt, quo de Herodianus lib.3. cap.6, ac Dio lib.74. p.856. Donec a *Conſtantino M.* Imperatore reparata Urbs, ibi-

ibique ſede translata Imperii, ejus de nomine dicta *Conſtantinopolis* deinceps eſt: qua nova de Epocha multis qui diſputat, adeundus inter alios Petavius Doct. temp. lib. 11. cap. 44, ubi hanc ab Aerae Chriſtianae anno 330, Indictione 3, Maji die 11. ineundam oſtendit. Ab hoc itaque tempore, *Conſtantino M.* ſcilicet imperante, non antea ſub *Julio* Caeſare, veluti Noriſio viſum, *Indictionum* uſu Conſtantinopoli recepto, Solaris pariter *Juliani* Anni forma deinceps admiſſa fuit; atque ideo a die 1. Septembris, ſive a die 1. *Gorpiaei* Juliano Septembri aequati, quae novae *Indictionis* quoque initium erat, Annum impoſterum fore inchoandum, retentis attamen veteribus Syro-Macedonum Menſium adpellationibus, conſtanti ratione Cives Conſtantinopolitani decrevere. Quae ſane Anni ratio in tota Bithynia deinceps obtinuit, in Boſphoro, Propontide, Thracia &c., quin hiſce de ſpeciatim dicere opus ſit. Graeco-Moſchis perinde, qui ſua fere omnia a Conſtantinopolitanis olim accepere, una cum *Indictionibus* Annum a Kalendis itidem Septembris incipere, finireque in Auguſto placuit, ita ut imo Latina Menſibus etiam indita voluerint nomina, veluti documento ſunt inter alia Ephemerides Graeco-Moſchae Capponianae in lucem editae, multaque eruditione exornatae a Cl. Joſepho Simonio Aſſemano Kalendarii Eccleſiae Slavicae T. V. p. 212. ſqq., & p. 399. ſqq., ac T. VI. p. 160. ſqq., & p. 394. ſqq.; qui ceteris in aliis tamen rebus quammaxime ſacris Graecis ipſis ſe conformare ſatagunt. Conferendum etiam Kalendarium Ruſſicum Bibliis lingua Ruſſica editis ſubjunctum, atque Menologium Sclavo-Ruthenicum apud Poſſevinum Appar. Sac. T. II. V. *Rutheni*, ac Metricum apud Papebrochium Act. SS. T. I. Maji: quorum Menſium etiam nobis ſq. Art. XI. ſpecimen exhibebitur.

DE

D E

MENSIBUS, ET ANNIS

Cretensium, *Gortyniorum*, *Lyciorum*, *Cypriorum*, *Paphiorum &c.*

ARTICULUS VII.

I. MAximas inter alias, quae ad Graeciam spectant, Insulas, Mare inter Aegaeum, & Cyrenaicum a Peloponneso pene usque ad Asiae fines protensa, Gentis, quae ab *Ammone* Libyae Rege, *Jovis* Patre eò primo ducta fertur Diodoro lib.3, & 5, Timeti apud eumdem, ac Martiano Capellae lib.6, antiquitate, Urbium, quae Scyllaci in Creta, Plinio lib.4. cap.12, Pomponio Melae lib.2. cap.7, Virgilio Aen. III. v.104, & Horatio lib.3. Oda 27. centum dinumeratae leguntur, ubi quin imo viginti circiter supra centum extitisse Urbes e veteribus Monumentis se collegisse tradit Meursius de Creta cap.5, numero celebris, fabulis itidem famigerata multis, *Europae* adventu, *Pasiphaes*, & *Ariadnae* amoribus, *Minotauri* feritate, ac fato, *Daedali* operibus, & fuga, *Thali* statione, ac obitu, *Jovis* natali, atque sepulcro, uti loco cit. loquitur Mela, *Creta* est Insula, a *Crete* indigena Rege sic adpellata, Ephoro teste apud Scymnum in Periegesi v.550, ac Stephanum de Urb. edit.Holstenii p.173, olim *Idaea* dicta

dicta, ab Uxore Ammonis *Crete* deinde juxta Diodorum lib.3. p.204, *Aeria* item, atque a Caeli temperie Μακάρων, uti Plinius loc.cit., ac Solinus cap.11. habent, *Curetis* postea nuncupata a *Curetibus*, qui ibi incoluere, quasi *Cureta*, atque per συγκοπὴν *Creta*, ut est apud Eustathium in Dionysii Περιηγ. cap.74. edit. Politi T.II. p.266, ubi tamen Arriano ita dicta a *Crete*, a quo *Jupiter* in Dictaeo Monte occultatus fuerat, aliis a *Crete* filio *Jovis* observatur. De usurpata itaque Νησιωτικοῖς hisce Mensium, Annique forma loquendo, Cretenses sane Syro-Macedonum etiam Mensibus usos aliquando fuisse, ita tamen, ut aliquorum dumtaxat nominibus usurpatis, cetera Mensium, aut prisca retinere nomina, aut nova procudere religio eisdem fuerit, Mediceo saepe laudato ex Hemerologio liquido adparet. In quo tamen Cretensium Menses integre siquidem *Julianis* aequiparati conspiciantur, inde facile intelligitur hujusce Scriptorem de Cretensium Mensibus fuisse loquutum, cujusmodi sua aetate usus apud Cretenses invaluerat, idest post ubique ferme gentium receptam ultro citroque *Juliani* Anni formam. Ideo vero haud exiguo haberi in pretio Hemerologium hocce meretur, quod extra ipsum nullum ferme suppetat Monumentum, ex quo Viris in re Chronologica diligenter alioqui versatis Mensium, qui Cretensibus, Genti nempe pervetustae, usu aliquando venire potuerint, expiscari, deprehendereque datum fuerit.

II. Atque certe Veteribus, Nuperisque de Creta Insula Scriptoribus, ac Meursio in Creta quammaxime, etsi de eorum Republica, Moribus, & Institutis pleraque in medium proferre fas fuerit, a nemine tamen ante se de Cretensium Mensibus, Annique forma rite differere licuisse jure sibi plaudit Vir Cl. Corsinius Fast. Attic. T.II. Par.I. Differt. 14. §. 13. p.427. sqq., cui tamen dolendum valde, quod probe Hemerologium Mediceum haud perspectum fuerit, utpote a quo, pro rei peritia, uberior Mensium horum explanatio speranda fuisset. Ex Graecis itaque Marmoribus a Grutero, Pricaeo, Montfauconio, Rheinesio, & Chishullo praesertim Antiq. Asiat. p.129. sqq. collectis, aut illustratis sequentes hosce novem Cretensium Menses colligere Viro doctiss. licuit; quorum nomina aut

aut integra, aut ex parte detrita sunt *Imalius*, . . . *Dacius*, *Dromejus*, *Diosallosius*, *Eleusinius*, *Eteothermolaeus*, *Heraeus*, *Artamitsius*, *Metarchius*. Atque, ut Mensibus ex his apud Cretenses aliquibus saltem unde factum nomen fuerit, conjectura adsequi tentemus, *Dromejus* quidem a *Dromaeo Apolline* dictus videtur, cui Sacra Cretenses, ac Lacedaemonios facere consuevisse auctor est Plutarchus Sympos. lib. 6. cap.4. *Eleusinius* nomen obtinuisse haud ambigo a celeberrimo *Eleusiniorum* festo, quo *Cereri*, idcirco *Eleusiniae* denominatae ab *Eleusi* Atticae Oppido, ubi maxime colebatur, apud Graecos ubique Sacra fiebant in memoriam beneficii, quo frugum satio Gentibus cognita demum est. Erant vero *Eleusinia* duplicia, *Magna*, quae *Boedromione* Mense *Cereri*; atque *Parva*, quae *Proserpinae* Cereris filiae *Anthesterione* celebrari solebant. Unde *Eleusinius* cum Attico *Boedromione* congruere videtur; de quibus adeundi Aristophanes in Nubibus, ejusque Scholiastes, Plutarchus in Demetrio, Diodorus lib.6. cap.2, Hesychius in Lex., Stephanus de Urb. edit. Holst. p.110, Eustathius ad Iliad. β', Suidas V. Ἄγρα, Dempsterus Antiq. Rom. lib.2. cap.11. p. 192. sqq., Fasoldus de Festis Graec. decade 2.Festo I. Antiq.Graec. Gronovii T.VII. edit.Ven. p.545. sqq., Petrus Castellanus de Fest. Graec. eodem T. VII. p. 652. sqq., ac Pfeifferus Antiq. Graec. lib.1. cap.43. *Eleusinia* denique tam *Magna*, quam *Parva*, non secus atque *Dionysia* cum *Majora*, tum *Minora*, neque *Pentaeterica* fuisse, neque *Trieterica*, veluti Scaligero, ac Meursio visum est, sed fuisse *Annua*, hoc est Annis singulis habita, multis ostendit Vandalaeus in Antiq. Marmor. dissert. 8. de Gymnasiarchis capp.2, & 5. p.601. sqq., & p.671. sqq. *Heraeus*, potius quam ab *Heraeo* Lycaonis filio, a quo *Heraea* in Arcadia Urbs condita fertur Pausaniae in Arcad., idest lib.8. cap.26. p.652; quam demum Urbem Achaeis restitutam a *Quintio* Romano Consule tradit Livius lib. 33, videndusque Martinus Schoochius in Achaja Veteri cap.8. Antiq. Graec. T. V. p. 2166, dictus credi magis potest ab *Heraeis*, *Junonis* nempe, *Hera* denominatae, festo apud Pollucem Onom. lib. 1. cap. 1, Stephanum de Urb. p.130. sq., & Eustathium ad Iliad. Δ': quod Festum ritu Nu-

Nuptiali celebratum tum Samiis tradunt Polyaenus lib. 1, Hesychius in Lex., Lactantius Inst. lib. 1. cap. 17, S. Augustinus de Civit. lib. 6. cap. 7, Eustathius ad Iliad. Ξ'; tum Corinthiis auctores se praestant Euripidis Scholiastes in *Medeam*, ac Zenobius Cent. 1. Proverb. 27; tum Argivis testantur Pindarus in Olympia oda 9. v. 146, ejusque Scholiastes, Hesychius, Scholiastes Aristophanis in Nubes, Theon in Aratum, Aeneas Tacticus Poliorcetici cap. 17; tum Aeginetis perhibet Scholiastes Pindari in Pyth. oda 8; tum Eleis testis accedit Pausanias in Eliacis, sive lib. 5. cap. 16. p. 417. edit. Lips.; tum etiam Cois scribit Athenaeus lib. 4, & lib. 14; adeundique Wolfangus Lazius Graeciae Antiq. lib. 2. cap. 4. Antiq. Graec. T. VI. p. 3641, & Joh. Meursius Graeciae Feriatae lib. 3. Graec. Antiq. T. VII. p. 779. sqq. *Heraea* porro eadem festa, atque *Hecatombaea* fuisse auctores sunt liquidi Pindari Scholiastes Olymp. oda 7, Hesychius in Glossis, & Hyginus Fabul. cap. 273: unde *Heraeus* apud Cretenses cum Attico *Hecatombaeone* coincidisse dicendus est.

III. Verum Cretensium Mensium integram e Marmoribus seriem deducere fas Corsinio non fuit, neque ordinem assequi, situmque, quem in Civili Anno Cretensium occupaverint. Integram ast enim, uti Superis placuit, ipsorum seriem Hemerologii Medicei ope, nobis habere demum licuit, eorumdemque situm identidem facile definire, qualis idest ad Anni *Juliani* formam in Hemerologio Florentino digestus, exactusque fuit, subjecto velut e Diagrammate liquido discere licebit. In quo sane Mensium apud Cretenses nomina a Graeco Hemerologii Scriptore depravata pleraque fuisse dignoscere facile quisque poterit: quod longe gravius attamen facessere procul dubio negotium videtur, id est, quod Mensium pleraque hoc in Hemerologio descripta nomina ab eorum, quae ex Lapidibus apud Chishullum eruta fuere, longe procul adpellationibus absunt. Quae ideo pro viribus inter se componendi, nominumque in originationes inquirendi haud levis utique nobis incumbit cura, qua antequam defungamur, eorumdem Mensium exhibendi seriem opera nobis praestanda est.

MENSES CRETENSIUM

EX HEMEROLOGIO MEDICEO-FLORENTINO.

Μεταρκιος	Metarchius	24. Decembris
Αγυιος	Agyius	24. Januarii
Διοσκουρος	Dioscurus	21. Februarii
Θεοδοσι	Theodosius	24. Martii
Ποντος	Pontus	23. Aprilis
Ραβινθιος	Rabinthius	24. Maji
Υπερβερεταιος	Hyperberetaeus	23. Junii
Νεκυσιος	Necysius	24. Julii
Βασιλιος	Basilius	23. Augusti
Θεσμιφοριων	Thesmophorion	23. Septembris
Ερμαιος	Hermaeus	24. Octobris
Ειμαν	Heiman	23. Novembris

IV. Ex hoc itaque Diagrammate liquido adparet, cujusmodi situs in Anno *Juliano* Cretensium cuique Mensi factus ab Hemerologii Scriptore fuerit: ita nempe, ut *Metarchius* primum in Anno locum occupet, *Dacius*, qui mea quidem opinione detritus haud est, bene vero in Lapidibus depravatus fuit, idemque ac *Agyius*, nisi hunc ab Hemerologii Scriptore potius depravatum fuisse putare quis malit, secundum obtineat, atque ita deinceps alii, exordio in Anno *Juliano* eodem ducto, quod Mensibus apud Bithynos in eodem Hemerologio factum paullo supra vidimus, eodemque plane, quod apud Cyprios, & Asianos fecisse Hemerologii Scriptor paullo infra ostendetur. Et *Agyium* quidem ita denominatum fuisse opinor vel ab *Apolline*, vel a *Mercurio*, vel ab *Hercule* inde *Agyeo* dictis, quod apud Eleos praesertim eorum in honorem domorum ante fores Ara, aut Columna, aut Statua ipsis dicata erigi, pro salute impetranda, soleret; uti discimus ex Pausania

ſania in Atticis, ſive lib. 1. cap. 31: p. 78, in Eliacis, ſeu lib. 5. cap. 15. p. 414, in Corinthiacis, lib. 2. cap. 19. p. 154, & in Arcadicis, lib. 8. cap. 53. p. 761. ſq., Macrobio Satur. lib. 1. cap. 9, Horatio lib. 4. oda 6, Suida &c., qua de re plura Joſephus Laurentius in Variis Sacris Gentil. cap. 7. ſq. Antiq. Graec. T. VII. p. 172. ſqq.; Evanthius, ac Donatus de Tragoedia, & Comoedia Graec. Antiq. T. VIII. in Not. p. 1684. *Dioſcorum* a Polluce, & Caſtore plane *Dioſcoris*, veluti ſcribendum, non *Dioſcuris*, monet Phrynichus apud Relandum in diſsert. de Diis Cabiris Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. p. 333, denominatis nuncupatum fuiſse paullo infra, quum de Cypriorum Menſibus ſermo erit, palam opportunius fiet. *Heraeus* in Lapide apud Chishullum, quem puto ipſum, qui Hemerologii Scriptori *Hermaeus* dictus legitur, penultimi Menſis loco ſtare conſpicitur, poſtremo vero eſt *Imalius*, qui, uti vides, parum ab *Heiman* differt. *Hermaeus* porro idem videtur, atque *Hermius* Argivis dictus. Atqui Cretenſibus celebratiſſima fuiſse *Hermaea* feſta, de *Mercurii*, Graecis *Hermetis*, nomine dedicata, atque in compitis, triviis, quadriviis, & aedium ante fores *Hermeti*, tanquam Deo *Viali* ſtatuas erigi conſueviſse teſtes accedunt locupletes Herodotus lib. 2. verſ. Laur. Vallae p. 53, Thucydides lib. 6, Andocydes Orat. Περὶ Μυςηρίων, Plutarchus in Alcibiade, & Nicia, Aelianus Var. hiſt. lib. 2. cap. 41, Pauſanias in Arcad., ſive lib. 8. capp. 14, & 32. p. 629, & 666. ſq., Plato in Lyſide, Scholiaſtes Pindari in Olymp. oda 9, Athenaeus lib. 14, Suidas V. Ἑρμαῖς &c., quorum teſtimonio liquet eadem Feſta Boeotis, Athenienſibus, Pelaſgis, Achaeis, Elidenſibus, Arcadibus &c. religioni quammaxime ceſſiſse. Quae porro apud Cretenſes erant *Hermaea*, eadem apud Romanos fuiſse *Saturnalia*, Menſe Decembri celebrari ſolita, obſervat Dempſterus Antiq. Rom. lib. 4. cap. 17. p. 423; de quibus etiam adeundi Petrus Caſtellanus de Feſtis Graec. Antiq. Graec. T. VII. p. 665. ſq., atque Joh. Meurſius Graeciae feriatae lib. 3. ibid. p. 772. ſq.

V. Recte tamen advertit Corſinius Menſes hujuſmodi Marmoribus inſcriptos haud univerſae Cretenſis Inſulae genti fuiſſe communes, ſed Urbium potius, diverſique ſermonis Po-

 pulis

pulis fuisse proprios. Homero namque teste Odyss. Θ'. v. 175. ob permixtos antiquis Cretensibus Achivos, Dorienses, Pelasgos &c., sive uti loquitur Scylax, Athenienses, Lacedaemonios, Argivos &c., multifaria Cretici idiomatis suborta diversitas est; quae in caussa fuisse videtur, cur diversa in Marmoribus, diversaque Mediceo in Hemerologio Cretensium ferantur Mensium nomina. Itaque Hierapytniis *Imalium*, ac *Dacium* proprios fuisse Menses ex Marmore Oxoniensi, quod ab erroribus, qui in Rheinesii, ac Pricaei in Not. ad Apulejum exemplar irrepserant, diligenter emaculavit Chishullus, Vir doctiss. rite conjicit: quo in Marmore nempe foedus Hierapytnios inter, atque Prianfios initum describitur Mense apud illos *Imalio*, apud istos *Dromejo*, Magistratum gerente *Henipante* Hermaei filio. Quo ex Decreto perinde arguit Corsinius Mensem utrumque haud posteriorem, quam decimum in Anni spatio, Mensiumque serie locum occupasse: sed *Imalium* locum obtinuisse duodecimum, sive postremum in Anno Cretensi fuisse Mensem ex praelaudato Hemerologio modo indicavimus. *Dacium* quod attinet, hunc quoque Hierapytniis peculiarem fuisse ex Psephismate altero Marmori apud Montfauconium Diarii Ital. p. 74. insculpto arguit; ubi mutilum existimat Mensis nomen. Deesse tamen unam dumtaxat A litteram ex *Agyio* Hemerologii ego modo augurabar, ut nihil nunc quidem de facili apud Graecos permutatione litterarum Γ, & Δ subtexam. *Dromejum* Priansiis usurpatum fuisse abunde praememorato ex Decreto Marmoris Oxon. adparet, fuisseque Anni postremum, non secus atque *Imalium* apud Hierapytnios, inde fit consequens. Ita nempe de *Apollinis* nomine, qui Plutarcho Sympos. lib.6. q. 4. referente Cretensibus, atque Lacedaemoniis *Dromaeus* audiebat, dictum Mensem approbe observat Vir doctiss., uti superius est dictum. Duos adhaec alios *Diasallosium*, atque *Eleusinium* Oluntiis, & Lasiis usu Menses venisse altero ex Marmore, cui gemini hujusce Populi foedus insculptum fuerat apud Chishullum p.134, deprehendit. Geminos item alios in Marmore alio, cui Oluntios inter, ac Lasios foederis initi leges instauratae leguntur inscriptae, apud eumdem Chishullum Antiq. Asiat. p. 137, detegere fas

Cor-

Corsinio fuit, *Eteothermolaeum* nempe, ac *Heraeum*; adeo scilicet ut Oluntiorum peculiares fuisse *Eleusinius*, & *Heraeus*, Lasiorum vero *Diosallosius*, ac *Eteothermolaeus* fuisse proprii videantur. *Artamitsii* adhaec mentionem altero in Marmore ab Arcadibus Cretae Populis in Tejorum gratiam Olympiade 146, Christi ante natalem anno 194. circiter obsignato apud Chishullum p. 119. occurrere advertit. *Metarchium* denique, cujusce nomen ex Codice Saviliano apud Usserium de Anno Solari Macedonum cap. 4. ad calcem Annal. Vet. Test. p. 102. ingestum legerat, Gortyniis usurpatum fuisse Corsinius opinatur. Quae Viri doctiss. opinio, si veritate nititur, Gortyniis perinde ceteri alii Mediceo in Hemerologio descripti Menses adscribendi viderentur: quod attamen nullo satis firmo aut Monumento, aut Scriptorum testimonio suffultus adfirmare non ausim.

VI. His e' Cretensium denique Mensibus aliorum sane nominum derivatio in obscuro ita latet, ut ea de vel divinare erroris absque discrimine haud liceat. Aliis de nonnullis conjecturam, quatenus abs vero haud multum aberrare videretur, jam fecimus, quam aliquibus de adhuc facere modo praestat. Atque *Necysius* quidem ita denominatus aestimari potest a *Necysiis* Graece Νεκύσιοις *Mortuorum* festis, sic dictis a Graeca voce Νέκυς *Mortuum* significante: quae festa Latinis *Parentalia*, aut *Feralia* ab *Inferiis*, aut a ferendis ad sepulcra Epulis dicta sunt, quaeque festa in Defunctorum honorem religiose celebrari, Justa Mortuis persolvendo, eisque diebus Telluri Sacra faciendo, Mense *Anthesterione* apud Graecos, Februario apud Romanos tum extremo solebant: unde patet *Necysium* conferendum cum *Anthesterione* fore; uti nos abunde docent Pollux lib. 3. cap. 19, Athenaeus lib. 8, Festus, Varro de Ling. Lat. lib. 5, Cicero de Legib. lib. 2. cap. 21, Eustathius ad Odyss. 1, aliique apud Dempsterum, Pfeifferum &c. mox referendos. A *Diosallosio* indistinctum puto *Theodosium*, atque ita dictum a *Jove*, aut a *Neptuno*, cui alterutri dicatus fuerit Mensis. *Thesmophorion* adhaec nomen utique a *Thesmophoriis*, quae *Cereris* in honorem ob Leges inventas, dictae ideo *Thesmophorae*, Latinis *Legiferae*, Men-

se *Pyanepsione* agitari festa solebant, tulisse mihi videtur; unde a *Pyanepsione* haud distinguendus *Thesmophorion* est. Iis porro in Festis sacrificium a Mulieribus arcanum fieri consuevisse, quod Διόγμα *Diogma*, ac postea Α'πόδιόγμα *Apodiogma* dictum est, referunt Hesychius, ac Suidas. In Eleusine vero Urbe *Thesmophoria* eadem fuisse, ac *Eleusinia* videntur, ideoque *Thesmophorion* idem fuerit, atque *Eleusinius* Mensis. Et licet duo Festa isthaec fuisse distincta velit Meursius, in Eleusine tamen distincta non fuisse ex multis oppido, quae apud Dempsterum Antiq. Roman. lib. 2. p.194. sq., ac Pfeifferum Antiq. Graec. lib.1. cap. 43. p. 99. sqq. prostant locis, valdequam probabile fit. Qui vero de *Thesmophoriis* apud Delios, Arcades, Lacedaemonios, Boeotos, Phocenses, Jonios, Megarenses, Euboeos, Milesios, Syracusanos &c. celebratissimis agunt, videndi Pausanias, Hesychius, Plutarchus in Pelopida, & Quaest. Graec., Servius ad Aen.4., Scholiastes Theocriti ad Idyll. 4, Athenaeus lib. 3, & 14, Lutatius ad Theb.11, Stephanus in Μίλητος, Clemens Alex. in Protrep., aliique plures apud Dempsterum loc. cit., Fasoldum de Fest. Graec. dec. 12. festo 1. Antiq. Graec. T. VII. p. 591. sqq., Pfeifferum loc. cit., ac Meursium Graeciae fer. lib. 4. eodem T.VII. p.791. sqq.

VII. Cretensium propago fuere Lycii; atque porro quae a *Lyco* deinde *Pandionis* Atheniensium Regis V. a *Cecrope* filio occupata *Lyciae* nomen accepit, Regio Maritimarum ultima cis Taurum, inter Cariam ab occasu, Pamphyliam ab ortu, Phrygiam ab aquilone, ac Mediterraneum a meridie contenta, Latitudinis Septentrionalis gradum 36. inter, & 38. sita, olim ibi *Sarpedone* *Jovis* ex Europa *Agenoris* filia filio, *Minos*, ac *Rhadamanti* fratre, quo de Hyginus Fab. cap. 155, imperante, *Milyas*, sive *Termylies* dicebatur, testatam veluti rem abunde faciunt Herodotus lib. 1. cap. 173, & lib. 7. cap.77, Strabo lib.12. p. 573, videndus etiam lib.14. sub initio, Polybius lib.5. p. 415, Stephanus de Urb. p. 192, & 209, ibique Holstenius in Not., Apollonii Rhodii Scholiastes ad lib. 1. v. 185, Pausanias lib. 7. &c., conferendique Scriptores Angli Hist. Univ. edit. Ven. T. XIII. Par. I. cap.16.

p.221. sqq., ubi veteribus ex Scriptoribus ante *Sarpedonem* inter Lyciae Reges *Amisodarum*, *Johatem*, ac *Bellorophontem*, post *Lycum* vero *Telesum*, *Pandarum*, ac *Ciberniscum* aetatae *Xersi* supparem fas recensere fuit. In Macedonum postea potestatem Lycii transducti haud dubium est, quin Asianorum exemplo ceterorum ad Macedonici Anni formam se se attemperarint, veluti fidem nobis abunde facit Hemerologium Florentinum, in quo Anni Lyciis adhibiti ratio servata nobis est. Illud tamen in eo mirari valde quam subit, quod idem prorsus in Anno Lyciorum Mensibus situs, idemque ad Julianum Annus respectus factus legitur, atque in Sidoniorum Anno, quicum nihil unquam Lyciis fuisse commune constat. Suspicari licet tamen apud Lycios immutatam fuisse postmodum Anni formam, post idest quam in Romanorum devenere potestatem, atque Gentium ubique Romano una cum Imperio propagari *Juliani* Anni forma cepit, retentisque, velut Antiquitatis reliquiis aliquot, veterum Macedonum Mensium nominibus, ad Anni *Juliani* formam Annum deinceps suum exigendum ratos Lycios, Anni caput *Dium* constituendum duxisse, atque ita quidem, ut *Dii* dies 1. exacte Kalendis Januariis responderet: atque hanc utique Anni aequationem apud Lycios sequutum in Hemerologio suo fuisse Codicis tam Saviliani, quam Medicei Scriptorem nuperum Graecum, veluti magis e subjecto discere Laterculo licet, in quo tamen aliqua depravata Mensium nomina levi emendanda cuique negotio linquentur.

MEN-

MENSES LYCIORUM

EX CODICE SAVILIANO, AC MEDICEO.

Διος	Dius	Kal. Januarii
Απελλεος	Apelleus	Kal. Februarii
Αυδναιος	Audnaeus	Kal. Martii
Περιτιος	Peritius	Kal. Aprilis
Δυστρος	Dystrus	Kal. Maji
Ξανθηκος	Xanthecus	Kal. Junii.
Αρτεμισιος	Artemisius	Kal. Julii
Δαισιος	Daesius	Kal. Augustus
Πανημος	Panemus	Kal. Septembris
Λωος	Lous	Kal. Octobris
Γορπιαιος	Gorpiaeus	Kal. Novembris
Υπερβερεταιος	Hyperberetaeus	Kal. Decembris

VIII. Nobilissima Mediterraneo in Mari Insula, ad Ortum, & Occasum Ciliciae, ac Syriae objecta Cyprus, ita a *Cinyrae* Regis filia *Cypro* denominata, Philostephano de Cypro referente, quae novem olim Regnorum sedes extitit, Pomponio Mela lib.2. cap. 7, ex ipsoque Plinio lib. 5. cap. 31. testibus, ad se nos modo vocat. Antiqua pleraque tulisse porro nomina *Acamantidae* ex Philonide, *Cerastiae* ex Xenagora, & Androcle, *Spheceae* ex Philostephano, *Aspeliae*, *Macariae*, *Amathusiae*, ex Astynomo *Cryptonidis*, & *Coliniae* referentem apud Plinium legitur, quocum conferendi Stephanus de Urb. p.179, Etymologus M. V. Κύπρος, Tzetzes ad Lycophronem in Alexandra v. 447, Eustathius in Dionysii Perieg. p. 72, Holstenius in Not. ad Stephanum loc. cit., ac Meursius de Cypro cap.2. sq. Cypriis jam vero, quod ad nos propius attinet, quae antiquitus usurpata fuerit Anni forma, quique prisco Menses usu apud ipsos obtinuerint, in obscuro latet: quos enim Mediceum exhibet Hemerologium, sera illos admodum aetate, nec nisi post receptam *Juliani* apud Cyprios Anni formam, adhibitos fuisse, vel sola illorum cum *Julianis* aequa-

aequatio patefacit. Et quidem Petavius in Ancot. ad S. Epiphanium Haer. LI. p. 138, ac lib. de Pond., & Menf. p. 421. S. Epiphanii fub aetate a Salaminiis aequabilem, *& Aegyptiacam* Anni formam adfcitam fuiffe inde putat, quod eifdem *Chojac* Menfis ufurpatus fuerit, ejufque dies 1. aequata dici 3. Novembris. Paphiis vero duos peculiares fuiffe Menfes, *Apogonium*, & *Julum*, quorum prior a die 24. Octobris, pofterior a die 24. Decembris iniret, eodem S. Epiphanio tefte adhibito oftendit. Alterius apud Paphios ufurpati Menfis, *Phthibypati* nempe, mentionem facit Alexander Monachus in Encomio S. Barnabae apud Surium, & Papebrochium ad diem 11. Junii. Eidem infiftens femitae Ufferius de Anno Solari Macedonum cap. 4. ad calcem Annal. Vet. Teft. edit. Genev. p. 101. fq., ab eodem Alexandro *Mefori* Salaminii etiam ufurpati mentionem fieri obfervans, Salaminiis, five Conftantienfibus *Aegyptiacos* adhibitos fuiffe Menfes, Annique *Aegyptiaci* aequabilis formam; Paphiis vero Syro-Macedonum Menfes, atque Civilis Anni formam, ab *Aequinoctio* Autumnali, diei 24. Septembris Juliani refpondente, incipientem fuiffe receptam exiftimat. Sed enim Paphiis, Aegyptiaca fub ditione fiquidem degiſse conftet cum ex Macchab. lib. 2. cap. 10. v. 13, tum ex Nummis e Gaza Regia, ac Cimelio D. Foucaultii ab Harduino in Chronolog. Vet. Teft. p. 587. fq. defcriptis, ac fub *Ptolemaeo Philometore* Paphi percuffis, Aegyptiacos pariter Menfes ufu prifco veniſse probabile fit.

IX. Alterum Cypriis olim adhibitum Menfem ex S. Hieronymo Comment. in Ezech. cap. 8. v. 14, quo nempe loci *Adonia* Judaeis, atque Syris Menfe *Thamuz*, five Junio celebrari confueviffe memorat, aufpicato fe deprehendiffe putavit Joh. Meurfius de Cypro lib. 2. cap. 24, Junium videlicet, eumque Cypriis olim *Adonium* denominatum fuiffe non dubitat. Verum eo loci S. Hieronymus ne γρύ quidem, leveque de Cypriis habet verbum, fed de folis Judaeis, Syrifque loquitur, atque Junium, non *Adonium*, bene vero *Thamuz*, quem fane quartum Chaldaeorum fuiſse Menfem Grotio, aliifque demonftratum eft, adpellatum liquido adfirmat; veluti recte advertit Corfinius in Faft. Attic. T. II. diſsert. 13. §. 7. p. 300. Quamvis

enim *Adonidi* Veneris Amasio, qui a *Cinyra* in Cypro Rege Trojanam ante halosim, a quo utpote thorace donatus *Agamenon* traditur Homero Iliad. λ', ex *Myrrha* filia incestu genitus fertur, Amathi in Cypro cultum impensum, unaque atque *Veneri* fanum aedificatum fuisse testes accedant Pausanias in Boeoticis cap. ult., Ovidius Metam. x. v. 530, ac Stephanus V. Ἀμαθοῦς, videndique Bochartus Geog. Sac. lib. 1. cap. 3. p. 355, ac Meursius in Cypro cap. 8. p. 21. sqq. *Adonia* tamen festa Aegyptias apud Mulieres, atque Phoenicias dumtaxat celebratissima fuisse auctores se liquidos praestant Lucianus de Dea Syra, Apollodorus in Bibl., Ammianus Marcell. lib. 19. &c., conferendique Marshamus in Can. Chron. Seculo I. p. 31. sq., Seldenus de Diis Syris Syntag. 2. cap. 11, ac Scriptores Angli Hist. Univ. edit. Ven. T. V. Par. I. cap. 6. p. 177. sqq. Multo vero magis *Thamuz* Mensem fuisse Chaldaeis, atque Syris dumtaxat proprium ex dictis, ubi de horum Populorum Mensibus, abunde fit manifestum. Corsinio itaque Fast. Attic. T. II. dissert. 14. §. 14. p. 431. sqq., postquam ex Paeone Amathusio in Cypro Scriptore apud Plutarchum in Theseo Cypriis, atque certe Amathusiis *Gorpiaeum*, quo ille *Ariadnae* Sacra peragi consuevisse perhibet, etiam Mensem olim adhibitum observasset, ea opinio adhaesit, ut Cyprios sub *Alexandri M.*, cui Tyrum Olympiadis 112. anno 1. obsidenti Cyprii se se ultro citroque dedere, Plutarcho in Alexandro, & Arriano lib. 2. testibus apud Meursium de Cypro lib. 2. cap. 18, aetatem, aut saltem Amathusios Macedonicos alios etiam Menses admisisse putet: quam tamen ante Epocham veteres alios Cypriis usu Menses fuisse persuasum habet. Qui tamen hi fuerint, nemo sane hactenus nobis aperuit, & quos Hemerologium exhibet Mediceum, posterioris aetatis fuisse paullo superius advertimus. Quos etiam nobis servarunt ex Psello descriptos Gyraldus de Annis, & Mens. Oper. T. II. p. 785, Henricus Pantaleon in Diario Hist. relatos, indeque Beyerlinchius in Theatro Vitae Hum. T. V. Litt. M. p. 419, Spanhemius in Chronologia Sacra Par. I. Oper. T. I. p. 43, Henricus Stephanus Thes. Ling. Graec. T. IV. p. 225, ex ipsis vero Harduinus in Num. Popul. illust. p. 133, Usserius de Anno Solari Maced. cap. 4. p. 103, Corsinius in Fast. Att.

p. 432,

p.432, Manfredus in Elem. Chron. Par.I. cap.12. p. 59. &c., longe ſequiorem poſt aetatem fuiſse procuſos modo planum fiet. Atque hos ita Menſes interpretatus eſt Harduinus, ut eorumdem ſimul nominum interpretationem e regione expreſſerit, velut e ſubjecta II. Tabula diſcere licebit.

MENSES CYPRIORUM

EX HEMEROLOGIO MEDICEO-FLORENTINO.

Ιουλιος	Julius	24. Decembris
Καισαριος	Caeſarius	24. Januarii
Σεβαστος	Sebaſtus	21. Februarii
Αυτοκρατωρ	Autocrator	23. Martii
Δημαρχος	Demarchus	23. Aprilis
Πανσθυκρατος	Panſthycratus	24. Maji
Αρχιεριος	Archierius	23. Junii
Εστιεος	Heſtieus	24. Iulii
Λωος	Lous	24. Auguſti
Αφροδισιος	Aphrodiſius	23. Septembris
Απολλω	Apollo	24. Octobris
Αννιος	Annius	23. Novembris

MENSES PAPHIORUM

EX GYRALDO, HENRICO STEPHANO, ET HARDUINO.

I.	Ἀφροδίσιος	Aphrodisius	Veneris	Sept. 24.
II.	Ἀπογονικός	Apogonicus	Soboles fuit	Oct. 24.
III.	Ἀινικός	Aenecus	Aeneas	Nov. 23.
IV.	Ἴουλος	Julus	Et Julius	Dec. 24.
V.	Καισάριος	Caesarius	Caesar	Jan. 23.
VI.	Σεβαστός	Sebastus	Augustus	Febr. 22.
VII	Ἀυτοκρατορικός	Imperatorius	Imperator	Mar. 25.
VIII.	Δημαρχεξύσιος	Demarchexusius	Tribuniciae Potestatis	Apr. 25.
IX.	Πληθύπατος	Plethypatus	Consul saepissime	Maj. 25.
X.	Ἀρχιερεύς	Archiereus	Pontifex Maximus	Jun. 25.
XI.	Ἔσθιος	Estius	Ex Familia	Jul. 25.
XII.	Ῥωμαῖός	Romanus	Romana fuit.	Aug. 25.

X. Eadem porro ex officina prodiisse tam quos Hemerologii Florentini ad Ptolemaei Canones adnexit Graecus Scriptor, quam quos ex Psello Gyraldus, Graecoque alio Scriptore Henricus Stephanus, Harduinus &c. descripsere, Menses ambas conferenti Tabulas haud obscure patebit. Alterutro depravatos loci Menses fuisse haud dubium est, fuisseque ab Hemerologii Scriptore veri sit longe similius, velut ex S. Epiphanio, & Alexandro Monacho paullo supra laudatis arguere fas est. Itaque reponendus in I. Tabula videtur *Apogonicus* pro *Apollo*, *Aenecus* pro *Annius*, *Plethypatus* pro *Pansthycratus*. An vero pro *Romanus* sufficiendus *Lous* sit, an viceversa, deficientibus, quae conjecturis locum faciant, Veterum Monumentis, definire temere nolim. Pro *Demarchexusio* tamen in II. Tabula reponendum sane *Demarchus* infra suadebo. Paphiis jam vero prae-

praesertim Menses hos adhibitos fuisse, post Gyraldum, qui primus ex Psello ipsos evulgavit, persuasum habet Harduinus. Ita vero cum Romanis Menses Paphiorum hosce componere Henricus Pantaleo in Diario hist. studuit, ut ordine primus apud ipsum sit *Estius*, atque Januario respondeat; secundus *Romaeus*, Februario aequatus. Sextus ipsi non *Julus* legitur, sed *Junius*: quae sane Pantaleonis, atque Henrici quoque Stephani lectio, prae altera Lilii Gyraldi, & Henrici Stephani Joh. Meursio de Cypro lib. 2. cap. 18. placuit: haud rite tamen; praeferenda namque S. Epiphanii lectio procul dubio est, qui habet *Julus*; quod magis utique probant Spanhemius, & Harduinus. Hinc vero patet Menses apud Paphios eo fuisse a Scriptoribus hisce loco, & ordine putatos, atque dispositos, quo post receptam Anni *Juliani* formam Cypriis, sive Paphiis usu demum venerant. Quam sane ante Epocham, *Juliani* nempe Anni reformati, probabile fit ab *Aphrodisio* Cypriis, atque Paphiis Annum incepisse. Atque quidem *Aphrodisii* meminit etiam Porphyrius de Abstin. lib. 2. apud Eusebium Praepar. Evang. lib. 4. cap. 16, eumdemque Cypriis usurpatum fuisse testatur; unde ceteros quoque Paphiis nedum, sed Cypriis etiam fuisse communes arguit Usserius de Anno Solari Maced. cap. 4. *Plethypatum* adhaec nonum fuisse Paphiorum Mensem Alexander Monachus in Encomio S. Barnabae adfirmans, documento perinde est *Aphrodisium* fuisse primum, atque Civilis apud Paphios Anni caput. Juxta haec itaque Usserius loc. cit. Cypriorum Menses ita cum Syro-Macedonicis, Asianisque componit, ut apud illos, non secus atque apud, istos ab *Aequinoctio* Autumnali Civilis inciperet Annus, primus Anni Mensis apud Cyprios *Aphrodisius* esset, hujusque Neomenia Septembris Romani diei 24. responderet. Alios tamen apud Constantienses, aliosque apud Salaminios usu Menses venisse, aliudque ab his, atque ab illis factum Anno exordium ex S. Epiphanio Haer. LI. arguit.

XI. Cogitatum porro aliud Joh. Harduini, pro ingenio nova, inauditaque procudendi, animum subiit, quod in Num. Popul. illust. p. 133. horum de Mensium origine ita prodit. Nempe primum *Aphrodisium* ita a *Venere* Paphiis Sacra, Ἀφροδίτη nun-

nuncupata, apud Pausaniam in Atticis lib. 1. cap. 19. p. 44, Plinium lib. 36. cap. 6, ac Lucianum in Imaginibus, quo de *Veneris* nomine Meursius in Athenis Atticis lib. 2. cap. 1. Antiq. Graec. T. IV. p. 855, Mensem fuisse dictum valdequam probabiliter arguit. *Apogonicum* factum ab Ἀπόγονη *Soboles*, vel ab Ἀπόγονος *Filius*, *Nepos* &c. opinatur. Ἀινεικὸς, prout rectius a Psello, ac Gyraldo scribi censet, positum pro Αινείας, istudque nomen ab Αἶνος deductum vult. *Julum*, & *Caesarium* pro *Julio Caesare* positos fuisse sibi manifestum adfirmat. *Aeneam* jam vero *Anchisae*, & *Veneris* fuisse filium ex Homero siquidem pateat, de *Julio Caesare* vero oriundo ab *Julo Aeneae* filio nota quum sit fabula, *Julius a magno deductum nomen Julo*, proinde rem acu tetigisse se, originemque priorum quinque Mensium aperuisse putat. Sex consequentia Mensium nomina desumpta fuisse non ambigit ex titulis, qui leguntur in Nummis *Augusti* Graecis, ac Latinis, nempe *Augustus Imperator Tribun. Potest. Cos. Pontifex Max.*, quod est Graece *Sebastus*, *Autocrator*, *Demarchices*, *Exusius*, (quibus e duobus conflatum dicit *Demarchexusium*, distinctos legi tamen in Graecis Nummis adnotat), *Hypatus*, (e quo factum *Plethypatum*, uti recte Gyraldus scripsit, aut ut legit Pantaleon, *Plythypatum*, vel ut habet Spanhemius, *Pluthytatum*, aut ut Henricus Stephanus vertit, *Plethytatum*, observat: qua voce, *Plet* nempe, *Hypato* adjuncta, *Consulem* denotari *Augustum* saepissime factum, fuit enim *Cos.* XII, existimat). Reliquis duobus nominibus demum *Augustum* dictum fuisse *Civem Romanum*, sive *Domo Romanum*, ficto nomine Ἑςίων ab Ἑςία *Domus*, sive *Familia*; ideoque loco *Estion*, prout recte legit Pantaleon, prave *Esthios* apud Spanhemium editum a Librariis, opinatur.

XII. Ut haec vero ingeniose alioquin excogitata, qualemcumque veri praeseferre speciem aliquibus videri possint, fatendum attamen haud probabile fieri, quod Cyprios, eisdem etsi, sicut & Asianis aliis, de quibus paullo infra dicetur, Imperatorum favoris captandi gratia, eorumdem de nomine Menses aliquos denominandos statuisse dubitandum non sit, Cyprios, inquam, animum ea subierit cogitatio, incesserit-

feritque de Mensibus duobus *Aeneae* de nomine, stirpeque nuncupandis. Neque veri magis fit simile, quod ex omnibus *Augusti* titulis, uno contextu, continuaque serie deductis totidem novos conflare Menses Paphiis arriserit. Junge, quod Mediceo in Hemerologio diversus Mensium apud Cyprios ordo descriptus inanes hasce omnino Harduini conjecturas evertit. Deinde pro *Romano* ibidem *Lous* occurrit; loco *Aenici* habetur *Annius*, quod indicio est aliam profecto horum quaerendam fore Mensium originationem; atque pro *Demarchexusio* legitur, ut puto rectius, *Demarchus*. Quamquam & ipso in Hemerologio, fateor, veluti paullo superius animadversum est, *Apollo* ex S. Epiphanio, qui habet *Apogonicum*, emendandus est; & *Pansthycratus* ex Alexandro Monacho, qui *Phtithypatum* legit, corrigendus etiam est. Et certe *Demarchum* aequiori deducere jure licebit e *Demarchis* illis, qui Latine *Quaestores*, sive *Tribuni Plebis* dici recte queunt, quosve sicut apud Athenienses, ita quoque apud Cyprios olim obtinuisse, dum Reipublicae Popularis vigeret forma, arguere est. Atque *Demarchos* quidem Athenis numero 120. a *Solone* institutos discimus e Scholiaste Aristophanis in Nubes, qui Tribubus, in quas universus Atticae Populus distinctus erat, praeerant, Tabulas Λεξιαρχικὰς, in quibus Civium omnium nomina descripta erant, custodiebant, Populum in concionem vocabant, ac in suffragia mittebant, fundos in Populo quolibet censitos, aestimatosque servabant in usum tributa exigendi, defunctorum sepulturam procurabant, atque sortitioni in Senatu Quingentum Virum designando, Magistratibusque tributim per sortem eligendis praesidebant: quibus de officiis, aliisque *Demarchorum* propriis fuse Sigonius de Republ. Athen. lib. 4. cap. 2, Guillelmus Postellus de Repub. Athen. cap. 16, Ubbo Emmius de Repub. Athen. Graec. Antiq. T. IV, p. 456. sq., ac Meursius in Solone cap. 15. Antiq. Graec. T. V. p. 1338. sq., 1591. sq., & 2025. sq.

XIII. Atque si conjecturis ejusmodi fas indulgere sit, quid etiam prohibet, quin & *Archierius* nomen tulisse putetur ab *Archieriis* ita dictis, quod Scenicorum, Pantemimorum, Xysticorum &c., queis nempe Sacrorum quibusque suorum

rum

rum cura incumbebat, Collegiis, sive Synodis praeessent; velut habent veteres Inscriptiones Athleticae tum in Marmoribus Arundelianis n.4, tum apud Gruterum Thes. p. 313, tum in Lapide Praenestino apud Suaresium Antiq. Praenest. lib. 1, tum in Nummis Bithynorum, Laodicensium, & Apamensium in Syria apud Spanhemium, ubi *Archierei* titulo insigniti Provinciarum, Urbiumque Sacerdotes Maximi, qui & saepius *Asiarchae* dicti leguntur. Queis accedunt Lampridius in Alexandro, ubi *Archierei* Syri fit mentio; Tertullianus de Spectac., ubi *Archierei* dicti *Sacerdotales Praesides* habentur; Ecclesia Smyrnensis in Epistola de S. Polycarpi Martyrio, ubi Praeses, sub quo ille passus est, Ἀσιάρχης, & Ἀρχιερεὺς vocatur; Acta Apost. cap. 19. v. 31, ubi Ephesinus Praeses *Asiarcha*, sive *Archiereus* memoratus legitur. Quo de argumento prolixius alibi; videndique interea, qui horum de officio, dignitateque copiosius agunt, Spanhemius de Praest., & Usu Num. edit. Rom. p. 240. sqq., Gaulminius in Not. ad Eustathium p. 27, Falconerius in Not. ad Inscriptiones Athleticas Graec. Antiq. T. VIII. p. 2309. sq., Vandalaeus in Marm. Antiq. &c. *Estius* denique aeque dici potuisse videtur ab *Estiaeis*, Latine *Vestalibus*, Sacris idest, quae *Vestae* Mense Junio, in quem ideo *Estius* incidisse censendus est, fieri, eique sacrificari primitiae solebant: queis de Sacrificiis adeundi Hesychius in Lex., Eustathius ad Odyss. Η', Apostolius Cent. 9. Proverb. 21, Diogenianus Cent. 2. Prov. 4, & Cent. 4. Prov. 68, Zenobius Cent. 1. Prov. 40, Dempsterus Antiq. Rom. lib. 4. p. 344, & 392. &c. Fatendum nihilominus, quod si Harduini opinio veritate niteretur, Paphiorum Menses eo fuisse tempore institutos, atque Romanis tum adpellatos nominibus, quo Cyprus Insula primum a *Julio* Caesare *Arsinoe*, & *Ptolemaeo* concessa, mox ab *Augusto*, post *Antonii*, & *Cleopatrae* necem, Romano restituta Populo fuit, qua de re Joh. Meursius de Cypro lib. 2. cap. 20; atque de Cypriorum Mensibus, Annique forma hactenus.

DE

DE
MENSIBUS, ET ANNIS

Aſianorum, *Joniorum*, *Smyrnaeorum*, *Epheſiorum*, *Pergamenorum*, *Magneſiorum &c.*

ARTICULUS VIII.

I. ASiae Minoris Incolas omnes, Macedo-Cadueno, Myſo-Macedones, ſive Myſios, Macedo-Hyrcanos, Poemanemo-Macedones Plinio lib. 5. cap. 29. ſq. memoratos, Macedones Europaeos, Pergamenos item, Epheſios, atque Smyrnaeos, Magneſios, Joniosque pariter olim Macedonici Anni formae attemperaſſe ſe ſe, Menſium etiam nomina admiſiſſe indubium eſt. Sequiori vero ſub aetate an immutata fuerit apud Aſianos veteris Anni forma, novaque facta quinimo Menſibus nomina, quaeſtio eſt haud facile expedienda. Et ſane Epheſiis, atque Smyrnaeis alios inter Menſes uſu *Callimaeon* veniſſe in Marmore legitur Athenienſi apud Corſinium in Not. Graec. diſſert. 6. p. cxxvi. ſqq. Quem ego tamen, aut valdequam fallor, *Embolimaeum* fuiſſe opinor, cujuſmodi fuere *Carnius* apud Corinthios, *Dioſcorus* apud Macedones, *Merkedonius* apud Romanos, *Vea-*

dar apud Hebraeos &c. Longe vero gravius eſt, quod faceſſit negotium geminus a nobis ſaepe laudatus Codex Mſ. Ptolemaei Canonibus adnexus Bibliothecae cum Savilianae, tum Mediceae, ubi diverſarum Gentium Menſes deſcripti habentur, atque Romanis aequati. In utroque namque Codice Aſianorum tam Menſibus diverſa a veteribus Macedonum indita leguntur nomina, quam Anno diverſa ab antiquo Macedonico indita forma, atque factum initium adparet, ut exinde de veteribus Aſianorum Menſibus, Annique forma olim illis uſurpata quidquam definire res aleae plena ſit, atque diſcriminis. Praeſtat interea Menſium apud Aſianos cum nomina, tum ſeriem expromere, cujuſmodi in utroque proſtat Codice.

MENSES ASIANORUM

EX HEMEROLOGIO SAVILIANO, ET MEDICEO.

Ποσιδαων	Poſidaon	24.	Decembris
Λnναιος	Lenaeus	24.	Januarii
Ιεροσεβας	Hieroſebas	22.	Februarii
Αρτεμισιος	Artemiſius	24.	Martii
Συαγγελιος	Syangelius	23.	Aprilis
Στρατονικος	Stratonicus	24.	Maji
Εκατομβαιος	Hecatombaeus	23.	Junii
Αντεος	Anteus	24.	Julii
Λαοδικος	Laodicus	24.	Auguſti
Καισαριος	Caeſarius	24.	Septembris
Τιβεριος	Tiberius	24.	Octobris
Απατουριος	Apaturius	24.	Novembris

II. Menſium ex his, uti perſpicis, pleraque barbara omnino audiunt nomina, quae a Graeco potius Hemerologii Scriptore, pro Syro-Macedonum propriorum nominum ignorantia,

tia, foede depravata fuisse videntur. Inde factum etiam opinor, ut ab Anonymo quoque Ambrosiano Seculi VIII. exeuntis, aut Seculi IX. ineuntis scriptore, a Cl. Muratorio Anecd. T. III. p. 111. sqq. publici juris facto, libro de Computo §. 58. p. 139. Mensium nomina Asianis usurpata, quae perperam ipse Aegyptiis adscribit, longe pejus foedata fuerint: quos sane Menses hoc ordine, turbatisque hisce vocabulis ille recenset: *Dius*, *Apollonius*, *Dynaeus*, *Filisteus*, *Distreus*, *Artemisius*, *Pharemeneus*, *Laus*, *Scurpeus*, *Iperventius*. Quamquam & pleraque Gentibus illis prisca, & gentilia, pro antiquitatis more, amoreque, fuisse retenta, pleraque vero, pro novorum Imperatorum, quorum in potestatem devenerant, aucupanda gratia, blandiendique prurigine, recens procusa fuisse pronum est reputare. Mensium adhaec ordo in Codice utroque descriptus adparet, non juxta seriem Anni Gentium illarum proprii, sed magis juxta seriem Anni *Juliani* reformati, & a Januario deducti, adeo ut ex Hemerologio ejusmodi perspicui quidem fiant, qui Populorum illorum Menses Mensibus *Juliani* responderent, non etiam quo praecise a Mense apud illos Annus inciperet. Quamquam Asianorum plerisque, uti supra vidimus, ita postremo *Juliani* Anni reformati adeo placuisse formam liquido constat, ut postinde ab ipsa Januarii prima die cum Romanis Anni principium deinceps capere non dubitarint. Asianorum jam vero in Hemerologio descriptorum qui nomine veniant, haud omnino liquet. Usserius porro de Anno Solari Maced. cap. 4. ad calcem Annal. Vet. Test. p. 102. Ασίων loco Ἀθηναίων, *Asianorum* idest loco *Atheniensium* legi debere censet. Ego vero Asianorum nomine designatos potius Jonios, Atheniensium olim Colonos, Ephesios, atque Smyrnaeos, Pergamenos item, atque Magnesios opinor; utque opiner, efficiunt, quae paullo infra tangam, Monumenta, & testimonia, Marmor nempe Ephesinum a Maffejo productum de Siglis Graec. p. 61, in quo *Posideon*, & alterum Oxoniense, sive Arundelianum p. 1. sqq., in quo *Lenaeon* occurrit; atque ita quidem, ut Seldeno judice, Februario *Juliano* respondeat; cum quo plane compositus in Codice praefato *Lenaeon* legitur: Aristidis item Orat. 1, & Procli in Hesiod. testimonia,

 qui-

quibus *Posideon*, ac *Lenaeon* memorata liquent; atque ita quidem, ut Aristidi *Posideon* Hyemalis dictus sit Mensis: quod Mediceo plane cum Hemerologio congruit, in quo *Posideon* cum Januario comparatur. Habentur igitur hoc in Hemerologio Mensium, qui Joniis usu aliquando fuerant, omnium nomina, quae frustra alibi requirentur: quod sane Codicis hujusce pretio adcrescit haud parvo. Caeterum praeter Attica quaedam, aliaque propria Mensium nomina, aliqua Macedonica etiam Joniis cooptata fuisse, quin etiam prisca quaedam fuisse mutata, deque Imperatorum nomine, qualia *Caesarius*, *Tiberius* &c. deinceps nuncupata, fidem abunde facit Hemerologium istud. Et veteribus certe Latinis, abolitis Mensium nominibus, in novorum gratiam Imperatorum Menses ipsorum de nomine plerosque deinceps appellandos Romanis olim decretum infra ostendemus. Quamvis & suspicione non vacet a maleferiato Scriptore, qui proinde tanti fieri non mereatur, pleraque de ingenio conficta, pleraque e Scriptoribus aliis deflorata, unamque in seriem fuisse congesta Mensium Asianorum, non secus atque Populorum aliorum nomina: quorum altum veteres apud Scriptores ubique silentium obtinet.

III. Anni caput quod jam attinet, istud sane Autumnali ab *Aequinoctio* incipiendum Asianos hosce demum, Jonios videlicet, Ephesios, Smyrnaeos, Pergamenos, Magnesios &c. decrevisse, post Valesium in Not. ad Eusebium censet Emin. Norisius de Epochis Syromaced. dissert. 1. cap. 2; atque ita quidem, ut a *Dio*, non ab *Hyperberetaeo* Anni cardinem deducendum illos statuisse velit. E contra Usserius de Anno Solari Maced. cap. 1. sqq., quem pone sequi non dubitavit Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis Vet. cap. 1. de Anno Solari Maced. §. 12. sqq. p. 15. sqq., Asianos quidem omnes de Anno Solari deinceps admittendo convenisse utique, quin etiam Asianorum multos, velut Europaeo-Macedones, Pergamenos, Ephesios &c., Macedonici Solaris Anni formam amplexos ita fatetur, ut Anni principium etiam a *Dio* auspicandum duxerint; non omnes tamen, nec inter istos Syro-Hellenes, ac Smyrnaeos, queis ab *Hyperberetaeo* Anni ducere initium adlibuisse censent, velut ex Epistola Ecclesiae Smyrnensis arguit

arguit juxta versionem Chronici Alex. p.258, edit. Parif., Ven. p.206, in qua S. *Polycarpus* passus legitur die 2. *Xanthici*, 7. *Kalend. Aprilis*. Valesio autem in Not. ad Eusebium Hist. Eccles. lib.4. cap.15, atque Norisio de Anno Maced. disser.1. cap 2. censentibus legendum eo loci fore 7. *Kalendas Martias*, juxta veterem Latinum ejusdem Epistolae Interpretem, reponit Longuerue in tribus veteribus Latinis Codicibus Mss. a Bollando inspectis, ac in duobus Codicibus aliis Sarisburiensi, & Cottoniano ab Usserio consultis legendum constare 7. *Kalend. Majas*: quibus jungendi vulgatus Latinus Interpres, qui legit Mense Aprili 7. *Kalend. Maji*, Graecus item apud Usserium cap.3. ejusdem Epistolae editor, qui habet etiam Πρὸ Ἑπτὰ Καλανδῶν Μαίων, 7. *Kalend. Majas*. Sed enim cum Graeco Editore illo errasse Latinos Interpretes eodem loci ostendere conatur Longuerue, retinendamque Chronici Alexandrini lectionem, qua S. *Polycarpi* obitus diei 2. *Xanthici*, 7. *Kalend. Aprilis*, sive diei 26. Martii adstringitur. Graeco vero Scriptori, a quo in errorem Latini Interpretes pertracti sunt, errandi occasionem praebuisse arbitratur, quod Syro-Macedonum Menses a *Julianis* discrepare ignoraverit; atque *Xanthicum* Smyrnaeis memoratum Aprili *Juliano* aequatum existimaverit, ideoque 7. Kalend. *Maji* pro 7. Kal. *Aprilis* reposuerit. Ast & Chronici Alex. lectionem hancce quoad diem Martyrii S. *Polycarpi* heic designatam *Martii* diem 26. injuria vellicari, omninoque retinendam ostendere nititur Pearsonius de Annis priorum Romae Episcoporum disser. 2. cap.14. sqq. usque ad cap.21. p.276. sqq. usque ad p.310, qui nempe S. *Polycarpi* Martyrium, non utique sub *Marco Aurelio* anno 7, Christi 167, ut Valesius, aut 9, Aerae Christianae 169, uti Bucherius, & Usserius, aut 15, Christi 175, ut Petitus Var. Lect. lib.4. cap.7, sed diu ante sub *Antonino Pio* anno 9, Aerae Christianae 147. contigisse statuit: quod probant etiam Ducangius in Not. ad Chronicon Alex. loc. cit., ac Longuerue cit. differt. cap.1. §.18. sqq. p.25. sqq., Eusebium Hist. Eccles. lib.4. cap.14, eumque sequutos passim Eruditos refellens; conferendusque Blanchinius etiam in Not. ad Anastasium Bibl. T. II. edit. Rom. p.133.

IV. Quae

IV. Quae haud parva sane inter Doctos disceptatio, cui profecto componendae impares nos prorsus esse ingenue fatemur, ampliori ut in lumine collocetur; unde liberum sit, integrumque Lectori, quam maluerit, partem amplecti; observare non poenitebit quaestionem hancce de S. *Polycarpi* anno, Mense, dieque Passionis sicco transiri pede ferme a Ruinartio Act. Sincer. in Admonit. praevia ad S. Polycarpi Martyrium p.26, illud anno Christi 166. adfixisse contentus. In utramque partem inflexus Toinardus in Not. ad Lactantium de Mort. Persec. p.40. sq. *S. Polycarpum* die 23. Februarii anno 166. Martyrio affectum cum Valesio, Norisio &c. opinatus fuerat: qua postea opinione seposita in Admonit. Notis adjecta ad Pearsonium accessit, probabile arbitratus *S. Polycarpi* Martyrium Aerae Christianae anno 147. die 26. Martii contigisse. Singularem vero P. Grandamicus p.69. sententiam induit, qua *S. Polycarpi* emortualem diem 2. *Xanthici*, cum die 2. Aprilis anno 169. copulandam duxit, in qua tamen a Doctis omnibus deseritur. Scaliger in Not. ad Eusebii Chron. p.221. *S. Polycarpi* Martyrium anno 167. die 22. Martii adigendum putavit. Indeque parum absuere Bucherius de Pasch. Judaeor. Cyclo cap.8. p.418, illud die 26. Martii anno 169. consignans, & Usserius in Not. ad Smyrnensis Eccles. Epistolam, ac de Anno Solari Maced. cap.1, illud die 26. Martii contigisse itidem contendens, anno Christi 169, *M. Aurelii Antonini* anno, non 4, ut Fasti Siculi, non 7, ut vulgata Eusebii Chronica, non 6, ut Eusebii Codices Mss. habent, sed 9, ut habet Lucii Dextri Chronicon. Cum Bucherio, & Usserio fecere Ludovicus du Four Longuerue loc.cit., ac Petrus Halloixius in Notat. ad cap.12. vitae S. Polycarpi, & Chronici Alex. Scriptorem pone sequutus passum *S. Polycarpum* 7. Kalendas Aprilis, sive die 26. Martii, Christi D. anno 167, *M. Aurelii* anno 7. statuit. Halloixio adstipulantur Pagius ad annum 169. n.4. Annal. Baronii edit. Lucen. T.II. p.241. sq., nihilo tamen meliora, quam Usserius protulisset, in medium ipse proferens; ac Bollandus ad Januarii diem 26. Act. SS. T.II. edit. Ven. p.691. sqq., hacce die apud Latinos *S. Polycarpi* memoriam celebrari referens ex Martyrologiis Romano, V. Bedae, Usuardi, Rabbani,

bani, Adonis, Bellini, Maurolyci, Felicii, Notkeri, Canisii, Rosvveidi &c., qua die Martyrium illud contigisse probabile habet. Verum tamen in veteribus Actis Latinis *S. Polycarpi* necem in Aprili consignari 7. Kalendas *Majas* observans, ea corrupta esse Acta, ac legendum 7. Kalend. *Apriles*, ideſt die 26. *Martii*, velut habent Chronicon Alex., & Acta Graeca, admonet Christi anno 169, *M. Aurelii* 9. Pearsonius denique de Annis priorum Rom. Episcop. dissert. 2. cap. 18. p. 293. sqq., & cap. 20. p. 307. sqq. in ea persuasione versatur, ut *S. Polycarpi* Martyrium 7. Kalendas *Aprilis*, die 2. *Xanthici*, Sabbatho proxime diem Paschatis antecedente, sub *Antonino Pio*, Aerae Christianae anno 147. contigisse putet: ita nempe putandi argumento cum ex Graeco Actorum *S. Polycarpi* scriptore, tum ex Auctore Chronici Alex. desumpto, atque *Xanthicum* ideo a die 25. *Martii* cepisse autumat: qua in re consentientes habere se Usserium, Langium, Beveregium, ac Ricciolium jactat.

V. Contra vero Bucherium, ac Usserium, inde putantem Smyrnaeos, praeter morem reliquarum Asiae Civitatum, *Xanthicum* a die 25. Martii exorsos fuisse, quod persuasum etiam fuisse Langio, Beveregio, Ricciolio, & Pearsonio modo vidimus, pugnat Henricus Valesius in Not. ad Epist. Smyrnensis Ecclesiae apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 4. cap. 15. edit. Taurin. T. I. p. 146. sq., Smyrnaeos in Anni, Mensiumque dispositione a reliquis Asiae Civitatibus, queiscum alioqui commercium erat, dissensisse inverisimile reputans, ideoque ea in Epistola de *S. Polycarpi* Martyrio legendum *Xanthici* die 2, 7. *Kalendas Martias*, ideſt die 23. *Februarii*, non vero cum Bucherio, Usserio, ac Pearsonio *Xanthici* die 2, 7. *Kalend. Apriles*, sive die 26. *Martii*, anno 167, quo die plane 2. *Xanthici*, 23. *Februarii* Graecis *S. Polycarpi* memoriam coli tam ex Menologiis, ac Menaeis, quam ex Actis *S. Pionii*, sub *Trajano Decio*, annis 80. circiter a *S. Polycarpi* obitu passi, in quibus *Xanthici* dies 2. cum die 23. *Februarii* conjuncta legitur, ostendere conatur. Valesio adhaerent Livelejus eadem die 23. *Februarii* anno 167. Martyrium illud illigans; Norisius de Anno Maced. dissert. 1. cap. 2. Oper. T. II. edit.

Ve-

Veron. p. 30. ſqq. eadem quidem *Februarii* die 23. *S. Polycarpi* obitum conſignans, non tamen Aerae Chriſtianae anno 167, uti Valeſius, quo dies 23. *Februarii* non in Sabbathum, ut habetur in Actis, ſed in Dominicam incidiſſe demonſtrat, ſed anno 166; Florentinius Exercit. in S. Polycarpum p. 340. ſqq., Tillemontius in Not. 5. ad S. Polycarpum edit. Bruxel. T. II. Par. II. p. 566. ſqq., & Mazochius Comment. in Kalendarium Marmor. Eccleſ. Neapolit. T. I. p. 67. ſqq. ad diem 23. Februarii, in hanc utique diem *S. Polycarpi* Martyrium conferri adnotantes a Martyrologiis S. Hieronymi MS., Rabbani, Uſuardi, Carthuſiano Colonienſi, Galeſinii, aliiſque apud Florentinium, a Kalendario Marmoreo Eccleſiae Neapolitanae, a Graecis Menaeis, Baſilii Menologio, & Anthologio, a Moſcovitarum Kalendario effigiato &c. Ex Galeno vero contra Uſſerium oſtendit Florentinius, (quod Valeſio omiſſum fuerat), *Artemisium* apud Aſianos cum Verno *Aequinoctio* cepiſſe, ideſt a *Martii* die 24, aut 25; ideoque *Xanthicum*, qui proxime *Artemiſio* praeit, incepiſſe die 22. *Februarii*. Cui argumento Tillemontius alterum ex S. Johanne Chryſoſtomo T. III. p. 808. petitum addit; ubi Menſem 9. *Novembrem* poſt *Xanthicum* nuncupans, ideo cum *Martio* copulatum *Xanthicum* fuiſſe indicat. Pearſonium vero ſpeciatim refellit *S. Polycarpi* Martyrium in diem 26. *Martii*, & annum 147. conferentem, illud anno 166. die 23. *Februarii* conſignandum ex Chronico Euſebii Mſ., ipſoque Chronico Alexandrino ejus obitum anno a Chriſti paſſione 133. illigante contendens. Mazochius denique in Not. 46. ad S. Polycarpum p. 68. ſq. *Sabbathi Magni*, quo in Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiae *S. Polycarpi* Martyrium contigiſſe refertur, quodque adeo Viris doctiſſ. fraudi fuit, digladiandique occaſio, nomine, non *Sabbathum* Judaicum utique, ſiquidem minus veri fiat ſimile Chriſtianos Smyrnenſes *S. Polycarpi* memoriam Feſti mere Judaici nota fuiſſe conſignaturos, ſed Chriſtianum, ideſt *Dominicam* intelligi debere opinatur. Quae Viri doctiſſ. opinio, ſi veritate nititur, fruſtranea jam eſt, quae tantum de Anno, Menſe, dieque Martyrii *S. Polycarpi* negotium Viris doctiſſ. faceſſivit, diſputatio.

VI. Quod

VI. Quod ad Acta vero *S. Pionii* attinet, in quibus apud Baronium ad annum 254. n. 2. sqq. sub *Trajano Decio* ante 4. *Idus Martias*, Asianorum Mensis 7. die 11, aut 12, Sabbatho *S. Pionius* Martyrio affectus legitur: queis ex Actis sane vim faciunt validam Valesius, ac Norisius loc. cit., ut inde *Xanthicum* a die 22. *Februarii* cepisse suadeant, Acta, inquam, haec interpolata fuisse multis oppido post Pearsonium de Annis prior. Romae Episcop. dissert. 2. cap. 19. p. 302. sqq., ostendere nititur Longuerue de Var. Epochis Vet. cap. 1. §. 16. sq. p. 21. sqq. I.° nempe, quod Actis SS. Martyrum olim sola *Proconsulis* nota, non etiam *Imperatorum*, adponi solebat, veluti patet ex Actis S. Polycarpi, SS. Martyrum Lugdunensium, SS. Perpetuae, & Felicitatis &c.; II.° quod siquidem *S. Pionius* Sabbatho passus dicatur, ut *Sabbathi* dies in diem 11, aut 12. *Martii* inciderit, littera *Dominicalis* esse debuit A, vel B: quae neutra, *Decio* imperante, in Kalendario cucurrit. Itaque suspicatur Interpolatorem vixisse Constantinopoli, ubi Annus siquidem inciperet a Kalendis Septembribus, sive a die 1. *Gorpiaei* 7. Juliano aequati, ideo Mensem 7. falso putarit *Martium*, sive *Dystrum*, atque diem 11, aut 12. hujus in 4. Idus *Martii* incidisse: etsi dies 11. cum 4. Idus convenire alioqui nequeat. Ast enim Asianorum, sive Syro-Macedonum Mensis 7. ab *Aequinoctio* Verno inibat. Falli adhaec declarat Auctorem Chronici Alex., qui p. 270. edit. Paris., Ven. p. 216. pro Mense 7. posuit Mensem 6; cui sane Mensi 6. non respondet *Sabbathum*, sive Littera *Dominicalis* E; qua littera E decurrente anno 251, die Sabbatho, ac die 12. Mensis 7. Asianorum, die 5. Juliani Aprilis *S. Pionium* Smyrnae combustum fuisse concludit; atque Eusebium inde anachronismi etiam arguit. Sed enim Pearsonio, ac Longuerue etsi sententia praeiverint Scaliger, ac Petavius, quibus utique *S. Pionii* Acta spuria visa sunt, illum sub *Marco Aurelio* eo ipso, quo *S. Polycarpus* anno Christi D. 166, aut 167, dieque 26. Martii passus fuerat, Martyrio affectum putantibus; de eorumdem tamen Actorum sinceritate dubitare longe verius nefas visum est, multisque probatum Baronio loc. cit., ad annum 169. n. 22, & in Not. ad Martyrolog.; Valesio in Not. ad Euseb. loc. cit.; Norisio de Anno Maced. cap. 2; Us-

 serio

ſerio quoque de Anno Solari Maced. cap.3. p.99. ſq., cujus opiniones ſequi Longuerue alioqui ſolet, quemve hocce ſane loci pene exſcripſit; Pagio item ad cit. annum 254. n. 11.; Henſchenio ad Februarii diem 1. §.2. ſq. Act. SS. T. I. edit. Ven. p.38. ſq.; Toinardo in Not. ad Lactantium de Mort. Perſecut. p. 37; Ruinartio in Act. SS. Martyr. Sincer. in Admon. praevia ad S. Pionii Martyr. p.116. ſqq., ac Tillemontio in Not.2. ſqq. ad S. Pionium edit. Bruxel. T.III. Par.II. p.445. ſqq., ubi Pearſonium ſingillatim ſibi profligandum ſtatuit, propoſuitque, ſub *Decio* Aerae Chriſtianae anno 250, aut 251, *Martii* die 11, aut 12. *S. Pionii* Martyrium unanimi conſignantibus conſenſu: quod multis oppido, atque graviſſimis, apud ipſos recolendis, conficiunt.

VII. Ad Epheſios devoluto modo ſermone, eos certe Macedonum admiſiſſe Menſes, Annique Solaris formae ſemet attemperaſſe, atque ita quidem, ut fere ab Uſſerio de Anno Solari Maced. cap.4. deſcripta fuit, liquido patet ex Hemerologio deſcripto in gemino Codice Saviliano, ac Mediceo. Utrobique namque, (quod indicio eſt liquido Menſes apud Epheſios tum Macedonicos, tum fuiſſe Solares), ad Anni *Juliani* formam, juxtaque Julianorum ordinem Macedonici Epheſiis uſurpati Menſes, eorum nonnullis etſi depravatis nominibus, exhibentur. Anni familiam attamen apud Epheſios non *Boedromion*, velut apud Jonios alios, neque *Hyperberetaeus*, velut apud Smyrnaeos, ſed magis *Dius*, ſicut & apud Pergamenos, ac Magneſios duxiſse videtur, *Juliani* Septembris diei non utique 23, ut Hemerologio in utroque legitur, ſed diei 24. aequiparatus, quo de initio Uſerius, Noriſius &c., rurſuſque nos infra. Mendum vero nedum in Hemerologio *Dium* cum die 23. Septembris comparante cubare videtur, ſed imo graviori peccaſse vitio Hemerologii Scriptor inde dignoſcitur, quod Menſibus apud Epheſios, *Julianis* alioquin aequatis, ad unum omnibus idem a 9. Kalendas Julianorum Menſium omnium exordium fecerit: Macedonici ſiquidem Menſes Solares, ac *Julianis* aequatos dierum 30. alios, alioſque dierum 31, ſicuti *Julianos*, fuiſse oportet. Quod ut facilius intelligi detur, ecce tibi eorumdem, ut in Hemerologio utroque extat, Diagramma.

MEN-

MENSES EPHESIORUM

EX CODICE SAVILIANO, AC MEDICEO

Περιτιος	Peritius	24.	Decembris
Διςτρος	Diſtrus	24.	Januarii
Χανθικος	Xanthicus	21.	Februarii
Αρτεμισιος	Artemiſius	24.	Martii
Δεσιος	Deſius	23.	Aprilis
Πανημος	Panemus	24.	Maji
Λωος	Lous	23.	Junii
Γορπιδιος	Gorpidius	24.	Julii
Υπερβερεταιος	Hyperberetaeus	24.	Auguſti
Διος	Dius	23.	Septembris
Απελλεος	Appelleus	24.	Octobris
Αιδυναιος	Aedynaeus	23.	Novembris

VIII. Aſt enim olim, ante ideſt, quam Macedonum jugo ſubacti, eorum cum Menſes amplecti, tum Anni rationi attemperare ſe ſe officio Epheſii duxerint, eiſdem Epheſiis, non ſecus, atque Joniis aliis, qui Athenienſium Coloni fuere, Atticos proculdubio uſurpatos fuiſse Menſes, pauca, quae nobis e Vetuſtatis remotiſſimae injuria erepta ſuperſunt, Lapidibus inſculpta Monumenta teſtantur. Ita namque in eximio Pſephiſmate anno 3. Olympiadis 183, U. C. 709, Chriſti ante natalem 45. in Judaeorum gratiam edito, Joſepho Antiq. Jud. lib. 14. cap. 10. memorato, *Lenaeonis* Epheſiis uſurpati Menſis occurrit mentio; quem profecto Menſem ita etiam Jonibus olim adpellatum fuiſſe, qui Athenienſibus poſtea *Antheſterion* dictus eſt, teſtis accedit Proclus in Heſiod. Adhaec ex Antiquitatum Aſiaticarum Chishulli Par. II, Opere inedito, Lapidem Epheſi ſcalptum exhibet Cl. Maffejus de Siglis Graecor. p. 61. ſq., in quo *Po-*

sideonis nomen legitur in haec verba: Μηνός Ποσειδεῶνος ἡμέρα πέμπτη ἀπιόντος *Mensis Posideonis die 5. exeuntis*. Ubi Vir doctiss. observat Librariorum errore procul dubio postremas ibidem Siglas in editione Lapidis a Duumviris doctiss. Burlingtono, ac Meado curata sic explicari Πέμπτη Ἱσταμένου *Die quinta ineuntis*: nefas siquidem putare sit Viros doctiss. Απι interpretatos unquam esse Ἱσταμένου Ineuntis, quae dies 5. Mensis esset, quum quinta *Exeuntis* dies sit 26. *Atticis* deinde Mensium apud Ephesios nominibus *Macedonica* fuisse suffecta docet Josephus Antiq. Jud. lib. 14. cap. 10, ubi ψήφισμα Decretum aliud Ephesi die 1. *Artemisii* editum exhibet. A Muratorio etiam Thesauri novi p. 579. n. 1. Marmor aliud profertur Ephesi repertum, deque maximo apud Ephesios *Dianae* cultu exaratum, in quo *Artemisôn* olim Ephesiis vocatus, Macedonibus vero, Graecisque aliis *Artemisius* nuncupatus dicitur, dictusque *Dianae* de nomine notatur; quo perinde Mense integro Divae sacrificia, ludique fieri decernuntur. Et *Diana* certe magno Ephesi in honore quin habita fuerit, nemo ignorat: ejusque in Statuae diademate, cingulo, ac basi characteres, vulgo *Ephesii* nuncupati, Ἐφέσια γράμματα, insculpti erant, quos *Magicos* fuisse, rituque superstitioso ab iis legi, recitarique, qui maligno obsessi a Spiritu essent, consuevisse tradunt Plutarchus Sympos. lib. 7. q. 5. T. II. p. 706, & Clemens Alex. Strom. lib. 5. T. II. p. 671, conferendusque Erasmus Adag. Chil. II. Cent. 8. Proverb. 49. Quo arguere fas ex Lapide est *Atticis* subrogata deinde *Macedonica* fuisse Mensium nomina: quod magis, magisque Codice utroque Saviliano, ac Mediceo supra laudato confirmatur; in quo gemino Mensium apud Ephesios nomina pura utique, putaque Macedonica *Julianis* aequata leguntur.

IX. Verumtamen Corsinio Viro doctiss. Fast. Attic. T. II. dissert. 14. §. 18. p. 449. ita ab Ephesiis Macedonici usurpati Menses videntur, ut tamen uno Mensis spatio Macedonum Mensium seriem antevertere voluerint, idest ut, non a *Dio* utique, sicuti Macedones Europaei, sed ab *Hyperberetaeo*, uti Syro-Macedones, Anni deducendum initium duxerint. Quae ipsamet est Norisii sententia contra Usserium contendentis, cui

cui Ephesii, sicut & Macedones Europaei &c. annum a *Dio* auspicati videntur. Jones vicissim, in iisque Ephesios, Magnesios &c., reliquis etsi cum Asianis Menses Syro-Macedonum *Solares* admiserint, vetera tamen *Attica* Mensium nomina prorsus aboleri non permisisse, ideoque *Posideonis*, ac *Lenaeonis* antiqua nomina Attica iis retenta, eaque Aristidi Jonio Serm. I. sacro memorata contra Norisium dissert. I. cap. 2. pugnat Longuerue de Var. Epoch. cap. I. §. 21. p. 32. sq.; contra Usserium vero, qui de Anno Solari Maced. cap. 2. *Lenaeonem* Jonum communem fuisse Magnesiis arguit ex Inscriptione Marmoris Oxon. p. 1. sqq., ubi sub *Seleuco Callinico* Asiae Rege Smyrnaeos inter, ac Magnesios foedus Mense *Lenaeone* sancitum fuisse legitur, (quod & prostat apud Froelichium ad calcem Annal. Reg. Syr. p. 130.), ideoque Magnesiis Jonum quidem Menses, non vero Syro-Macedonum fuisse usurpatos opinatur, idem Longuerue pugnat tum Joniis universim, Smyrnaeis, ac Magnesiis, tum Graecis Asianis etiam aliis eo tempore Syro-Macedonum Menses fuisse communes, fuisseque *Solares*, non amplius *Lunares* Atticos, nominibus Atticis tamen adhuc insignitos. Aristidis denique auctoritate concludit *Posideoni* immediate *Lenaeonem* successisse: qui Attico-Asianorum, sive Ephesiorum, sive Jonico-Macedonum *Lenaeon* Attico an *Anthesterioni*, an *Gamelioni* responderit, definire Vir doctiss. non audet: verius etsi respondisse *Anthesterioni* existimet cum Scaligero de Emend. temp. lib. I. p. 29. sqq., ubi Mensium Atticorum ordinem a Theodoro Gaza digestum emendat. Nam quo Joniis, Ephesiis &c. *Dionysia*, sive *Liberalia* Mense *Lenaeone* solemnia fuisse tradit Johannes Tzetzes, eadem celebrari Atheniensibus consuevisse Mense *Anthesterione* testes accedunt locupletes Demosthenes Orat. contra Neaeram, Plutarchus Sympos. lib. 3. Probl. 7, & Athenaeus Dipnos. lib. 2. p. 494. Adhaec Aristides, qui Serm. I. sacro *Posideoni* continuo *Lenaeonem* subjicit, Menses tamen Jonicos, sive Atticos ita Syro-Macedonicis aequat, ut quintum Macedonicum *Peritium* cum *Lenaeone* comparet: *Peritius* autem Macedonicus Attico *Anthesterioni* respondet in serie

ſerie Menſium Syro-Macedonum, eorum nempe Aſianorum, qui ab *Hyperberetaeo* Annum incipiendum decrevere: quae opinio fuit Noriſii contra Uſserium, qui Epheſios a *Dio* Annum fuiſſe auſpicatos exiſtimat.

X. Atqui contra Longuerue Virum alioqui longe doctiſs. veterum Atticorum Menſium nomina Joniis, Epheſiis ideſt, Smyrnaeis, Pergamenis, Magneſiis &c. tenaciſſime retenta fuiſse, veluti pro aris, fociſque, pugnantem, apertiſſime faciunt, ut de Joſephi loco nihil heic regeram, tam Marmor Ephesinum a Cl. Muratorio evulgatum, quod ipſe videre nequivit, in quo vetus *Artemiſon* Epheſiorum mutatus in *Artemiſium* Macedonum dicitur, uti ſupra planum eſt factum; quam Codex uterque MS. Savilianus, ac Mediceus, quem nec ipſi fas inſpicere fuit, in quo Epheſiorum ſane Menſes nominibus pure, puteque Macedonicis, etſi alicubi depravatis, expreſſi leguntur. Id unum faceſſere hocce negotium loci videtur, quod, (in Hemerologio ſiquidem praelaudato, veluti laterculum ſuperius exhibitum conferenti patebit, Menſes apud Epheſios, non ſecus atque apud Jones alios, Aſianos, alioſque Graecos, juxta feriem *Julianorum* putentur), quod, inquam, *Hyperberetaei* exordium cum *Auguſti* die 24. componitur, (*Dius* è contra cum die 23. Septembris confertur), ideoque ſi Epheſiis, atque Joniis aliis, more Macedonum, Annus ab Autumnali *Aequinoctio* inibat, a *Dio* potius, non ab *Hyperberetaeo*, Anni apud Epheſios, alioſque Jonios duci exordium oportebat. Itaque pugnantia iſthaec ea poſtremo componi ratione poſſe, niſi mea me valdequam fallit opinio, putaverim, ut equidem prius Epheſii, Pergameni, Smyrnaei, Magneſii, Joneſque alii Macedonici *Solaris* Anni recepta forma, Menſem Anni primum eſſe *Hyperberetaeum*, Romani Septembris diei 23, ſive magis 24. reſpondentem, voluerint; longe poſtea tamen, *Juliani* reformati, ubique Romano una cum imperio invaleſcentis, Anni forma admiſſa, a die 24. Decembris, ideſt ab *Incarnatione Dominica*, quam Anni Chriſtiani deinceps Epocham voluiſſe ex Aſianis oppido multos alibi oſtendemus, Anni principium repetendum deinceps, ideo-

que

que primum Anni Menſem *Peritium* ſtatuere delectati ſint. Atque de Gentibus in Aſia pleriſque, queis Anni Syro-Macedonici forma recepta aliquando fuit, ſatis jam, atque ſuper, ad Graecorum modo Menſes, Annique rationes ut noſtra devolvatur oratio, cum operae pretium eſt noſtrae, tum praefiniti nos urget temporis anguſtia.

DE

MENSIBUS, ET ANNIS

Atheniensium, Deliorum, Ambraciotarum, Eleorum, Lindorum, Coensium, Pariorum &c.

ARTICULUS IX.

I. GRaecos veteres Astronomiae olim, longoque tempore admodum imperitos fuisse, quorum ex imperitia perinde Chaldaeos, Aegyptiosque, quorum adyta Graecis, alioqui veri plane sitientissimis, omnia patuisse non dubium est, paris arguere fas est imperitiae, duo prae aliis principio liquido manifestant: 1.° *Solstitiorum* Ludos propter Olympicos parum accuratae observationes: 11.° *Solaris* Periodi cum *Lunari* toties, parumque feliciter tentata concordia. Atque principio quidem Regem Atlantiarum illum, qui Graecis Οὐρανὸς, Latinis *Caelum*, seu *Olympus*, utrisque *Saturni* pater, Deorum ideo antiquissimus habitus fuit, primum Astronomiae fuisse inventorem apud priscos Fabularum auctores fertur, videndusque Diodorus lib. 5. p. 321. sq. Laudem hanc è contra *Andubario*, qui ex *Arphaxadi* stirpe circa *Phalegi* tempora in Indiam profectus, ibi primus Astronomiae incubuerit, tribuunt Auctor Chronici Alex. p. 36. edit. Parif., Ven. p. 30, ubi pleraque de primis Astronomiae cultoribus persequitur, Cedrenus item in Compend. hist. Par. I. p. 14,

p. 14, Simeon Logotheta &c., *Hermeti* alii, quo de alibi fuse disputatum est; *Helio* alii apud Diodorum lib. 5. p. 227. *Atlas* sed enim Phryx genere Astronomiae primus operam impendisse, totumque Λόγον Σφαιρικόν reperisse fertur; a quo edoctus *Hercules* easdem in Graeciam deinde disciplinas intulisse dicitur: qua de fabula Diodorus lib. 3. p. 135, & lib. 4. p. 163, Plinius lib. 7. cap. 56, & Clemens Alex. Strom. lib. 1. p. 306. Verum Cretenses *Hyperioni* gloriam hancce de Solis, Lunae, aliorumque Syderum motu primum deprehenso tribuendam fore contendunt apud Diodorum lib. 5. p. 331. sq.; quam vicissim laudem populari suo *Endymioni* referendam, utqui *Lunae* cursum prior observaverit, Arcades pugnant apud Lucianum in Comment. de Astrologia, Scholiastem Apollonii lib. 4. *Actis*, seu *Actaeus* è contra, *Cecropis* Atheniensis sub aetate, Astronomiae cum in Rhodo Insula totus incubuisse, tum eamdem deinde primus Aegyptiis communicasse ab aliis traditur, Diodoro teste lib. 5. p. 223. Verum missis, quae de Astronomiae studio egregie a *Chirone*, ejusque filia *Hippe* exculto ab Auctore Titanomachiae apud Clementem Alex. lib. 7. p. 361, ac Cyrillum Alex. contra Julian. lib. 4. p. 134, quo de infra; ab *Eubadne* Chaldaeo apud Hyginum Fabul. 274; a *Promethaeo* ab Aeschylo in Prometh. v. 447. sq., & a *Palamede* apud Sophoclem relatum Achilli Tatio Isag. ad Arati Phoenom. edit. Petavii Ven. T. III. p. 73; a *Belo* Chaldaeo, de quo Aratus ibid.; ab *Hostane*, & *Astreo* apud eumdem Aratum p. 73. sq.; a *Zoroastre*, & *Orphaeo*, quo de Lucianus T. III. edit. Basil. p. 254, videndusque Fabricius Bibl. Graec. lib. 1. capp. 20, & 36, ac lib. 3. cap. 5; a *Meri* Aegyptio, de quo Antichides apud Laertium edit. Rom. p. 216, ubi conferendus Aldobrandinus in Not. p. 106. edit. fol. Rom., fabulae circumferri solent, qui veterum Graecorum res gestas memoriae demandarunt, Astronomiae scientiam vel ab *Assyriis*, queis laudem hancce tribuunt Sextus Empiricus adv. Mathem. cap. 21, ac Cicero de Divin. lib. 1; vel ab *Aegyptiis*, quos omnium primos Astronomiae magistros fecere Lucianus de Astrolog. T. III. p. 255, Macrobius Satur. lib. 1. cap. 21, &c.; vel ab *Eliadibus*, uti Diodoro lib. 5. p. 328; vel a *Phoenicibus*, uti Straboni

lib. 16. p. 1098. visum, conferendusque Carlius de Argon. Exped. lib. 2. §. 10. p. 48. sqq., accepisse Graecos sane consentiunt, qua de re Herodotus lib. 1. cap. 74, lib. 7. cap. 37, & lib. 9. cap. 10, Plinius lib. 11. cap. 76, Laertius in Vit. Philos., Macrobius in Somno Scip. lib. 1. cap. 21, Theodorus Gaza de Mensib. apud Petavium Doct. Temp. T. III. p. 160, Suidas &c.

II. Tam vero his indigesta esse debuit, quam illis rudis admodum fuerat, Astronomiae disciplina, veluti suo abunde demonstratum est loco. Et profecto quidem a Graecorum antiquissimis *Solstitium* Aestivum in 1, aut 4. *Cancri* gradu collocatum fuisse, in gradu 8. ab aliis, a quibusdam in gradu 12, aut 15. auctor est Achilles Tatius Isag. ad Arati Phoenom. §. 23. edit. Petavii T. III. p. 85. Qui vero in *Cancri* gradu 8. *Solstitium* constituere, illud diei 8. Julii fixum arbitrati sunt: quo postea loco a Timocharide, & ab Hipparcho ad diem 27. Junii deductum fuit. A *Museo* Orphaei Magistro omnium primo Sphaeram elaboratam fuisse circa tempus Argonauticae expeditionis, quam anno 40. circiter ab obitu *Salomonis* adornatam suspicatur Newtonus in Chronolog. Vet. Regn. Emend. cap. 1. edit. Ven. p. 67. sqq., referunt quidam apud Laertium in Prooem. lib. 1: quam tamen laudem *Nausicae* Alcinoi Regis Pheacorum filiae adscriptam a Corcyrensibus perhibet Suidas in Αναγαλλὶς. Nevvtonus ast vero acceptam potius referendam fore *Chironi* Centauro existimat, ab eo pro Argonautica expeditione adornatam, nec nisi anno 936. ante Christianam Aeram autumans: quo de argumento suo operosius loco, ubi de Graecorum Aeris sermo fiet, quo Graecae Chronologiae caput hocce perperam a Nevvtono annis 534, juxta Soucietum in Mundi Fastis p. 5. sq., ac dissert. adv. Nevvtonum, ac Freretum in Defens. Vet. Chron., vel annis 339, juxta Carlium de Argon. Expedit. lib. 2. §. 22. p. 60. sqq. decurtatam fuisse. & Argonauticam hanc expeditionem ad annum 1469, aut 1275. Christi ante natalem fore restituendam palam faciemus. In ea igitur veteri Sphaera *Aequinoctia*, & *Solstitia* constituta fuisse in medio Constellationum *Arietis*, *Cancri*, *Librae*, & *Capricorni* tradunt Eudoxus apud Hipparchum ad Arati, & Eudo-

Eudoxi Phoenom. lib.2. §.3. edit. Petavii Ven. 1757. T.III. p.120, Aratus apud eumdem ad Phoenom. lib.1.§.2. p.98, atque ita quidem, ut eo, quo defixo loco fuerant, eadem anteferri ne levis quidem veteres Graecos Astronomos suspicio usquam incesserit. Mansit is vero, diuque Graecis animo insixus permansit error, adeoque ut ingens etsi post studium, ut de longe antiquioribus Hesiodo, Thalete, Phoco, Pythagora, Empedocle, Oenopide, Bolo, Philolao, Timaeo, Niceta, Anaximandro, Matriceta, Democrito, aliisque haud magni nominis Astronomis; queis de Joh.Albert. Fabricius Bibl. Graec. lib.3, cap.5. p.82. sq. nihil retexam), ingens post studium, inquam, Cleostrato, Harpalo, Euctemoni, Timocharidi, Metoni, Eudoxo, Philippo, Eratostheni, Dositheo, Calippo, Arato, Cononi, Metrodoro, Hygino &c. Stellarum in Occidentem motum, motumque Solis, ac Planetarum in excentricis deprehendere fas neque fuerit. Idcirco spatium ab uno *Aequinoctio* ad alterum aequale definiebatur, ex *Solstitiorum* comparatione, atque *Aequinoctia* praecedere, nempe annis singulis minuta 50.", alte ignorabatur. Donec *Sol* ab Hipparcho a Verno *Aequinoctio* ad Autumnale octidui, & aliquot horarum spatium amplius, quam in sequenti conversione, consumere deprehensus est; *Aequinoctia* quoque anticipare comperta sunt, atque ita quidem, ut annorum 100. spatio praecedere gradu 1. crediderit, ac post ipsum Ptolemaeus etiam: falso tamen, utpote quae gradu 1. spatio annorum 72. praecessio fieri post Ricciolium Almag. lib.3. cap.28, & Astron.Reform. lib.4. cap.29, ac Petavium Doct. temp. lib.4. cap.22. sq., & Auctar.Var.Differt.lib.3.cap.1.ostensa est Nevvtono ipsi Chron. Vet. Regn. Emend. cap.1. edit. Ven. p.67. sqq., singulis annis idest minutis 50.", queis tamen minuta 0.‴ 12.⁗ addidit Newtonus in Princip. Mathem. Philos. lib.3. Propos.39. Mirari proinde valdequam subit Nevvtonum persuasum habuisse a *Chirone* recte *Aequinoctia*, atque *Solstitia* in gradu 15. Signorum fuisse defixa, & a *Metone* deinde Aerae *Nabonassareae*, anno 316. defixa recte fuisse in gradu 8, indeque argumentum veterem Chronologiam annos infra 500, ampliusque detrudendi deduxisse: utquipote longe post, annos idest 300, quot fe-

re *Metone* posterior fuit *Hipparchus*, ab isto alioqui longe accuratiore Astronomo, erratum non videre nequiverat: cuique potius retroductis computis dignoscere facile, ac pronum erat, in quo revera Signorum gradu tam *Chironis*, quam *Metonis* tempore *Solstitia*, & *Aequinoctia* extiterint, uti scite advertit Shuckfordius in Praefat. ad T.II. Hist. Mundi Sacri, & profani. Ut autem probe demonstrat Carlius de Argon. Exped. lib.2. §.12. sqq. p.50. sqq., neque *Chiron* Astronomiae peritus fuit, neque apud Graecos de Zodiaci signis edoctus quisque probe fuit ante Anaximandrum Milesium, Plinio teste lib.2. cap.8, & lib.7. cap.56, neque ante Hipparchum, ut Petavius ostendit, ante Olympiadem 118. idest, res Astronómica in Graecia rite curata est, suoque constituta loco.

III. Quam vero crassae, pinguesque *Solari* Periodo cum *Lunari* componendae rationes sequiori adhuc sub aetate frequens excogitatae Graecis, adhibitaeque fuerint, planum abunde faciunt Cleostrati, & Harpali *Octaeteris*, quae a vero procul abfuit, *Metonis Enneadecaeteris*, quam parum exacte delineatam paullo meliorem effecere postea Calippus, & Eudoxus, quibus de fuse Joh. Morinus Epist.42. ad Godofredum Vendelinum Antiq. Ecclef. Orient. p. 218. sqq., nosque copiosius infra. Sed ad antiquiora prius ascendendo tempora, si post Hipparchum etiam adeo indigestum apud Graecos Astronomiae studium, atque Caelestium Orbium motuum adeo rudis cognitio plurimo adhuc tempore fuit, quale, putas, fuit, quum primum ad illud, & ad hanc animum Graeci applicuere? Enim vero, missa ut ea faciam, quae de inventa primum ab *Atlante* Zodiaci Sphaera, eademque ab ipsius discipulo *Hercule* primum in Graeciam inlata, ferri solent, ut quae in fabulis habenda fore non dubitarunt Aristoteles Oper. T.II. edit. Parif. p.702, Herodotus lib.4. verf. Vallae p.135, Hyginus Fab.150, ac de Signis in Poet. Astron. lib.2. edit. Basil. p.82, Strabo lib.17, Virgilius Aen.4, Silius lib.1. v.201. sqq. &c., videndique Fabricius Bibl. Graec. T.IV. p.456, Renaudotius de Orig. Sphaerae Mon. Acad. Parif. T.I. p.1. sqq., & Carlius de Argon. Exped. lib.2. §.16. p.54. sq.; a *Prometheo* Astronomiam Graecos primum edoctos, a *Thalete* postea, a quo e Phoenicia, ubi

ubi eò ab Aegypto deportata egregie pro temporum conditione fuerat exculta, in Graeciam Aftrorum fcientia delata fertur, meliora procul dubio de *Solis*, ac *Lunae* periodis didiciffe vulgatum eft. Quam vero rudia haec, & imperfecta fuerint, diuque manferint, paucis nunc accipe. A *Thalete* itaque, qui natus Olympiadis 35. anno 2, annoque 1. Olympiadis 58. defunctus traditur, Caelum fertur in Circulos, five Zonas quinque *Arcticum*, *Antarticum*, *Tropicum* Aeftivum, ac Brumale, & *Aequinoctialem* fuiffe divifum: *Solis* converfiones, ac punctum adnotatum: *Urfae* quoque Majoris Sydus deprehenfum: *Solis* item Eclipfes obfervatas fuifse nobis auctores fe praebent Herodotus lib. 1. cap. 19, Plutarchus de Placit. Philof. lib. 2. cap. 12, Laertius lib. 1. fect. 23. fq., ac Plinius lib. 2. cap. 9; videndique Scaliger ad Eufebium p. 89, Voffius de Scient. Mathem. cap. 32. §. 7. fq., p. 145, ac Stanlejus Hift. Philof. Par. I. cap. 7. p. 19. Sed & Anni tempeftates a *Thalete* fuiffe emendatas; Aegyptiaci quin etiam Anni in dies 365. divifionem, neglectis tamen horis 6. circiter, quot nempe *Solarem* Annum dies 365. excedere necdum Aegyptii compertum habuerant, inter Graecos ab eo introductam docet Laertius lib. 1. fect. 27. Minus vere tamen: nam a *Thalete* Cyclus excogitatus quidem eft, quo *Lunae* motum motibus *Solis* conciliare ftuduit, ita tamen, ut Annum ex Menfibus 12, Menfes ex diebus 30, Annumque integrum dierum 360. dumtaxat conftituerit: ipfo namque tefte Laertio lib. 1. §. 24, a *Thalete* omnium primo Menfis cujufque dies poftrema Τριακάδα *Trigefima* deinceps nuncupata eft: quod indicio eft fane Menfes omnes fuiffe dierum 30, Annumque a *Thalete* factum dierum 360. Poft duos tamen *Lunares* Annos dies 30. intercalare *Thales* docuiffe legitur: quo fane modo biennium iftud diebus 750. conftabat, longiufque *Solari* biennio diebus 20. evadebat.

IV. Nec ifta a *Thalete* inftituta Anni ratio apud Graecos a *Solone* deinde immutata eft, Annufque redactus ad dies 354, conftitutis Menfibus alternis dierum 29, ac 30, veluti Petavio Doct. temp. lib. 1. cap. 8, & lib. 2. cap. 3, ac Variar. Differt. lib. 4. capp. 1, & 13, aliifque ipfum pone fequutis perfuafum eft. Nam a *Solone* quidem, obfervata motus *Lunaris*

cum

cum *Solari* motu inaequalitate ſancitum, ut diei pars, quae *Lunae* cum *Sole* conjunctionem praecederet, anteriori Menſi adſcriberetur, quae ſequeretur vero, Menſi deputaretur ſequenti, adeo ut ea dies, qua Conjunctio fieret, Ἔνη, καὶ Νέα Luna *Vetus*, ac *Nova*, dies inſequens vero Νεομηνία denominaretur, a Plutarcho refertur in *Solone* p. 92. verſ. Dacerii p.427; Menſes tamen dierum 30. ſub *Solone* manſiſſe ibidem Plutarchus ſubdit: quo fit, ut Annus etiam dierum 360. manſerit. Adhaec monitos Athenienſes a *Solone* Menſes ad *Lunae* curſum exigendos fore refert Laertius utique lib.1. ſect.59, quo ſuffultus loco Allatius de Menſ. temp. cap..11. p.131. a *Solone* Annum ad *Lunae* motum fuiſſe digeſtum putat. Aſt enim Anni formam a *Solone* haud fuiſſe mutatam haud obſcure inde patet, quod Plutarcho teſte in *Solone* p.88, alias p.409, Olympiadis 46. anno 3. Atticae rei ſumma in *Solonem* collata, ab eo inter alia curatum eſt, ut quatuor, quae a *Cecrope* Tribus, in quas Athenienſis diſtributus Populus fuerat, integrae permanerent, atque ita quidem, ut Tribus quaelibet in tres Populos, Populuſque quilibet in triginta familias diſponeretur; atque ita diſtributio iſthaec quatuor Anni tempeſtatibus, Anni Menſibus 12, Menſium ſingulorum diebus 30, Annique totius diebus 360. reſponderet, conferenduſque De Vignolius Chron. Sacr. T.II. lib.6. cap.5. p.830. ſqq. Adhaec *Solon* in Oratione ad Croeſum apud Herodotum lib.1. cap.32, qua inter alia vitae annos 70, Menſe Intercalari non interpoſito, conſtare diebus 25200. adfirmabat, eorum vero annorum alternis Menſe uno auctis coaleſcere ex diebus 26250; quo ex computo rationibus ſubductis Annum tum a *Solone* dierum 360. computatum fuiſſe liquidum fit. *Solonis* tamen ſub aetate biennio quolibet intercalari Menſis ſolebat, Διετηρὶς *Dieteris*, ac Τριετηρὶς *Trieteris* ideo dictus apud Herodotum lib.2.cap.4, Plutarchum in Solone, Cenſorinum de Die Nat. cap.18, ac Laertium lib.1. ſect.57. Verum Intercalatio iſthaec *Solarem* annum diebus 20.ſuperabundabat: Annus ſiquidem dierum 360. dumtaxat ſupputatus dies Intercalares 10.intra biennium dumtaxat, non 30. admittebat. Atque diu poſtea hanc ipſam Graecis Anni formam uſurpatam fuiſſe, quoad dierum numerum, fidem

dem indubiam faciunt Herodotus lib. 2. cap. 4, Ariſtophanes, ejuſque Scholiaſtes in Acharn. v. 859, ac Geminus Iſag. cap. 4; conferendique Spanhemius ad Nubes Ariſtophanis v. 626, Shuckfordius in Praef. ad Hiſt. Mundi Sac., & prof. T. II, Hallerus in Reflex. ad Scient. Vet., & Nov. Wotoni cap. 24. p. 320. ſq., Lakemacherus Antiq. Graec. Sacr. Par. IV. cap. 1. p. 574. ſqq. &c., quo de argumento rurſus infra.

V. Poſt Olimpiadem 58. perfectior apud Graecos in dies Aſtronomiae ſcientia effici cepit, atque Caeleſtium Orbium cognitio augeri viſa eſt. Poſt *Thaletem* nempe, ab ejus diſcipulo *Anaximandro* Mileſio, cui Sphaerae inventio a Laertio lib. 2, ac Plinio lib. 7. cap. 56. tributa legitur, Gnomonis Lacedaemone erecti ope, beneficioque *Aequinoctia*, & *Solſtitia* propius obſervata fuerunt; atque *Eclipticae* obliquitas accuratius definita memoratur Laertio cit., Plinio lib. 2. cap. 8, Euſebio Praepar. Evang. lib. 10. cap. ult., Suidae in Anaxim. &c. Tum adhuc tamen Διετηρὶς apud Graecos obſervabatur, atque biennio cuilibet inſeri Menſis pergebat, Herodoto lib. 2. cap. 4, ac Cenſorino de Die nat. cap. 18. referentibus. Quo itaque efficeretur, ut cum *Solis* rationibus melius tempora congruerent, Τετραετηρὶς *Tetraeteris*, dicta perinde Πενταετηρὶς *Pentaëteris*, Cenſorino loc. cit. teſte, veluti ſi quinto id fieret anno, ut obſervatum eſt Voſſio de Idol. lib. 1. cap. 28, poſtea excogitata eſt, ſive Cyclus annorum 4. inſtitutus, quo anni quatuor, adhibita per intervalla partim Menſis intergi intercalatione, partim unius, aut duodecim exemptione dierum, totidem anni 12. Solaribus exaequati cenſebantur. Nempe Graecis tum adhuc *Lunaris* Annus dierum 347. dumtaxat erat, Cenſorino teſte, in Menſes 12. ita diſtributus, ut undecim dierum 29. eſſent, unus dierum 28. Singulis jam vero bienniis Menſis intercalari ſolebat dierum alternatim 29, & 28. Verum Intercalatio haec *Lunae* rationes diebus 15. ſuperabat: itaque *Tetraeteridis* ope errorem emendare ſtuduere. Magnus enim hic Annus, qui duos complectebatur vertentes, dierum 347. ſingulos, ac Menſem inſuper *Embolimaeum* dierum 29, fiebat dierum 723. Aſt *Luna* ſpatia ſiquidem ſua diebus 354. conficiat, biennium hujuſmodi

con-

constabat ideo diebus 708. dumtaxat: itaque supererant dies 15, qui sequenti in biennio erogabantur. Itaque diebus 723. addito biennio, sive diebus 694, ac insuper Mense Interclari dierum 28, fiebant dies 1445: totidem autem dies efficiebant quatuor Annos *Lunares*, dierum 354. singulos, cum *Embolimaeo* dierum 29. Mense. Conferendus Petitus in Eclog. Chronolog. de Anno Attico cap.8. Antiq. Graec. Gronovii T.IX. edit. Ven. p.1130. sq. Hujusce vero imperfecti admodum Cycli loco postea velut aptior a *Cleostrato*, & *Harpalo* subrogata Ὀκταετηρὶς *Octaeteris* est, sive Cyclus suffectus annorum 8. Nempe quum Graeci tandem, referente Macrobio Saturn.lib.1. cap.13, animadvertissent temere *Lunarem* se Annum diebus 354. definivisse, atque *Solem* diebus 365. cum quadrante cursum absolvere suum, ne quotannis dies 11. cum quadrante, quod operosum erat, ac difficile, intercalare cogerentur, octavo quoque anno dies 90. ex illis 11. cum quadrante residuis octies multiplicatis collectos, atque tres in Menses tricenarios distinctos, ultimo confecto Anni Mense, exactoque Octennio intercalandos duxere. Verum *Cleostrati Octaeteride* vitio haud carere deprehensa ab *Harpalo*, eamdem emendare ipse fategit; ideoque interpolandam duxit, *Octaeteridem* ipse conficiens dierum 2925. In qua tres anni diebus 355. singuli componuntur: nam 2. 4. 5. Mensibus singuli constant *Cavis* quinque dumtaxat; ac juxta quam Mensium *Neomenia* diebus 3. posterior fit, quam a *Cleostrato* fuerit constituta; adeo ut qui ex *Octaeteride Cleostrati* diem in *Harpali Octaeteride* assequi velit, per triduum *Cleostrati Octaeteridis* promovendae *Neomeniae* sint. Videndus Petitus in Eclog. Chron. de Anno Attico cap. 9. Graec. Antiq. T.IX. p.1132. sqq. Eamdem porro *Octaeteridem* emendasse *Nauteles*, & *Mnesistratus*, aliique traduntur a Censorino de Die nat. cap.18: quid autem sua quisque castigatione praestiterit, nullo Veterum memorante, in obscuro latet: conferendusque Marshamus in Can. Chron. Seculo XVIII. p.661. sq. Sed enim Cyclo istiusmodi etiam impari cognito, a *Metone* anno 4. Olympiadis 86, Diodoro lib.12. cap.36, Graece p.305. teste Ἐννεαδεκαετηρὶς *Enneadecaeteris* inventa est, Cyclus idest annorum 19. introductus: quod intra

tra

tra temporis ſpatium ſepties intercalaretur: ſiquidem eo praeciſe ſpatio *Luna* periodos 235, *Sol* vero periodos 19. peragere crederentur; atque demum uterque eodem die ad idem Caeli punctum regredi, quod ante annos 19. occupaverant: quo de Cyclo fuſius infra, ubi de Periodis; videndique ex Veteribus Cenſorinus de Die nat. cap. 18, ex Nuperis vero Joh. Potterus Archaeolog. Graec. lib. 2. cap. 26. Graecos poſtea ab *Eudoxo* Architae, Platoniſque diſcipulo, qui omnium primus ex Aegypto Anni *Solaris*, fixique formam Aegyptiis obſervatam in Graeciam intuliſſe Olympiade 102. circiter, indeque geminato ſpatio ſuam confeciſſe, ſive potius a *Cleoſtrato* jam confectam emendaſſe *Octaeteridem* fertur Straboni lib. 17. p. 933, ac Plinio lib. 2. cap. 4: cui perinde operi, ſive *Octaeteridi* emendandae animo incubuiſſe *Doſitheus* traditur Cenſorino cap. 18.

VI. Poſt Olympiadem 105, *Alexandri M.* nempe tempora, Graecos in Aſtronomiae ſcientia magis in dies, magiſque profeciſse, atque Conſtellationibus propria indita nomina, figuras expreſſas, locaque in Caelo defixa fuiſſe, adeoque ut tum harum cognitio ad Arabes ipſos, Perſas, Mogollos, Tartaros, Indoſque alios transfundi ceperit, plurimo tamen haud abſque labore, neque prolixo niſi temporis ſpatio ad perfectionem hanc apud Graecos ipſos Aſtronomicas perveniſſe diſciplinas, obſervatum eſt Goguetio de Orig. Leg., Art., & Scient. T. II. de Conſtellat. diſſert. 1. p. 397. Tum vero in eo peccaſſe demum *Octaeteris* nedum *Cleoſtrati* dierum 2922, Menſium 99, e quibus *Communes* erant 96, *Embolimaei* vero 3, inde cognita eſt, quod Menſis *Lunaris* ſiquidem dierum 29, hor. 12, min. $\frac{8}{11}$, in *Octaeteride* ideo dies $2923\frac{1}{2}$ inſunt; *Solaris* vero annus ſiquidem diebus $365\frac{1}{4}$ conſtet, octo idcirco *Solares* anni dies 2922. colligunt: quo fit, ut in qualibet *Octaeteride Lunaris* ſupra *Solarem* exceſſus diei 1. cum dimidio, atque in *Heccaedecaeteride*, ſive annorum 16. ſpatio, ſive *Octaeteride* gemina exceſſus dierum 3. eſſet, Gemino teſte Elem. Aſtron. cap. 6. edit. Petavii Ven. T. III. p. 20. ſq.; ſed *Eudoxi* quoque peccaſſe *Octaeteris*, dierum $2923\frac{1}{2}$ facta, inde comperta eſt, quod haud rite ab ipſo *Lunaris* Menſis defini-

 fini-

finito ſpatio, quod a Gemino praeciſe fit dierum 29, minut. 3'. 40." 50."' 24."", inde fieret, ut in annis 16. dies 3. nedum, ſed aliquando dies 4. intercalandi eſſent, velut advertit Geminus loc. cit., ubi conferendi Petavius in Not., ac Marshamus in Can. Chron. p. 661. ſq. Quamobrem *Octaeteridi* ſuffectum *Metonis* fuiſſe Cyclum XIX, ſed ab ſe emendatum, ab *Euctemone*, *Philippo* Platonis Diſcipulo, atque a *Calippo* tradit eodem loci Geminus. A *Metone* nempe *Solaris* annus dierum $365\frac{5}{19}$ conſtitutus fuerat, adeo ut quatuor Periodi *Metonicae* dies 27760. colligerent. Aſt enim *Solaris* annus ſiquidem diebus 365. $\frac{1}{4}$ dumtaxat conſtare deprehenſus a *Calippo* fuerit, Cenſorino teſte cap. 19, idcirco *Metonici* Anni exceſſus ſupra *Calippicum* erat $\frac{1}{76}$, ita ut annorum 19. ſpatio diei pars 4. ſupereſset, ac in quatuor *Decemnovennalibus* Cyclis dies integer ſuperabundaret, ut advertit etiam Geminus. Itaque a *Calippo* exceſsus diei 1. caſtigatus eſt ita, ut Periodus Ἑξκαιεβδομηκονταετηρὶς Graecis dicta, annorum 76, ex *Metonicis* 19. quatuor fuerit conſtituta, in qua Menſes 940. eſſent, Intercalares eſſent 28, & dies 27759; Periodi exordio ab Aeſtivo *Solſtitio* anni Nabonaſsaraci 419, Olympiadis 112. anno 3, Periodi Julianae 4384. deducto, ut obſervat Marshamus p. 664, oſtendit vero Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 19. T. I. edit. Ven. p. 69. ſq.; qui cap. 9. p. 55. liquido Diodori lib. 12. teſtimonio, ac Feſti Avieni obſervatione Solſtitii *Metonis* Cyclum a *Solſtitio* item Aeſtivo Olympiadis 86. anno 4. incepiſſe demonſtrat. Atque ad haſce poſtea *Calippi* periodos Aſtronomicas exegiſſe ſuas Ptolemaeum in Almageſto, ſive Magna Syntaxi conſtat, ut apud Scaligerum, Petavium, Uſſerium &c. videre paſſim eſt.

VII. Ea tamen adhuc ſub aetate Graecorum plerique ſuis, praeter modum, priſcis inhaerentes moribus a *Lunaris* abſiſtere Anni ratione pertinaciter renuiſſe videntur. Atque Plinio ſane teſte lib. 34. cap. 6, *Demetrii Phalerei*, qui *Ptolemaeo Philadelpho* aetate fuit ſuppar, anno 4. Olympiadis 117. Archon fuit Athenis, adhuc tempore, Graecorum, & Athenienſium nominatim, Annus dierum 360. numerum haud excedebat. Iteratis deinde Alexandriae Syderum obſervationibus

nibus

nibus rem Astronomicam meliori collocare in luce enixi sunt *Conon*, *Aristyllus*, *Timocharis*, *Eratosthenes* &c; quibus tamen omnibus palmam demum eripuit *Hipparchus*, cui tum Astrorum numerus, ac motus accuratius observatus est, tum motus *Solaris* cum *Lunari* concordia, novi Magni Anni, sive Cycli annorum 304. a se excogitati ope, tentata, & exactius inita est. Ipse nempe *Hipparchus* in libro de Mensibus, ac diebus Intercalaribus apud Ptolemaeum in Συνταξ. M. lib. 3. cap. 2. p. 63. Graece auctor est in Annis 19. quidem tot se Menses integros reperisse, quot a *Metone*, & a *Calippo* numerati fuerant: Annum tamen quadrante paullo minus, quam ab utroque illo suppositus fuerat, se observasse, adeo ut in annis 300, (Censorinus cap. 18. habet 304.), desint in Cyclo *Metonico* dies 5, in *Calippico* Cyclo dies 1. Quorum similia habet libro de Anni tempore apud Ptolemaeum loc. cit., ubi Solarem Annum a *Solstitio* ad idem Solstitium, sive ab *Aequinoctio* ad idem Aequinoctium constare diebus 365, & minus quam quadrante, Τριακοσιοςῷ ἔγγιςα μέρει μιᾶς ἡμέρας *καὶ νυκτὸς Tricentesima parte fere unius diei, ac noctis*: idest veram Anni quantitatem, praeter dies 365, esse horarum 5, min. 55.′ 12.″, deesse quadrantis minuta 4.′ 48.″ ostendisse se adfirmat. Qua de emendatione Ptolemaeus Almag. lib. 7, Vossius de Scien. Mathem. p. 159, Marshamus in Can. Chron. Seculo XVIII. p. 664, Rollinus Hist. Antiq. Aegypt., Carthag. &c. T. XIII. lib. 27. cap. 2. de Astronomia ex Monum. Acad. Scient. Paris. T. VIII. descripta p. 150. sqq. &c.

VIII. Hinc factum opinor, ut Graecis haud omnibus eadem Anni ratio inita sit, ac idem omnino Anno factum initium fuerit. Quomodo in Syria, & Arabia diversis Anni diverso a cardine auspicia capere adlibuisse constat, velut Zeugmensibus, (quod & Thessalonicensibus acceptum in more fuit), a *Capricorno*, ut ex suis eodem Nummis insculptis signo arguere licet, ab Hyberno *Solstitio* nempe, non secus atque Bostrensibus a *Sagittario*, initium Anno factum legitur; velut Antiochenis ab *Ariete*, Verno hoc est ab *Aequinoctio*, non secus atque Cyrresthienis a *Tauro*; Berythensibus a *Leone*, sive ab Aestivo *Solstitio*. Atque ista quidem de Anni di-

verso diversas apud Gentes auspicio facto ex diversa Gentium disciplina jam pridem notata fuere Censorino de Die nat. cap. 21. perhibenti: quod *Aliis a novo Sole, idest a Bruma; aliis ab Aestivo Solstitio; plerisque ab Aequinoctio Verno; partim ab Autumnali; quibusdam ab ortu Vergiliarum; nonnullis ab earum occasu; multis a Canis exortu incipere Annus naturalis videatur.* Videndus, qui argumentum hoc accurate discussit, Leo Allatius de Mens. temp. cap. 16. Quamquam, fateor, ex Zodiaci signis in Nummis Urbium expressis haud recte semper Anni rationem eisdem initam deduci superiori Articulo de Mensibus Antiochenorum &c. differentes ostensum dedimus. Hinc profectum quoque, ut Graecis haud omnibus eadem Anni usu mensura veniret, idemque mensurandi dies Anni modus, sed longior aliis, aliis brevior esset. Arcades namque primitus Annum habuisse *Menstruum* indicat Servius ad Aen. 3. v. 284, *Trimestrem* postea, ita ut quaelibet Anni tempestas pro integro computaretur Anno, testes accedunt Censorinus de Die nat. cap. 7, Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 12, ac Plinius lib. 7. cap. 48: quibus Arcades ideo Graece Πρόσελινοι *Proselini* dicti notantur, quod Annum prius habuerint, quamvis is ad *Lunae* cursum apud Graecos exigi consuevisset. Atque is perinde *Trimestris* institutus fuisse ab *Horone* fertur, atque divisus in Ver, Aestatem, & Autumnum, dictus ideo Ὧρος *Orus*; unde Graecorum Annalium Scriptores Ὡρογράφοι *Orographi* denominati sunt; adeundique Gyraldus de Mens. p. 757, & Auctor Observ. in Chron. Vet. Graecor. §. 27. p. 155. Cares, & Arcarnes e contra *Semestrem* habuisse Annum leguntur apud Macrobium Satur. lib. 1. cap. 12, ac Solinum cap. 3. Homeri aetate, sicut & *Romuli* tempore Romanis, ita Graecis Annum fuisse Mensium decem testatur Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 3. cap. 16. Trojanos attamen jam tum Annum habuisse Mensium duodecim, *Lunarium* utique, notat Servius ad Aen. 3. v. 284. Hinc denique factum puto, ut Graecis Scriptoribus haud omnibus eadem Annos numerandi ratio instituta sit, isdemque Anni dierum initus numerus. Ita namque *Thaleti* Milesio Annus dierum 360. erat, aliis etsi dierum 365. extitisse dicatur; *Philolao* Pythagori-

co

co dierum 364. cum horis 12; *Aphrodo* dierum 365, ac dierum 22. partis 59; *Harpalo* dierum 365, & horarum 13; *Hipparcho* dierum 365, & diei partis fere quartae; *Galeno* dierum 365, ac partis quadrante superioris; *Vectio* Antiocheno dierum 365, ac $\frac{1}{7}$; *Ennio* dierum 366, de quibus, aliisque Gyraldus de Annis, & Menf. Oper. T. II. p. 755. sqq., nosque abunde Oper. T. I. Proleg. II. §. xii. p. 322. sq.

IX. Juxta haec itaque diversas ideo in opiniones distracti Chronologi diversa de Veterum Graecorum Anni forma disputarunt. In quibus Scaliger de Emend. temp. lib. 1. p. 13. sqq., p. 42. sqq., & Isag. Canon. lib. 3. cap. 3, Ubbo Emmius Chron. p. 21, Petitus in Eclog. Chronolog. lib. 4. de Anno Graec. cap. 1. sqq. Antiq. Graec. Gronovii T. IX. edit. Ven. p. 1114. sqq., Langius de Annis Christi lib. 1. cap. 12, Marshamus in Can. Chron. Seculo xviii. p. 657. sq., Norisius de Epochis Syromaced. dissert. 1. cap. 1. edit. Veron. p. 4. sqq., De Vignolius Chron. Hist. Sac. T. II. lib. 6. cap. 5. p. 803. sqq., ubi de Veteri Graecorum anno copiose disputat, aliique Veterum Graecorum Menses omnes diebus 30. constitisse, & Annum ideo e diebus 360. coaluisse contendunt. Atque Solonis quidem auctoritate, cui cum *Croeso* loquenti in annis 70. dies 25200, qui per 70. divisi pro anno quolibet dies 360. dant, fuisse dinumeratos tradit Herodotus lib. 1. cap. 32; Cleobuli Lindii Solonis familiaris, uniusque e septem Sapientibus testimonio apud Laertium lib. 1. sect. 91, ac Suidam V. Κλεοβ., qui Graeci Anni formam aenigmate Patris filios 12. habentis, queis filiae 30. albae aliae, aliae nigrae erant, pulcre expressisse legitur, in Anno scilicet Menses inesse 12, Menses vero diebus 30. constare singulos, ideoque dierum 360. Annum extitisse indicans; Pythagorae, & Hippocratis, quos suas vicissim in partes alii, ut Leo Allatius &c. traducunt, queis de fuse De Vignolius p. 832. sqq., Diodori testimonio lib. 12. cap. 36, Graec. p. 305, ubi a Metone, qui primus ideo *Lunaris* Anni apud Graecos auctor habetur, Cyclus xix. anno 4. Olympiadis 86. a die 13. *Scirrophorionis* inceptus traditur: quod indicio est liquido tum apud Graecos Annum haud *Lunarem* fuisse; *Lunarem* siquidem Mensem Cycli xix. primum a *Scirrophorionis* die 13. Meton incepisse dicatur,

tur, veluti recte Scaligero p.24. observatum est, quem hocce loci a Petavii lib.2. cap. 10. reprehensione vindicat DeVignolius p.839. sq.; Xenophontis, Socratis discipuli anno 1. Olympiadis 105. defuncti, qui Tract. de Vectigal. p.541. ex Obolorum numero, quotidie Mancipiis 6000. distribuendorum, Talentorum 60. summam collegit: Talentum siquidem Atticum Dracmas 6000, Dracma vero Obolos sex valeat, ideoque Talentum Obolis 36000. constet, uti Bernardo de Pond., & Mens. ostensum est, inde fit, ut Talenta 60. Obolos 2160000. contineant: qui Oboli per Mancipia 6000. divisi in quotiente dant 360, quot ideo Attico tum in Anno computatos dies oportet. Aristotelis Hist. Animal. lib. 6. cap. 20, ubi Graecorum Annum sua aetate diebus cum 6. vicibus 60, tum 5. vicibus 72, quo ex utroque computo dies 360. exsurgunt, constitisse tradit. Varronis deHebdom. apud Nonnium, ac Plinii lib.34.cap.6, qui *Demetrio Phalereo*, Athenis Olympiadis 117. anno 4. Archonti, Statuas 360, quot Anno tum adhuc dies inerant, erectas fuisse referunt. Veteribus denique Graecis Annum diebus 360. constitisse, sua etsi sub aetate aliam induisset rationem, Mensesque dierum 30. singulos extitisse fide confirmant sua Galenus de Crisibus lib.2. cap.2, Eusebius in Chron. p.35, ubi conferendus Vallarsius in Not., S.Augustinus de Trinit. lib.4. cap.4, Dionysius Exiguus in Epist. ad Petronium &c.

X. Atque hocce quidem loci missa facio duo, queis maxime nititur DeVignolius in Chron. Sac. T.II. p.822. sqq., momenta, ut Annum olim apud Graecos diebus 360. constitisse suaderet, alterum, quo a Periodi Julianae anno 3389. Julii die 20, quo veteri ab Aegyptiis abolito Cyclo, novum apud eosdem indictum existimat, ad annum Periodi Jul.3530. diem 20. Julii, quo Trojae excidium contigisse censet, ducto computo, intermedios annos 141. dierum 360. singulos, aequalesque annis 143, fuisse contendit: cui sane momento multa oppido obstare cum T. II. Art. 1. de Mens., & Anno Aegypt. &c. §.xxxiii. sqq. p.293. sqq., tum T.IV, ubi de Trojae excidio sermo erit, ostensum dedimus, atque dabimus. Quo perinde fit, ut haud solidior computus sit, quo ab Epocha Cycli novi *Sothiaci* ab Aegyptiis instituti, Periodi Julianae hoc est an-

anno 3389. usque ad Olympiadem 1. annos 549, sive ab Epocha captae Trojae, Julianae Periodi idest anno 3530. usque ad annum 1. Olympiadis 1. annos 408. (non 549, uti per errorem p.825. habetur), computatos diebus 360. singulos constitisse, atque aequales annis 557. ideo fuisse annos 549. censet. Qui recte tamen p. 846. sq. observat haud rite a Langio, ac Norisio loc. cit. gemina ex Inscriptione apud Gruterum p. 1087. n. 5, ubi *Leontica* festa Aerae Christianae anno 358. celebrata fuisse 16. Kal. Aprilis, sive die 17. Martii, annoque 359. eadem fuisse celebrata 4. Idus Martias, sive Martii die 12. leguntur: siquidem vero a die 17. Martii anni superioris ad diem 12. Martii anni sequentis exacte dies 360. intercedant, inde Graecorum Annum diebus 360. tum adhuc constitisse Duumviri illi colligunt. In secunda namque Inscriptione anni 359. non 4. Idus, sive Martii diem 12, sed 5. Idus, Martii diem 11. idest, legi admonet: quo fit, ut dies 359. dumtaxat ab uno ad aliud interfluxerint festum. Quare *Leontica* festa haud fuisse *Annua*, bene vero *Conceptiva*, quae pro Magistratuum arbitrio, non secus atque *Persica*, *Eliaca*, *Coracica* &c. bis etiam in anno indici aliquando solebant, Vir doctiss. ex duplici altera Inscriptione apud Gruterum p.303. n.1. sq. ostendit, ubi Christi anno 357. bis *Leontica* 4. Idus Augusti, sive die 10, ac 17. Kal. Octobris, sive die 15. Septembris peracta fuisse leguntur.

XI. Eò itaque Chronologi isti conspirant, ut Graecis olim *Lunarem* quidem Annum a *Metonis* aetate saltem, ab Olympiade 86. idest, *Lunaribus* ex Mensibus conflatum, usurpatum fuisse credant, ita tamen, ut Annus ille cum *Solari*, adeoque *Lunae* periodus cum periodo *Solis* certa quadam lege, sive foedere conjungeretur, ideoque Graecorum Annus, Periodusque *Luni-Solaris* videretur. Atque Scaligero utique duplex apud Graecos distinguendus Annus visus est, *Lunaris* Magistratibus adhibitus, & *Solaris* Populo usurpatus; ideoque duplex quoque Mensium genus usu Graecis olim venisse persuasum habet, *Lunares*, qui alterne *Pleni*, & *Cavi* essent, Annumque *Lunarem* dierum 354. componerent; atque *Solares* diebus 30. singulos constantes, quibus Annus *Civilis* dierum

rum 360. efficeretur. Duodecim hisce porro Solaribus Mensibus, ad *Posideonis* Mensium Solarium postremi finem, duos Ἀνάρχους praeterea dies annis singulis adjungi consuevisse Scaliger putat, ideoque Popularem Annum dierum 362. fuisse. Distinctionem vero hanc Anni *Lunaris* Magistratibus adhibiti, ac *Solaris* Populo recepti inde probare satagit, quod si Graecis Annus mere *Lunaris*, atque *Lunares* fuissent Menses, *Lunae* tam *Eclipses*, quam *Plenilunia* mediam semper in Mensis diem incidissent: quum tamen a Diodoro, Plutarcho, aliisque Historicis in alteram plane diem eadem saepius incidisse memorentur. Jam vero *Tetraeteridis* ope cum *Lunari* componi *Solarem* Annum consuevisse subjungit Scaliger, ita scilicet, ut eadem *Tetraeteride* absoluta, sive completis annis 4, Annus uterque cum *Lunaris*, tum *Solaris* ad idem rediret caput, ac utriusque initium Anni in *Neomeniam*, sive diem 1. *Hecatombaeonis* incurreret. *Tetraeteris* nempe *Solaris* ex annis 4. *Solaribus* constans Menses *Solares* 48, ac dies Ἀνάρχους octo, sive dies 1448. complectebatur: *Lunaris* vero *Tetraeteris* Menses *Lunares* 49, sive dies 1447. colligebat: unicus ideo dies *Solari* e *Tetraeteride* eximendus erat, ut Annus quintus, sive Annus post *Tetraeteridem*, sive post annos 4. primus *Solaris* eadem inciperet die, qua *Lunaris* Annus quintus incipiebat. Igitur *Exemptilem* diem istum fuisse diem 2. *Boedromionis*, qui nempe, Plutarcho Sympos. lib. 9. q. 6. teste, detrahi, seu eximi apud Athenienses soleret, Vir doctiss. existimat: quam tamen diem *Exemptilem* nequaquam fuisse secundam planum infra fiet.

XII. Propius hinc abfuit Petitus in Eclog. Chronolog. de Anno Attico cap. 3. Antiq. Graec. T. IX. edit. Ven. p. 117. sqq., atque cum Scaligero Menses, Annumque Prytanibus alios, *Lunares* nempe, aliosque Populo, nempe *Solares* adhibitos fuisse persuasum facile & ipse habuit: quamvis a Scaligero postea in hypothesi, rationeque *Lunaris* Anni cum *Solari* apud Graecos componendi discordet. Principio itaque Petitus Graecos, Athenienses quammaxime, Annum a *Solstitio* Aestivo, quod constitui Julii die 8. solebat, eoque ipso die *Solstitii*, qui perinde dies 1. esset *Hecatombaeonis*, auspicari

con-

consuevisse ostendere nititur ex Ephoro apud Dionysium Halicar. lib. 1. de Ilii excidio. In eamdem quoque diem 8. Julii primum *Olympiadis* primae, quam cepisse a diebus Aestivis anni Orbis conditi 3174. censet, annum incidisse, non secus atque *Hecatombaeonis* Neomeniam, ac *Solstitium*, existimat. Verum antiquissima aetate *Attici* Civilis Anni exordium ab Hyberno *Solstitio*, ideoque a *Gamelione* Mense ductum fuisse paullo infra videbitur. Ut autem *Lunarem* Annum cum Anno *Solari* communi dierum 360. componerent, a Graecis Periodum *Tetraeteridem*, annorum 4. idest, fuisse institutam Petitus observat. Nempe *Communis* Anni dies 360. erant, qui in annis quatuor dies 1440. efficiebant; Anni vero *Lunaris* antiqui dies 347. erant; singulis vero bienniis Mensis *Intercalaris* addebatur, dierum alternatim 28, & 29: quod biennium *Lunae* rationes superabat diebus 15; namque hoc in biennio dies bis 347, sive dies 694, ac Mensis insuper *Embolimaeus* dierum 29, omnes simul dies 723. colligebantur. Ast enim *Luna* siquidem Periodum annuam suam diebus 354. conficiat, in hocce proinde biennio dies 708. dumtaxat insunt: supersunt itaque dies 15, qui in sequenti biennio erogabantur. Namque diebus 723. additis diebus biennii 694, ac Mensis *Intercalaris* diebus 28, fient dies 1445; quot nempe *Tetraeteris Lunaris* complectitur, sive quadruplex *Lunaris* Annus, quilibet dierum 354. Haec igitur *Lunaris Tetraeteris* habebat Syzigias 50, sive dies 1445: *Solaris* vero *Tetraeteris* dies 1440. dumtaxat habebat. Igitur ex diebus illis 5, aut 4, quibus nempe *Lunae* rationes *Solares* superabant, singulis *Tetraeteridis* annis dies 1, annoque *Tetraeteridis* ejusdem alteri dies 2. addi, Petiti opinione, solebant, ita tamen, ut vicissim e singulis annis dies 1, ab eo nempe, cui fuerat additus, detraheretur, aut dies 2. ab eo, cui duo fuerant adjecti, eximerentur; ideo nempe, ne Anni numerum dierum 360. excederent. Tres itaque *Tetraeteridis* anni erant Ἐξαιρεσιμαῖοι *Exeresimi*, in quibus idest fiebat diei 1. exemptio: quae fieri *Exeresis* solebat in *Boedromione* δευτέρα ἱςαμένε die 2; unus autem in qualibet *Tetraeteride* annus erat Δισεξαιρεσιμαῖος *Disexaeresimus*, a quo scilicet dies 2. eximebantur. Ita vero exemptos dies a

Boedromionis die 2. adscriptos *Posideonis* diei 2. fuisse, istoque modo hunc die 1, aut 2. longiorem, illum contra die 1, aut 2. breviorem factum, Petitus existimat: qua eum in re tamen, in designanda nempe die *Exemptili*, oppido cum Scaligero falli paullo infra ostendetur.

XIII. Ut autem Graecis *Solis* quoque rationes cum periodis *Lunae* pariarentur, eaedemque in orbem regrederentur, opus fuisse Periodo annorum 40, sive *Tetraeteridum* 10. aestimat Vir doctiss.; atque *Tetraeteridis* primae annum primum cum prima *Olympiade* conjungit, cepisseque a *Novilunio*, ipso *Solstitii* Aestivi die, Julii 8. anno ab Orbe condito 3174. multis ostendere conatur. Nam in annis 40. *Lunaribus*, additis Mensibus 6. *Embolimaeis*, dierum 29. singulis, insunt dies 14624: qui rationes Periodi annorum non *Lunarium* superant diebus 14: ut igitur paria fiant, conjungenda erat Periodus altera annorum 40, sive totidem aggregandi *Lunares* Anni erant, additis tamen *Embolimaeis* quinque Mensibus, dierum 29. singulis, ex quibus fiebant dies 14595: atque ita *Lunares* anni 80. dies 29219. dabant, uno minus die, quam duae annorum non *Lunarium* Periodi, quae dant dies 29220. Atque hujusce quidem Periodi annorum *Lunarium* 80. annum primum incepisse cum anno primo Periodi annorum non *Lunarium*, ac die 8. Julii concludit. Conferendus Eclog. Chron. cap.4. sq. p.1119. sqq., ubi multis hypothesim hancce suam confirmare satagit. Verum in *Cleostrati*, & *Harpali* digerenda Periodo, ejusdem Periodi cardinem haud recte Petitum assequutum fuisse infra ostendetur. Graecos deinde post *Alexandri M.* aetatem Anni exordium mutasse Petitus censet Eclog. cap.6. p.1125. sqq., nec eum amplius ab Aestivo *Solstitio* auspicatos fuisse, sed ab *Aequinoctio* Autumnali, ideoque a die 8. Julii, sive ab *Hecatombaeonis* die 1. Anni exordium traduxisse ad diem 7. Octobris, qua Autumnale contingere *Aequinoctium* existimabant, quae dies 1. *Munychionis* esset. Ut autem *Solis* rationibus An nus aequaretur, extra Mensium ordinem dies 5. Ἐπαγομένας Mensi ultimo *Scirrophorioni* fuisse aggregatos opinatur. Quia vero praeter dies 5, superabundabat etiam diei quarta fere pars, quò fiebat, ut eo quadrante negle-

glecto in annis 120. per Mensem integrum Anni caput ab Epocha *Solari* demum recederet; a Graecis proinde, ac maxime ab Atheniensibus, cuilibet anno 120. Mensem *Intercularem* dierum 30. insertum fuisse censet, qui annus 120. ideo dierum 390. efficiebatur: atque inde Periodus ista fuit annorum 120, qua completa Anni caput ad idem regredi putabatur initium, nempe ad diem 7. Octobris, a qua primum inceperat. Ut ut haec tamen ingeniose sive a Scaligero, sive a Petito excogitata veri speciem praeferre magnam videantur, haud ita tamen undique veritate constant, quin adversa plerique contra stare fronte non dubitarint.

XIV. Opinione hinc procul itaque abeuntes Leo Allatius de Mens. temp. cap. 11. p. 105. sq., Petavius Doct. temp. lib. 1. cap. 4. sqq., & Auct. Var. dissert. lib. 4. cap. 1. sqq., Dodwellus de Cyclis dissert. 1. sect. 14, & 32. p. 15. sqq., Guillelmus Morelius lib. de Mens. Graec., Gronovius Observ. lib. 2. cap. 18. p. 362. sqq., Corsinius Fast. Attic. T. I. dissert. 2. p. 53. sqq., aliique collato veluti pede pugnant Veterum Graecorum Menses, etsi pridem dierum 30. fuerint, a *Solone* postea tamen, longo ante *Metonem* tempore, quantum idest Olympiadem 46. inter, ac 86. intercessit, fuisse emendatos, factosque partim dierum 30, partimque dierum 29. Documento esse Plutarchum in Solone p. 92, ubi Athenienses a *Solone* monitos, ut Menses ad *Lunae* cursum agerent, refert; Laertium lib. 1. sect. 59, quo loci similia regerit; Geminum Isag. cap. 6, ubi auctor est Graecis Menses ad *Lunae* periodos, Annum vero ad *Solis* rationes dimetiri solemne fuisse; Demosthenem Orat. Κατὰ Ἀνδροτίωνος, ubi Athenienses, non ad *Solis* cursum, sed ad *Lunam* putasse Menses perhibet; Aristophanis Scholiastem ad Nubes, qui Graecis ad *Lunae* motus ita Menses exigi consuevisse tradit, ut a *Neomenia* ad diem 20. recto quidem ordine putari dies solerent, a die 21. tamen Ἀναλύοντας ordine retrogrado, puta 10. 9. 8. &c. numerare dies placuerit; Varronem de Ling. Lat. lib. 5, & de Re Rust. lib. 1. cap. 37, ubi idipsum Graecis in more positum docet; Pindari Scholiastem, ac Euripidis perinde ad Olymp. oda 3. p. 31, ubi Graecis usu Menses quandoque 49. venisse, quandoque 50. te-

ftes fe praeftant locupletes ; quum nempe tertio quoque anno *Intercalaris* aggregabatur, tum Menfes 49. dinumerabantur ; quum alterius vero Menfis *Intercalatio* fexto quoque anno fieret, tum Menfes 50. habebantur ; Cenforinum de Die nat. cap. 18, qui Annos Civiles a Graecis Menfium alternatim 12, ac 13. factos tradit ; Proclum in Timaeum Platonis lib. 1. p. 25, ubi a *Solone* Menfem *Lunarem* diebus 30. minorem factum refert. Quibus Diodori lib. 13, Ciceronis de Fin. lib. 2, Plinii lib. 35. cap. 2, Theonis in Scholiis ad Aratum, Ptolemaei lib. 7. cap. 3, aliaque conglomerat cum teftimonia, tum momenta Petavius Var. differt. lib. 4. cap. 4. fqq. apud ipfum videnda. Qui cap. 10. fqq. Annum perinde Graecis Popularem ad *Lunae* rationes fuiffe defcriptum Ariftotelis de Animal. lib. 2. cap. 4, Theophrafti de Signis Pluviar., Hippocratis, five Veteris Scriptoris libri de Partu Septimeftri, quo de conferendus DeVignolius etiam Chron. T. II. p. 833. fqq., Diodori lib. 1, Gemini cap. 5. fq., Ciceronis orat. 4. contra Verrem, Solini cap. 3, Macrobii Satur. lib. 1. cap. 13, Cenforini cap. 18, Theonis in Schol. ad Arati Phoen. tmemate 64, Galeni Comm. ad Epidem. lib. 1, Tzetzis ad Lycoph. in Cafsandra &c. locis abunde confirmat. Inanem velut itaque duplicis Anni *Lunaris*, atque *Solaris*, ingeniofe alioqui Scaligero, ac Petito excogitatam, apud Graecos diftinctionem exfufflant, ejufdemque Anni, *Lunaris* utique, ex *Lunationibus* 12. alterne *Plenis*, & *Cavis*, ex omnibus diebus 354. compofiti, formam cum Prytanibus, tum Populis aeque fuifse ufurpatam putant, ufurpatamque nedum a *Metonis* aetate, qua ab eo inftituta *Enneadecaeteris* ufurpari cepit, apud aliquos faltem, ideft ab Olympiade 87, fed ab ipfo *Solonis* imo tempore, a quo reformata Anni forma fertur, ideft ab Olympiade 46. Quam fane hypothefim eodem ipfo confirmandam Petavius loc. cit. fufcipit momento, quo fuam ftruere Scaliger, ac ftatuere conatus fuerat, teftimonio nempe Diodori, Plutarchi, Hiftoricorumque aliorum, qui *Lunae* Eclipfes, ac Plenilunia circa diem 15. Popularium Menfium accidifse prodidere.

XV. Ante *Metonem* quidem Annum *Lunarem* apud Graecos fuifse, atque dierum 354. cum Petavio cenfet Dodwellus

wellus: ast post institutam a *Metone* Periodum XIX, Graecis Annum factum dierum 360. persuasum ipse habet; ita tamen, ut Annus *Lunaris* usu esse non desierit, ideo quod ablatis diebus *Exemptilibus* 5, aut 6, qui juxta *Metonis* hypothesim singulis annis expungi debebant, dies 354, aut 355. in anno communi superessent: qui Annus ideo *Lunaris*, & *Communis* Mensium 12. *Lunarium* erat. Jam vero *Lunari* Anno cum *Solari* componendo *Enneadecaeteris* a Metone instituta est: qua Periodo annorum 19. peracta, Lunaris *Hecatombaeonis* initium ad idem Solaris *Hecatombaeonis* initium rediret: quam utique Periodum, velut omnium accuratissimam, Olympiadis 87. anno 1, in Civiles primum Atheniensium annos receptam, mox ad omnes fere Graeciae Populos manasse Dodwellus existimat. *Meto* nempe observaverat in Annis *Solaribus* 19, ex diebus 365, ac horis 6. singulis compositis, dies integros 6940. comprehendi, eumdemque dierum numerum ex Mensibus *Lunaribus* 235. effici, quorum 230. alterne *Pleni*, & *Cavi* forent, hoc est ex illis 115. dies 30, alii 115. dies 29. continerent, ac reliqui Menses 5. *Embolimaei*, suis opportune locis inserendi, diebus 31. constarent. Verum integram dierum 6940. summam ita partiri *Metoni* placuit in Menses *Lunares* 235, ut ex illis Menses *Lunares* 125. *Pleni*, ac 110. *Cavi* essent. Ita nimirum numerus dierum 3750, qui ex Mensibus *Plenis* 125. conficiebatur, una cum numero dierum 3190, qui ex Mensibus *Cavis* 110. exsurgebat, integram illam dierum 6940. summam conficiebat. Igitur ut Anni *Solares* 19. aequales Mensibus *Lunaribus* 235. fierent, in integra *Enneadecaeteride* dies 110. expungendi erant, idest *Lunares* Menses 110. erant excavandi, ut ipsorum quilibet dierum 29. dumtaxat esset, ceteri vero Menses 125. dies 30. singuli retinerent. Quemadmodum vero *Lunares* Anni ex *Lunaribus* conflati Mensibus, integra *Solarium* annorum 19. Periodo absoluta, ad idem regredi principium credebantur, ita quoque Mensium *Embolimaeorum* ope, *Lunares* ipsi cum *Solaribus* annis componi posse visi sunt. Siquidem enim *Lunaris* Annus, ex Mensibus 12. alterne *Plenis*, & *Cavis* compositus, dies 354. complecteretur, adeoque ad *Solarem* integrum complendum Annum dies 11. quotannis deficerent,

rent, ex diebus 11. his ideo tertio quolibet anno *Lunaris* integer Mensis conflatus fuisse Dodvvello visus est. *Embolimaeorum* itaque Mensium beneficio tertio cuilibet insertorum anno, qui Mensibus 13. ideo constabat, ac *Embolimaeus* dicebatur, *Lunaris* Annus cum *Solari* componi, atque Civilia denique Festa ad eosdem *Solaris* Anni dies proxime referri putabantur. Atque hunc *Embolimaeum* sane Mensem apud Athenienses, Graecosque alios extremae anni parti, idest post Mensem 12, sive *Posideonem* aggregari, ipsumque *Posideonem* 2. nuncupari, atque hunc *Embolimaei* situm, ac nomen conservari consuevisse Doddvvellus censet: quamvis Anni deinde cardinem a *Gamelione* ad *Hecatombaeonem* transferre Graecis adlibuerit. Ejusmodi denique Anni, qui *Embolimaei* esse debebant, ita a *Metone* sua in *Enneadecaeteride* dispositi sunt, ut 3. 5. 8. 11. 13. 16. 19. semper *Embolimaei* essent, idest *Lunares* Menses 13. haberent; eorumque addititius *Posideonis* II. nomine distinctus, sextum inter, & septimum insereretur Mensem. Haecce sed enim, subtili etsi, ac ingeniosa *Metonis Enneadecaeteride* non adeo accurate *Solis*, ac *Lunae* Periodus ad idem punctum restitui potuit, ut nulla temporis momenta intercesserint, quae annorum progressu labes aliquas, erroresque in eamdem Periodum XIX. inferret: quos ut expungeret *Calippus*, Periodum alteram LXXVI. ex quatuor *Metonicis* Cyclis XIX. confectam excogitavit, de qua supradictum, atque fusius dicendum nobis recurret.

XVI. Ingeniosam hancce Dodvvelli hypothesim ultro citroque amplexus Eduardus Corsinius in Fast. Attic. T.I. dissert. 2. p. 58. sqq., postquam observasset eamdem paucis admodum *Pleniluniorum*, atque *Eclipsium*, quae in mediam fere Popularium Mensium diem incidissent, contra Scaligerum, ac Petitum a Petavio, & Dodvvello proferuntur, exemplis haud firmiter stabiliri, neque exemplis hisce satis etiam ostendi, an Graecis ante *Metonis* aetatem, an post etiam, & ubique *Lunares* usu Anni fuerint, eam ipse hypothesim locupleti Plutarchi testimonio confirmare satagit, ostendereque tum ante, tum post etiam *Metonis* aetatem ubique, constanterque *Lunares* a Graecis usurpatos fuisse Menses. Scripserat porro Herodotus

dotus lib.6. verſ. Laur. Vallae p.176. Lacedaemonios ab Athenienſibus compellatos, ut conjunctis omnium viribus in Marathone Perſis occurrerent, reſpondiſſe nonam tum Menſis diem currere, ideoque ſibi arma capeſſere nefas eſse, ut qui lege prohibiti eſsent in praelium ante *Plenilunium* egredi. Plutarchus itaque libro de Herodoti malignitate ipſum aperti mendacii, & malignitatis arguendum ſuſcipiens, aſserit Lacedaemonios & aliàs ſaepius, ac tum etiam, *Plenilunio* haud expectato, in praelium exjiſse: tum ſubdit converſo ad Herodotum ſermone: Σύ δὲ Μεταφέρεις τὴν Πανσέληνον εἰς ἀρχὴν μηνὸς, διχομηνίας οὔσης, καὶ τὸν οὐρανὸν ὁμοῦ, καὶ τὰς ἡμέρας, καὶ τὰ πράγματα συνταράσσεις. Atque egregium porro huncce Plutarchi locum haud recte verſum a Xilandro adnotat in haec verba: *Tu quidem*, Herodote, *Plenilunium transfers in principium Menſis, quando Luna dimidio orbe fulget; unoque conatu Caelum, tempora, & res omnes conturbas*. Neque magis vere a Cruſerio verti: *Tu Plenilunium in initium transfers dimidiae Lunae* &c.; vertendumque ſane melius ipſe cenſet ſic: *Tu quidem transfers Plenilunium in principium Menſis, quum Plenilunium ipſum in dimidio Menſis eſſe debeat*. Atque recte quidem, Διχομηνίας ſiquidem nomine non alia, quam *Media* Menſis dies Plutarcho intelligi potuerit: quae Menſis dies *Media* ab Heſiodo apud Pollucem lib.1.cap.7. Μέση *Media* etiam, aliis vero Πεντεκαιδεκαταία *Decimaquinta* dicta legitur. Sic & Plutarcho ipſi in Dione ἡ δὲ σελήνη διχομηνίαν *Luna in Plenilunio* nuncupata eſt. Sic etiam Suidae V. *Dichomenia* Διχομηνία definita legitur *Menſis Medietas*, atque dies Διχομηνιαία *Decimaquinta* Menſis, ſive *Lunae* dies 15. Sic & Achilli Tatio in Aratum cap.21. Πεντεκαιδεκαταία *Decimaquinta*, Luna Plena eſt, Menſiſque pars *Media*. Gemino denique Iſag. cap.6. Διχομηνία *Medietas* eſt Menſis, ac *Plenilunium* in Menſis dimidio ponitur. Quum itaque Plutarchus ipſe genere Athenienſis, Hiſtoriae certe, atque Chronologiae cognitione haud imperitus, Herodoto malignitatis, atque mendacii crimini vertere haud dubitaverit, quod *Plenilunium* haud recte collocarit, ipſeque collocare in dimidium Menſis diem, ſive diem 15. *Plenilunia* conferre haud vel leviter veritus

ritus fuerit, inde planum fit Plutarcho discrimen illud a Scaligero, ac Petito de Mensibus *Solaribus* Populo, *Lunaribus* vero Magistratibus usurpatis excogitatum, prorsus incognitum fuisse, atque *Lunares* dumtaxat Populo, Magistratibusque adhibitos eidem fuisse perspectos. Parco alteri Plutarchi loco, quo idipsum confirmare cum Petavius Doct. temp. lib.1. cap.8, tum Corsinius cit. dissert.2. p.62. sq. pergunt, ut egregio Aristophanis in Nubibus testimonio locum faciam. Ibi nempe Comicus ille sive *Harpali* Octaeteridem, sive *Metonis* Enneadecaëteridem erroris insimulans, quod ab iis haud recta supputandi tempora ratio tradita fuisset, *Lunam* de Athenientibus conquaerentem inducit, quod sacros Diis festos diebus haud suis, statisque celebrarent. Quod indicio est haud obscuro dies omnes Diis sacros in Lunaribus Mensibus sedem habuisse, suoque distinctos ordine fuisse; atque *Lunarem* fuisse *Boedromionis* diem 6, *Dianae* Venatrici dicatum; *Lunarem* diem 16. ejusdem Mensis festivum ob Navalem *Chabriae* victoriam ad Naxum; *Lunarem* diem 16. *Munychionis* etiam *Dianae* item sacrum, queis de Plutarchus de Gloria Athen., ac in Phocione.

XVII. Ad Atticorum propius accedendo modo Menses, Annique formam, ex hactenus de veteribus Graecorum Mensibus, Annique vetusta ratione, saepeque variata disputatis, abunde patet, veteris apud Athenienses usurpati Anni ratio, ad *Lunae* motum accommodati sane, quam in obscuro lateat, & quot adeo tenebris obruta undique sit, ut eadem de acriter disputandi summis occasio Chronologis fuerit, Scaligero, Petavio, Junio, Petito, Dodvvello, Perrello, Haguleno, Lalamantio, Castellano, Morelio, Corsinio, Munckero &c. Quae sane Anni, Mensiumque Atticorum ratio, atque series ut meliori, quoad ejus fieri poterit, in luce ponatur, triplex principio distinguendus apud Athenienses est Annus, *Civilis*, qui usu quotidiano dimetiendis usurpari solebat temporibus, inque quaestionem venit; *Olympicus*, quo de fuse, quum de Periodis sq. T. Art.I. sermo fiet, quique singulos post annos quatuor redibat, atque ab Aestivo *Solstitio* iniri solebat; & *Archonticus*; quorum Annuorum novem *Archontum*, sive Novemvirorum, uno ex eisdem *Eponymo* successive Mensibus singulis, juxta

ta seriem imperantium, Rempublicam administrante, Magistratus Athenis inibat, de quo copiose, eruditeque suo pro more, post Meursium, Corsinius in Fast. Attic. T.I. dissert. 1. Atque plane *Civilis*, ac Popularis cum Anni principio Archontis *Eponymi*, cujusce profecto nomine Popularis item, atque *Civilis* distingui consuebat Annus, Magistratum etiam cepisse, ut proinde unus, idemque putandus fuerit Mensis ille, a quo *Popularis*, & *Archonticus* incipiebat Annus, Dodvvello de Cyclis Graecor., & Roman. dissert. 3. sect. 35. liquido, luculenterque demonstratum est, exque dicendis adparebit. Praeter hancce vero Attici divisionem Anni, recepta Graecis erat Astronomis *Caelestis* Anni ratio, ad *Solis* idest in Zodiaci Signa ingressum exacti, ad quam *Civilis* digeri Anni forma rite quiret. Cujusce sane *Caelestis* Anni duplex olim apud Graecos inter alias obtinuit species, a *Metone*, & *Euctemone* inducta altera, alteraque ab *Eudoxo* excogitata. Posterior *Eudoxi* ab ingressu *Solis* in *Leonem*, Aegyptiaci *Mesoris* die 5, Julii die 29. *Caelestis* Anni exordium capiebat: prae qua tamen prior Anni *Caelestis* inducta a *Metone*, ac *Euctemone* ratio longe praevaluit; utquae pote a *Calippo*, *Hipparcho*, *Gemino* Isag. cap. 16, ac *Ptolemaeo* M. Syntaxeos lib. 3. suis in Parapegmatibus amplexata est. Juxta hanc itaque hypothesim ita se habebat *Caelestium* Mensium a *Metone*, ac *Euctemene* digesta dispositio, ut a *Solstitio* Aestivo Athenis Olympiadis 86. anno 4. ab ipsis observato die 21. *Phamenoth* Aegyptiaci, Junii die 27, indeque *Caelesti* Anno a *Solis* ingressu in *Cancri* signum exordio facto, Autumnale *Aequinoctium*, sive ingressus *Solis* in *Libram* ad Septembris diem 27, *Solstitium* Hyemale, sive *Solis* ingressus in *Capricornum* ad diem 25. Decembris, & Vernum *Aequinoctium*, sive ingressus *Solis* in *Arietem* ad Martii diem 24. referretur: qua de adeundi Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 76. sq., & lib. 4. p. 248. sqq., Petavius Variar. Dissert. ad Uranologion lib. 1. cap. 6. edit. Ven. noviss. T. III. p. 31. sqq., Usserius de Maced. Anno Solari cap. 7. ad calcem Annal. Vet. Test. p. 109. sq., Moynius ad Var. Sacra T.I. p. 456, Pontedera Antiq. Latin., & Graec. Epist. 21. p. 213. sqq. &c.

MENSES CAELESTES

METONIS, EUCTEMONIS, ET CALIPPI.

	Aestivi Dierum 92.				
I.	Καρκινών	Carcinon	Dier. 31. Cancer	Jun.	Die 27.
II.	Λεοντών	Leonton	Dier. 31. Leo	Jul.	Die 28.
III.	Παρθενών	Parthenon	Dier. 30. Virgo	Aug.	Die 28.
	Autumnales Dierum 89.				
IV.	Ζυγών	Zygon	Dier. 30. Libra	Sept.	Die 27.
V.	Σκορπιών	Scorpion	Dier, 30. Scorpius	Oct.	Die 27.
VI.	Τοξών	Toxon	Dier. 29. Sagittarius	Nov.	Die 26.
	Hyemales Dierum 89.				
VII.	Αιγών	Aegon	Dier. 29. Capricornus	Dec.	Die 25.
VIII.	Υδρών	Hydron	Dier. 30. Aquarius	Jan.	Die 23.
IX.	Ιχθυών	Ichthion	Dier. 30. Pisces	Feb.	Die 22.
	Verni Dierum 95.				
X.	Κριών	Crion	Dier. 31. Aries	Mar.	Die 24.
XI.	Ταυρών	Tauron	Dier. 32. Taurus	Apr.	Die 24.
XII.	Διδυμών	Didymon	Dier. 32. Gemini	Maj.	Die 26.

XVIII. Operae praeterea nostrae pretium est observare *Lunares* dumtaxat, eosdemque alterne *Plenos*, & *Cavos* Menses, Annumque *Lunarem* ideo dierum 354, sicut apud Graecos universim, sic apud Athenienses olim fuisse usurpatos, probabiliorem juxta Petavii, Junii, Dodvvelli, Corsinii, Morelii &c. opinionem: quam praeter Geminum Isag. Astron. cap. 6. Annum, sex Mensibus *Plenis* dierum 30, sexque alternatim *Cavis* dierum 29, eumdemque *Lunarem* ideo diebus 354. constitisse adfirmantem, egregie confirmat Antiphontis Rhetoris, qui circa Olympiadem 90. floruit, atque Olympiadis 92. anno 2. capite plexus est, insigne Orat. 16. pro Chorago testimonium

nium, Corsinio Fast. Attic. T. II. differt. 2. §. 10. p. 67. notatum, quo *Hecatombaeon* Archontici Anni Mensis 1. dierum 30. censetur, ideoque Mensis 2. *Metagitnion* diebus 29. constitisse videtur. Ubi & illud obiter advertendum, quod late adversus Scaligerum, Petavium, Petitum, ac Dodvvellum persequitur eo loci Corsinius §. 11. sqq. p. 68. sqq., in Mensibus *Cavis*, in quibus idest dies 1. praeteriri solebat, *Exemptilem* illam diem nunquam fuisse diem Mensis postremam, sive trigesimam, utpote quae *Solonis* instituto Ἔνη, κ̧ Νέα *Vetus*, & *Nova*, ideo quod ejusdem diei pars, ante quam *Novilunium* adpareret, ad priorem spectaret Mensem, quae vero post *Novilunium*, sive *Lunae* Φάσιν sequeretur, ad posteriorem Mensem pertineret, (quae nonnumquam etiam Τριακάς, ut & Δεμητριάς, in honorem idest *Demetrii* Macedonis, cognomento Πολιορκητȣ, idest *Urbium Expugnatoris*, ob restitutam Atheniensibus libertatem Olympiadis 119. anno 2, Christi ante natalem 303, dicta est), nuncupari solebat, testibus Gemino Isag. cap. 6, ac Polluce Onom. lib. 1. cap. 7. segm. 63. edit. Amst. 1706. p. 41. sq.; sed alteram, qua de Chronologi haud conveniunt: namque fuisse Mensis diem 2. Scaliger de Emend. temp. lib. 1. p. 36, ac Petitus de Anno Attico cap. 2. volunt; fuisse diem 21. contendit Petavius Doct. temp. lib. 1. cap. 5, & lib. 2. cap. 10; fuisse diem 29. Dodvvellus de Cyclis differt. 1. sect. 38. mavult, ita tamen, ut post *Metonis* Periodum receptam, idest post Olympiadem 87, diem fuisse quamlibet 63. Periodi *Metonicae*, ac post suffectum *Calippi* Cyclum, post Olympiadem 112. nempe, fuisse iterum diem 29. idem Dodvellus existimet; contra vero Corsinius differt. 2. cit. §. 17. sqq. p. 84. sqq. fuisse post *Metonis* Periodum semper, usquedum videlicet Menses Athenis *Lunares* mansere, diem 63. ejusdem Periodi, adeo ut ab anno 1. Olympiadis 87. a die 1. *Hecatombaeonis* numeratis diebus 63. prima dies *Exemptilis* fuerit dies 3. *Boedromionis*, indeque numeratis totidem diebus 63, secunda *Exemptilis* dies fuerit *Pyanepsionis* dies 6, ac sic deinceps, ideoque in Mensibus *Cavis* dies una ex sequentibus diebus 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. *Exemptilis* semper esse debuerit.

XIX. Jam vero mirum valde, quam diverſas Attici Menſes, Annique ratio mutationes diverſis ſub aetatibus, ac diverſas ob cauſſas ſubierint! Unde mirari ſane non ſubit eamdem Atticorum Menſium ſeriem, Annique cardinem, ac ratioenm implexam, obſcuramque quammaxime nobis effeciſſe Scriptores cum Veteres, tum Nuperos, qui eorumdem nobis ſeriem, ordinemque tradere, ſervareque curarunt, diverſam plane ſinguli rationem ſequuti: quas diverſas apud Athenienſes Menſium, Annique rationes antequam meo pro modulo illuſtrandas adgredior, quaſque diſcrepantes apud Auctores de Atticis Menſibus, Annique forma opiniones quoque componendas modo adſumo, principaliora, quae diverſis ſub aetatibus diverſis a Scriptoribus, iiſque celebrioribus deſcripta ſunt, Anni, Menſiumque apud Athenienſes Diagrammata ſub uno ponenda adſpectu duco.

MEN-

MENSES ATTICORUM CIVILES

JUXTA CLEOSTRATUM, ET HARPALUM

1.	Γαμηλιών	Gamelion	29.
2.	Ἀνθεςηριών	Antheſterion	59.
3.	Ἐλαφηβολιών	Helaphebolion	88.
4.	Μȣνυχιών	Munychion	118.
5.	Θαργηλιών	Thargelion	147.
6.	Σκιῤῥοφοριών	Scirrophorion	177.
7.	Ἑκατομβαιών	Hecatombaeon	206.
8.	Μεταγειτνιών	Metagitnion	236.
9.	Βοεδρομιών	Boedromion	265.
10.	Πυανεψιών	Pyanepſion	295.
11.	Μαιμακτηριών	Maemacterion	324.
12.	Ποσειδεών	Poſideon	354.

JUXTA METONEM, ET CALIPPUM

1.	Hecatombaeon	Ἑκατομβαιών	30.
2.	Metagitnion	Μεταγειτνιών	29.
3.	Boedromion	Βοεδρομιών	30.
4.	Maemacterion	Μαιμακτηριών	29.
5.	Pyanepſion	Πυανεψιών	30.
6.	Poſideon	Ποσειδεών	29.
7.	Gamelion	Γαμηλιών	30.
8.	Antheſterion	Ἀνθεςηριών	29.
9.	Helaphebolion	Ἐλαφηβολιών	30.
10.	Munychion	Μȣνυχιών	29.
11.	Thargelion	Θαργηλιών	30.
12.	Scirrophorion	Σκιῤῥοφοριών	29.

MEN-

MENSES ATTICORUM CIVILES

JUXTA ANTIPHONTEM, ET LEXIGRAPHUM STEPHANIANUM			JUXTA PLUTARCHUM, ET APPIANUM		
I.	Hecatombaeon	September	I.	Posideon	Januarius
II.	Metagitnion	October	II.	Gamelion	Februarius
III.	Boedromion	November	III.	Anthesterion	Martius
IV.	Pyanepsion	December	IV.	Helaphebolion	Aprilis
V.	Maemacterion	Januarius	V.	Munychion	Majus
VI.	Posideon, seu Lenaeon	Februarius	VI.	Thargelion	Junius
VII.	Gamelion	Martius	VII.	Scirrophorion	Julius
VIII.	Anthesterion	Aprilis	VIII.	Hecatombaeon	Augustus
IX.	Helaphebolion	Majus	IX.	Metagitnion	September
X.	Munychion	Junius	X.	Boedromion	October
XI.	Thargelion	Julius	XI.	Pyanepsion	November
XII.	Scirrophorion	Augustus	XII.	Maemacterion	December

MEN-

MENSES ATTICORUM CIVILES

JUXTA SPONIANAS INSCRIPTIONES, ET ARISTIDEM

1.	Boedromion Ephesiis	1.	Δῖος Smyrnaeis	1.	Hyperberetaeus	September
2.	Pyanepsion	2.	Απελλαῖος	2.	Dius	October
3.	Maemacterion	3.	Αυδυναῖος	3.	Apellaeus	November
4.	Posideon	4.	Περίτιος	4.	Audinaeus	December
5.	Gamelion, sive Lenaeon	5.	Δύςος	5.	Peritius	Januarius
6.	Anthesterion	6.	Ξανθικος	6.	Dystrus	Februarius
7.	Helaphebolion	7.	Ἀρτεμήσιος	7.	Xanthicus	Martius
8.	Munychion	8.	Δαῖσιος	8.	Artemisius	Aprilis
9.	Thargelion	9.	Πανεμος	9.	Daesius	Majus
10.	Scirrophorion	10.	Λῶος	10.	Panemus	Junius
11.	Hecatombaeon	11.	Γορπιαῖος	11.	Lous	Julius
12.	Metagitnion	12.	Ὑπερβερεταῖος	12.	Gorpiaeus	Augustus

MEN-

MENSES ATTICORUM CIVILES

JUXTA GRAECUM HEMEROLOGIUM AD CALCEM PTOLEMAEI

ATHENIENSIUM.	PERSARUM.	ROMANORUM.	MACEDONUM.	ARABUM.	AEGYPTIORUM.
Posideon	Pharphardin	September	Xanthicus	Mucharan	Thoth
Gamelion	Ardempee	October	Artemisius	Sarar	Phaothi
Anthesterion	Kortat	November	Daesius	Raimpiaaval	Athyr
Helaphebolion	Tourma	December	Panemus	Rampiaachir	Chojac
Munychion	Mertat	Januarius	Lous	Gisamatoul	Tybi
Thargelion	Sarebar	Februarius	Gorpiaeus	Gisamatilachir	Mechir
Scirrophorion	Mechir	Martius	Hyperberetaeus	Rantsap	Phamenoth
Hecatombaeon	Apan	Aprilis	Dius	Sampan	Pharmuthi
Metagitnion	Ader	Majus	Apellaeus	Ramadan	Pachon
Boedromion	Hezme	Junius	Audinaeus	Saoal	Paoni
Pyanepsion	Pachman	Julius	Peritius	Dulcantan	Epiphi
Maemacterion	Asphantar	Augustus	Dystrus	Dulchentsi	Mesori
Epagomenae	Vehac	Adscititii	Epagomenae	Musteraka	Nisi

MEN-

MENSES ATTICORUM CIVILES

JUXTA S. EPIPHANIUM.			JUXTA PACHYMEREM		
I.	Hecatombaeon	October	I.	Hecatombaeon	Januar.
II.	Metagitnion	November	II.	Metagitnion	Februa.
III.	Boedromion	December	III.	Boedromion	Martius
IV.	Maemacterion	Januarius	IV.	Maemacterion	Aprilis
V.	Pyanepſion	Februarius	V.	Pyanepſion	Majus
VI.	Poſideon	Martius	VI.	Antheſterion	Junius
VII.	Gamelion	Aprilis	VII.	Poſideon	Julius
VIII.	Antheſterion	Majus	VIII.	Gamelion	Auguſt.
IX.	Helaphebolion	Junius	IX.	Helaphebolion	Septem.
X.	Munychion	Julius	X.	Munychion	October
XI.	Thargelion	Auguſtus	XI.	Thargelion	Novem.
XII.	Scirrophorion	September	XII.	Scirrophorion	Decem.

JUXTA THEODORUM GAZAM

	Θέρινοι			Χέιμερινοι	
1.	Ἑκατομβαιών	Junius Julius	7.	Ποσειδεών	December Januarius
2.	Μεταγειτνιων	Julius Auguſtus	8.	Γαμηλιών	Januarius Februarius
3.	Βοηδρομιών	Auguſtus September	9.	Ἐλαφηβολιών	Februarius Martius
	Οπώρινοι			Ἐαρινοι	
4.	Μαιμακτηριών	September October	10.	Μουνυχιών	Martius Aprilis
5.	Πυανεψιών	October November	11.	Θαργηλιών	Aprilis Majus
6.	Ἀνθεστηριών	November December	12.	Σκιῤῥοφοριών	Majus Junius

JUXTA HARPOCRATIONEM, SUIDAM, ET HESYCHIUM

1. Hecatombaeon	Junius	7. Poſideon	December
2. Metagitnion	Julius	8. Gamelion	Januarius
3. Boedromion	Auguſtus	9. Helaphebolion	Februarius
4. Pyanepſion	September	10. Munychion	Martius
5. Maemacterion	October	11. Thargelion	Aprilis
6. Antheſterion	November	12. Scirrophorion	Majus

XX. His ex Laterculis itaque liquido adparet quot, & quam diverſas apud Athenienſes viciſſitudines Annus, Menſiumque ſeries ſubjerit, ac quot proinde diſpares viciſſim in opiniones Scriptores Graecos, atque Latinos ſciderit! Quandiu namque ad *Lunae* motum exigi Attici conſuevere Menſes, ac poſtquam, ne impune per omnes anni tempeſtates pervagarentur, a *Cleoſtrato*, & *Harpalo* Periodo cohiberi cepere, Anni cardo ab Hyberno *Solſtitio*, ideoque a *Gamelione* Menſe

se ducendus Duumviris illis visus est. Atque ita proinde digestus ab illis est Annus, ut *Lunaris* siquidem Mensis constare diebus 29. horis 12. minutis 44.' creditus sit, ex hisce vero horis 12. bis collectis dies 1. compleatur, ideo Menses alterne *Cavi*, & *Pleni* dierum 29, & 30. constituti sunt, indeque dierum 354. factus est Annus. Huicce porro *Lunari* Anno cum *Solari* coaequando pridem ante ipsorum aetatem *Embolimaeus* dierum alterne 29, & 28, Mensis aggregari solebat, quae postea intercalandi forma ab ipsis ad Octennii finem conjecta fuit; atque Mensis *Embolimaeus* iste post *Posideonem* inseri consuebat, adeo ut duplex *Posideon* computaretur, *Prior*, ac *Posterior*. Et quamvis postea a *Metone*, & a *Calippo* Attici Anni forma immutata fuerit, priscus attamen mos *Embolimaeum*, Mensem *Posideoni* aggregandi integer permansit, ut fidem abunde facit Ptolemaeus Almag. lib. 4. p. 106. Verum meliori postea a *Metone Lunares* Menses cum *Solis* motibus concordandi excogitato Cyclo XIX, tum vetus etiam mutanda Anni ratio, ac Mensium series visa est, ineundaque a *Solstitio* Aestivo, ideoque ab *Hecatombaeone*, a quo nempe *Olympici* duci Anni solebat initium. Ita scilicet Astronomis illis duo *Solstitia* ita duobus in anni terminis constituenda, ut Hyberno vicissim sufficeretur Aestivum, visa sunt. Quamquam errore decepti *Solstitium* Aestivum in gradu 8. *Cancri*, Julii Romani die 8, fixum arbitrati sunt: quod postea a *Timocharide*, & *Hipparcho* ad diem 27. Junii Juliani deductum est. Factum inde, ut Petro Castellano de Mens., & Anno Graec. Antiq. Graec. T.IX. edit. Ven. p. 1095. distinguendus Annus ipse Romanus visus fuerit in *Pompilianum*, atque *Julianum*, post idest quam a *Julio* Caesare emendatus est, ita proinde, ut primus Atheniensium Mensis *Hecatombaeon* Julio *Pompiliano*, Junio vero *Juliano* responderet. Aliis vero, uti Theodoro Gazae, Atticus quilibet Mensis duobus ideo aequandus Julianis visus est. De ratione porro Atticam construendi Ephemeridem, eamque Juliano exaequandi Anno tam juxta *Metonis*, & *Calippi* Periodum, a *Julio* Romano *Hecatombaeonem* inchoantem, quam juxta *Timocharidis*, & *Hipparchi* Cyclum, *Hecatombaeonis* ini-

tium e Romano *Junio* auſpicantem, ſeq. Volum., quum de Periodis, ac Cyclis, agendum erit. Veteribus ex adverſo Scriptoribus aliis, veluti Thucydidi, Ariſtoteli, Galeno &c. duas Annum in tempeſtates dumtaxat, *Aeſtatem*, ac *Hyemem* diſpeſcere ut adlibuit, ita duos itidem Anni termini, duo videlicet Aequinoctia *Vernum*, & *Autumnale*, conſtituendi viſi ſunt, adeo ut *Ver* prima *Aeſtatis* pars eſſet, *Autumnus* vero pars *Hyemis* prior. Indeque factum item, ut Anni principium iterum a *Solſtitio* Aeſtivo transferretur ad Autumnale *Aequinoctium*; & ab *Hecatombeone* deſcenderet ad *Boedromionem*. Contra tamen Ovidio Faſt. lib. 2. pars *Hyemis* erat *Ver*, a Nonis, ſeu Idibus Februariis incipiens, in veterique Kalendario viciſſim apud Gruterum p. 136. *Aeſtas* ab 11. Kalend. Maji incipiens 10. Kalend. Auguſti diebus 94. finiebat; *Hyems* vero a 10. Kalend. Novembris injens in 13. Kalend. Februarii deſinebat. Inde factum igitur advertit Longuerue de Var. Epochis Vet. cap. 1. §. 28. p. 45, ut *Helaphebolion* perperam ad finem Januarii pleriſque referretur.

XXI. Poſtquam itaque longe, lateque per Aſiam Romano cum Imperio propagato, ultro citroque *Juliani* Anni forma recipi ubique cepit, tum quoque primum ad *Julianos* utique Menſes deinceps exigere ſuos Athenienſes voluiſſe ſuſpicari fas eſt. Atque ita hacce de recepta demum in Attica *Juliani* Anni ratione *Solaribus* ex Menſibus conflata loquutum plane fuiſſe oportet Ariſtophanis Scholiaſtem in Nubibus Act. 4. Scen. 1. a Dodvvello de Cyclis diſſert. 1. ſect. 39, & a Corſinio Faſt. Attic. diſſert. 2. §. 15. p. 81. relatum, ubi *Civili* Menſi Attico dies tribuit aliquando 31, aliquando 30, aliquando 29, aliquando 28: quae dierum certe diſparitas in *Lunari* Anno Attico locum haud habebat, bene vero in *Solari* Juliano. Atque a Plutarcho quidem de Iſide, & Oſir., in Publicola, Julio, Sylla, Demoſthene, Phocione, Alexandro, Pompaeo &c., ab Appiano quoque de Bello Civil. lib. 2. juxta *Metonis*, & *Calippi* Periodum, & ad hancce Menſium Atticorum diagramma accommodatum, ita Menſes Atticos ad *Julianorum* ordinem exactos fuiſſe obſervat Longuerue cit.

loc.

loc. §. 24. p. 38. sq., ut primus *Posideon* Januario responderet, ac postremus *Maemacterion* Decembri. Quod ita tamen accipi potest, ac debet, ut in serie Atticorum Mensium Anni principium, non a *Posideone* utique, sed ab *Hecatombaeone*, juxta Metonis, & Calippi Periodum, inciperet. Atque istud profecto, quod reliquis ideo praeferendum duco, juxta Plutarchi, & Appiani diagramma, *Hecatombaeonem* Attici Anni primum fuisse Mensem explicitissimo docemur Dionysii Halic. testimonio lib. 1. de Ilii excidio, ubi Ilium captum refert vergente jam Θέρυς *Aestate*, (ubi pro Θέρυς legendum Ἔαρος *Vere* arguit Petavius Doct. temp. lib. 9. cap. 31.), diebus 17. ante *Solstitium* Aestivum, *Thargelionis* die 23, secundum Atticam Anni rationem, post *Solstitium* vero superfuisse dies 20. eo complendo anno; atque dies 37. Urbis expugnationem fuisse sequutos. Siquidem enim *Junio* in Plutarchi, & Appiani diagrammate respondeat *Thargelion*, atque post huncce *Scirrophorion* sequens *Julio* sit aequalis, indeque sequatur *Hecatombaeon* cum *Augusto* comparatus, a *Thargelionis* die 23. restasse dies 37. adhuc ad *Hecatombaeonis* initium adparet, sive ad anni finem, uti loquitur Dionysius, ideoque ab *Hecatombaeone* tum novi Anni caput inivisse fit evidens. Quocum Plutarchi, & Appiani diagrammate, petito nempe ab *Hecatombaeone*, sive ab Augusto *Juliano* Attici Anni cardine, approbe congruunt Philostratus, atque Harpocration apud Vandalaeum Antiq. Marm. dissert. 8. de Gymnasiarchis cap. 8. p. 598. sq., queis utpote *Metagitnion* 2.°, *Maemacterion* 5.° Decembri respondens, *Posideon* 6.° cum Januario copulatus, *Anthesterion* 8.°, *Munychion* 10., ideoque *Scirrophorion* 12.° Julio aequatus, loco numerati leguntur.

XXII. Quamquam ab ipso postea Januario Anni etiam apud Athenienses principium; ideoque vel a *Posideone* juxta aliquos, ac praesertim apud Scriptorem Hemerologii Saviliani, & Medicei, a quo *Posideon* Romano Januario plane exaequatus legitur; vel a *Maemacterione* juxta alios fuisse deductum opinari pronum est: qua de re paullo post. Contra Aristidi, qui anno Christi 120. circiter florebat, ad Macedones,

ac

ac Syro-Macedones Atticorum Mensium ordo Orat. 1. sacra digestus ita legitur, ut primus apud Ephesios, & Pergamenos Mensis *Dius*, & apud Smyrnaeos *Hyperberetaeus* aequetur *Boedromioni* apud Athenienses, postremo vero Ephesiorum, ac Pergamenorum *Hyperberetaeo*, atque Smyrnaeorum *Gorpiaeo* respondeat Atticus *Metagitnion*: qua de aequatione conferendus Longuerue de Var. Epoch. cap. 1. §. 25. p. 39. Siquidem vero probabiliorem juxta opinionem, Ephesiis, ac Pergamenis *Dius*, atque Smyrnaeis *Hyperberetaeus* aliqua sui parte Juliano *Septembri* responderent, ita perinde Atheniensium *Boedromion* cum Septembri commissus est. Cum Aristide vero geminae approbe faciunt Graecae Inscriptiones apud Sponium Itin. T.II. p. 375, & 435, Meursium in Populis Atticae Art. 4, & 104, ac Whelerum Itin. T.II. p. 483, queis de paullo infra, ubi *Boedromion* primo utrobique occurrit loco, 2.° *Pyanepsion* &c., 11° *Hecatombaeon*, ac postremo *Metagitnion*. Ibi vero a Sponio praeteritus *Helaphebolion* a Whelero *Gamelionem* inter, ac *Munychionem* recte suppletur; atque vicissim ab ipso Whelero praetermissus *Anthesterion* suo apud Sponium loco supra comparet. Ex adverso in Mensium Tabula Graece manu exarata, quae prostat ad calcem Ptolemaei Magnae Constructionis, ut in Anno sicuti Macedonico *Xanthicus*, Persico *Phervardin*, Arabico *Muharram*, Aegyptiaco *Thoth*, ac Romano *September*, sic in Attico *Posideon* familiam ducere conspicitur. Sed enim Graecus hic Scriptor in hacce Mensium serie non videtur Gentium harum Menses invicem componere voluisse, sed Mensium varias apud Gentes nomina, ab ipso utique depravata, uno sub intuitu dumtaxat exhibere. Suidas vicissim ad *Juliani* quidem ubique jam recepti Anni formam Atticos ita Menses exigere voluisse videtur, ut eorumdem quoque Mensium initium, non ad *Metonis*, & *Calippi* Periodum, sed ad *Timocharidis*, & *Hipparchi* Cyclum longe accuratiorem emendare, digerereque voluerit. Quandoquidem igitur Aestivum *Solstitium* a die 8. Julii, cui olim a *Metone*, & a *Calippo* adstrictum fuerat, ad diem 27. Junii translatum a *Timocharide*, & ab *Hipparcho* fuit, Anni proinde *Civilis* initium, *Hecatom-*

tombaeonem ideft, five illius Neomeniam, in Junium a Julio transferendum Suidas duxiffe vero verius mihi videtur. Atque *Junio* quidem recte quadrare *Hecatombaeonem* poffe adnotavit quoque Theodorus Gaza de Menf. Atticis cap. 7. Antiq. Graec. T. IX. edit. Ven. p. 992; cumque *Hecatombaeone Junius* itidem haud infcite compofitus legitur in Kalendario Graeco-Romano apud Dempfterum Antiq. Roman. lib. 4. cap. 4. p. 344.

XXIII. Indictionum poftea ufu, *Conftantino* M. imperante, ubique ferme gentium recepto, Athenienfibus quoque primus *Hecatombaeon* Menfis a die 1. *Septembris* Juliani, qua die *Indictiones* inibant, ideoque Annus perinde, ab Aeftivo *Solftitio* ejufdem Anni cardine ad Autumnale *Aequinoctium* translato, deducendus impofterum vifus eft. Cujufmodi fane Attici novi Anni diagramma ex veteri Menfium Collectione ab Henrico Stephano Thefau. T. IV. p. 225. defcriptum fuperius exhibitum eft: atque ita quidem, ut Menfis I. *Hecatombaeon*, (qui Κρόνι℗ *Cronius* ibidem dicitur, ficuti dictus etiam legitur Plutarcho in Thefeo), cum Juliano *Septembri* conferatur; Menfis 6. *Pofideon*, (qui & *Lenaeon* eodem loci denominatur; quo tamen *Lenaeonis* nomine Ephefiis *Anthefterion*, & Ariftidi *Gamelion* denominatus legitur; atque *Gamelion* viciffim, Macedonibus olim *Nychion* adpellatus, Romano cum *Januario*, ac Macedonico cum *Audinaeo* confertur apud Suidam, ac Gyraldum de Menf. Oper. T. II. p. 781.), *Pofideon*, inquam, cum *Februario*, atque poftremus *Scirrophorion* Juliano cum *Augufto* committatur, veluti fuperiori ex Tabula dignofcitur. Cum Scriptore vero illo Graeco probe congruit Antiphon Rhetor, qui circa Olympiadem 90. florebat, Orat. 16. pro Chorago, ubi primum Attici Menfem Anni *Hecatombaeonem*, atque poftremum *Scirrophorionem* percenfet. Sub S. Epiphanio, Seculo IV. ideft Ecclefiae, Atticis ufu hanc ipfam Anni rationem veniffe docere nos idem S. Doctor videtur Haer. LI. *Alogorum*, ubi eamdem ufurpat: quam Eccclefiae feculo V. item Athenienfibus fuiffe adhibitam teftis accedit locuples Macrobius Satur. lib. 1. cap. 12, quo loci *Anthefterion* ab ipfo cum *Aprili* comparatur. Eodem vero

vero S. Epiphanio auctore Haer. LVII, Asianis aliis Atticos adhibentibus Menses ab Octobri incepisse dignoscitur: eo namque loci S. Doctor Christum D. baptisatum fuisse quorumdam opinione refert Mense *Novembri*, sive Attico *Metagitnione*. Itaque *Metagitnion* siquidem Mensis 2. esset, oportet, ut *Hecatombaeon* Mensis 1. inciperet ab Octobri. Siquidem vero a S. Epiphanio *Maemacterion* Januario aequetur, inde Petavius in Not. infert *Maemacterionem* fuisse Attici Anni Mensem 4. Sed enim Longuerue p. 43. observat a S. Epiphanio diversa passim eisdem de Mensibus tradi, prout diversos aut exscribebat, aut ipse sequebatur Auctores: sicuti Ulpianus in Demosthenis Orat. pro Corona *Thargelionem* cum Aprili, *Hecatombaeonem* cum Junio; ac rursus cum *Xanthico*, seu Aprili, & iterum cum Januario; atque *Munychionem* cum Januario etiam, & *Helaphebolionem* cum Septembri copulasse legitur: quae sane cohaerere invicem nequeunt; qua de Petavii opinione fusius infra. Atqui Graecis aliis *Hecatombaeonem*, ideoque Anni initium a Kalendis Jannariis deducere tum etiam placuisse, post nempe quam *Juliani* Anni forma a Januario incipientis longe, lateque recepta fuit, liquido patet ex Pachymere Hist. Andronici lib. 3. cap. 12, ubi eamdem ipsemet usurpare non dubitat. Graecis itaque hodiernis duplicem admitti Epocham, ac duplicem Anni formam adnotat Longuerue cit. cap. 1. §. 27. p. 43. sq. Prima vetus est ab Orbe condito, & a Kalendis Septembris init, secunda a Nativitate D., & a Kalendis incipit Januariis: utraque namque usurpata legitur in Epistolis Theodori Zygomalae Protonotarii Ecclesiae Constantinopolit. ad Martinum Cruzium, Johannis Zygomalae Rhetoris ejusdem Ecclesiae ad eumdem Cruzium, ac Hieremiae Constantinopolit. Patriarchae ad Theologos Tubingenses Turco Graeciae p. 427.

XXIV. Scriptores itaque Graeci, Latinique cum Veteres, tum Nuperi cur diversas adeo in sententias scinderentur, tria, opinor, in caussa fuere. 1.° Quia namque *Lunares* olim Anni erant, proinde Romanis exacte respondere nequibant, uti adnotavit Perizonius in Aeliani Var. Hist. lib. 2. cap. 25; quumque modo a *Solstitio* Hyberno, modo ab Aestivo,

stivo, ac modo ab Autumnali *Aequinoctio* ejusdem Anni cardo diversis temporibus deductus fuerit, inde factum est, ut singulos perinde Menses apud Athenienses saepius variare sedem, atque duos Romanos attingere, veluti recte advertit Theodorus Gaza de Mens. Attic. cap.8. Antiq. Graec. T.IX. p. 996, juxtaque diversam seriem diversos, oportuerit. Hinc *Hecatombaeonem* majori sui parte *Julio* respondisse, aliquando *Junio* parte sua priori, ipsiusque principium aliquando in Kalendas *Augusti* incidisse ex Plutarcho discimus. Theodoro Gazae vero ita Mensium ordo, haud male sane, loc. cit. digestus est, ut ab Aestivo *Solstitio* Anni cardine ducto, Mensis 1. sit *Hecatombaeon*, isteque Junio, ac Julio aequatus; 4. sit *Maemacterion* cum Septembri, & Octobri conveniens; 7. *Posideon* Decembri, ac Januario; 8. *Gamelion* Januario, & Februario; 12. *Scirrophorion* cum Majo, ac Junio concurrens. *Helaphebolionem* Nabonassari anno 454. cum Martio convenisse ex Ptolemaeo Almag. lib. 7. cap. 3. ostendunt Usserius in Annal. Vet. Test. p. 245, ac Dodvvellus de Cyclis p. 725. *Munychion* Aprili exaequatus legitur apud Plinium lib. 9. cap. 51. Partem *Thargelionis* majorem cum Majo concurrisse liquet ex Marmore Oxon. Epocha xxiv, ac post Scaligerum, Henr. Stephanum, Marshamum, Petavium ostendit Perizonius loc. cit.,; ita tamen, ut Aprilem pars altera tangeret. *Scirrophorion* anno 2. Olympiadis 99. ita quoque Junio respondebat apud Plinium lib. 9. cap. 51, & lib. 16. cap. 24, ut & Majum attingeret, velut ostendunt Usserius Annal. p. 139, Jacobus Capellus Anno M. 3618, Dodvvellus de Cyclis p. 718, & ex Ptolemaeo lib. 6. cap. ult. Auctor Observat. in Chron. Vet. Hebr., Aegyp., Chald., Graec. &c. p. 153. sq. 11.° Idque potissimum inter Scriptores discrepantiae, prout etiam Vandalaeo Antiq. Marm. dissert. 8. de Gymnasiarchis cap. 1. p. 601. observatum est, in caussa fuit *Embolimaeus* Mensis, qui triennio quolibet interseri, ac *Posideon* II. dici solebat. Quod nempe in Mensibus Atticis cum Romanis componendis Scriptores alii de Anno *Embolimaeo* loquuti fuerint, alii de Anno *Communi* sermonem fecerint, videlicet ad utriusque Anni disparitatem haud attendentes, aut hancce memoria praetereuntes.

tes. Inde factum putare facile, ac pronum est, ut *Hecatombaeon* aliis, ac melius, cum *Julio*, aliis cum *Augusto* comparatus fuerit; ut *Boedromion* aliquando, rectiusque cum *Septembri*, aliquando cum *Octobri* congruerit. III.° Quia, ut modo innuebam, non una fuit apud Athenienses, eademque semper Anni ratio, sed variata saepius est, de qua nunc loquendum manet, quave bona in luce posita, futurum opinor, ut dispares Chronologorum facile componendae sint opiniones.

XXV. Itaque ante, & usque ad Olympiadem 87. a *Solstitio* Hyberno, ideoque a *Gamelione* apud Athenienses incepisse Annus Dodvvello de Cycl. dissert.1. sect.6, & Corsinio Fast. Attic. T.I. dissert.2 §.22. p.91. sqq. visus est. Documento primum id esse potest, quod prisco illo tempore, quo Menses dierum 30. censebantur omnes, *Embolimaeus* ille, qui ad anni finem adjungi solebat, *Posideon* II. adpellabatur, ideo nempe, quod ille *Posideoni* I, Mensium postremo, aggregaretur: a *Gamelione* itaque primum in Anno locum fuisse occupatum inde fit consequens. Atque a *Gamelione* plane, ideoque a *Solstitio* Hyberno, *Cleostrati*, & *Harpali* Cyclum, qui pridem usu Atheniensibus venerat, incepisse auctor est locuples Festus Avienus Seculi V. Scriptor nobilis in Arateis, sive Phoenomenis Arati edit. Hugon. Grotii, ut etiam videre, fassique sunt Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 68, ac Petavius Doct. temp. lib.5. cap.4; adeo ut proinde neutri excidere debuerit, ut diceret Scaliger Olympiade 53. a *Gamelione* ad *Hecatombaeonem* Anni principium fuisse translatum; Petavius vero ante quin etiam Olympiadem 53. Anni caput ad *Hecatombaeonem* e *Gamelione* migrasse: quo liquido profecto Avieni testimonio fit, ut a *Gamelionis* principio Annus inciperet; atque ita quidem ut *Archonticus*, & Popularis hic Annus Mensibus sex cum dimidio *Olympici* Anni caput praecederet, quod ab *Hecatombaeonis* dimidio, sive a *Plenilunio* ipsi proximiori duci solebat: qua de *Olympici* Anni, & *Archontici* ratione copiose, eruditeque Dodvvellus de Cyclis dissert. 3. sect. 35; meliusque Corsinius Fast. Attic. T. I. dissert.2. p. 92. sqq. Post vero Olympiadem 87, quam nempe post *Metonis*, & *Calippi* Periodus XIX, & LXXVI. instituta est, ejusdem Periodi initio

tio a *Solstitio* Aestivo, ideoque ab *Hecatombaeonis* initio, deducto; juxta quam nova Graeci Anni forma est constituta, in qua Menses alterne *Pleni*, & *Cavi* erant, Anni Popularis, & *Arconthici* principium idem factum prorsus ipsum fuisse, quod Anni principium *Olympici* fuerat, ideoque Anni cardinem a *Solstitio* Hyberno, & a *Gamelione* ad *Solstitium* Aestivum, & ad *Hecatombaeonem* fuisse translatum, adeoque ut deinceps unum, idemque Anni tam *Archontici*, quam *Olympici* caput esset, Duumviris illis doctiss. indubium habetur. Ita tamen, ut *Embolimaeus* Mensis, qui priscum juxta morem, atque Metonis leges *Posideoni* antea postremo anni Mensi, quum nempe primus erat *Gamelion*, aggregari solebat, eidem *Posideoni* deinde adjungi non desiverit; non vero *Scirrophorioni* addi ceperit, veluti dubium movere videtur Dodwellus in Annal. Thucydidis p. 123, qui tum postremum occupare locum occepit, postquam ad primum *Hecatombaeon* ascendit. Cujusce sane rei testem habemus locupletem Ptolemaeum Almag. lib. 4. cap. 11, a quo *Posideon* I. nuncupatur, documentoque liquido est Inscriptio apud Sponium, in qua *Maemacterionem* inter, & *Gamelionem* explicitissime *Posideon* I, & *Posideon* II. interpositus legitur. Atque quod post Olympiadem 87. Annus quidem apud Athenienses ab *Hecatombaeone* deduci ceperit, ostendere Scaliger, Petavius, Lalamantius, Petitus, Dodvvellus, Perellus, Morelius, Corsinius &c. pergunt Thucydidis lib. 2. cap. 2, ejusdemque Scholiastis, Demosthenis in Olymp. 3, & Orat. contra Timotheum, Antiphontis Orat. pro Chorago, Platonis de Legib. lib. 6. p. 620, Ptolemaei Almag. lib. 4. cap. 11. &c. testimoniis, queis insuper perspicua Simplicii, Diodori, Plutarchi, Dionysii &c. loca Corsinius accumulat cit. differt. 2. §. 23. sqq. p. 95. sqq., quibusque novam hanc Anni formam apud Athenienses a *Solstitio* Aestivo, ideoque ab *Hecatombaeone* incipientis usque ad *Constantini M.* imperium perdurasse opinatur. Qua ipsum tamen in opinione falli oppido, anteque *Constantini M.* aetatem hanc ipsam Attici formam Anni mutatam fuisse paullo infra planum fiet.

XXVI. In eo tamen a Scaligero discrepat pro more Peta-

tavius. 1.° Quod ille *Hecatombaeonis* Novilunium semper post Aestivi *Solstitii* cardinem incidisse, adeoque nunquam Julii diem 9. praevertisse censuit; ipse vero Neomeniam *Hecatombaeonis* illam Civilis Anni caput constituendam verius duxit, quae *Solstitio* Aestivo proximior foret, sive ipsum praecederet, sive aliquando proxime consequeretur. 2.° Quod Theodoro Gazae suo in Atticorum Mensium diagrammate recte quidem exprobrari consentit a Scaligero de Emend. temp. lib. 1. p.28. sq., quod *Anthesterionem* inclinanti jam Autumno Gaza adscripserit, Veris initio adscribendum fore, ac post *Gamelionem* locandum & ipse cum Scaligero adfirmans Petavius in Not. ad S. Epiphanium T.II.p.136, ac Doct.temp. lib.1.cap.10, & lib.4. cap.8: quod vero *Boedromioni* ipse Scaliger *Pyanepsionem*, quarto nempe loco, non ut Gaza, *Maemacterionem* proxime adjungat, quodque *Posideonem* Januario respondere putet, reprehensione Scaligerum ipsum dignum Petavius judicat, quem sequitur Hadrianus Junius de Annis, & Mens. cap. 4. Antiq. Rom. T.VIII. edit. Ven. p.212, a *Maemacterione* quartum in Attico locum Anno fuisse occupatum & ipse autumans. Contra Dodvvellus de Cyclis dissert. 2. sect.4. sq., ac 16, hanc ipsam Atticorum Mensium a Scaligero digestam & ipse seriem amplexatus, ac Longuerue de Var. Epochis Vet. cap.1. §.23. p.36. sqq. pro Scaligero contra Petavium stans, *Boedromioni* proxime adhaesisse *Pyanepsionem*, in quintum *Maemacterione* locum rejecto, multis comprobant. Nempe Demosthenis Orat. pro Corona loco, ubi duplex ab Atheniensibus editum refert Decretum Ψήφισμα, primum die ultima Mensis I. *Hecatombaeonis* de Legatis ad Philippum Macedonem mittendis, alterum post tres Menses editum die 10. ante *Maemacterionis* finem de asportandis in Urbem, quae in Agris essent: unde liquet *Maemacterionem* Attici Anni Mensem non 4, sed 5. fuisse. Graeci Lexicographi fide apud Henricum Stephanum, cujus exemplar superiori in Tabula exhibetur, ubi *Pyanepsion* quartum, *Maemacterion* quintum occupat locum. Videndi quoque Pridaeus ad Marm. Oxon. p.239, Seldenus in Adparatu ad Epochas Marmor., ac Marshamus in Can. Chron. Seculo XVIII, p.654.sqq. in eadem de *Pyanepsione* quarto reponen-

do

do loco, deque *Maemacterione* post ipsum proximo opinione defixi. Graecis Inscriptionibus duabus Athenis repertis, ac Petavio haud inspectis, in quibus post *Boedromionem* in serie quartus sequitur *Pyanepsion*, indeque post ipsum *Maemacterion*, velut ex proposito supra Schemate patet: unde Sponius ibidem in Notis Scaligerianum Atticorum Mensium Indiculum haud rite a Petavio suggillari recte concludit. Quibus jungendum Marmor aliud insigne Athenis repertum, atque a Maffejo in Schedis, indeque a Corsinio Fast. Attic. T. IV. Proleg. p. 1. sqq. descriptum, quod Kalendarii cujuspiam fragmentum videri potest, in quo Menses, Mensiumque dies Festivi, atque Diis sacri designati leguntur. In eo namque *Boedromioni* quarto proxime loco suffectus *Pyanepsion* habetur, quinto vero *Maemacterion*. Testimoniis denique Lysimachidis apud Harpocrationem, Arriani de Exped. Alexandri lib. 3. p. 168. sqq., Plutarchi locis supra cit., Suidae &c., quibus *Maemacterion* plane quintus vocatus Mensis legitur, & ante ipsum quarto *Pyanepsion* loco collocatur. Sed enim Corsinio Fast. Attic. T. II. dissert. 14. §. 6. p. 406. sqq. Chronologos istos facile Principes componere haud difficile fuit. Nempe varias distinguendo Epochas, quas & acute vidit Petavius, de quibus & nos post ipsum modo agimus, ita ut *Maemacterion* usque ad Olympiadem 116, imo 124, ac item 227, idest ad *Hadrianum* usque Imper., quartum occupaverit locum, proxime *Boedromioni* suffectus, (quod & persuasum habuit Guillelmus Morelius de Mens. Graec. apud Munckerum de Intercalat. Var. Gent. lib. 3. cap. 5. p. 162.); ideoque *Pyanepsion* ordine quintus successerit: quod invictis Aristotelis Hist. Anim. lib. 6. capp. 11. sq., & 29, Theophrasti Hist. Plant. lib. 4. cap. 3, & apud Plinium lib. 33. cap. 7, Timocharidis apud Ptolemaeum Almag. lib. 7. cap. 3, Plutarchi de Iside, & Osir., Ptolemaei lib. 4. Graec. p. 105. &c. testimoniis contra Scaligerum, ac Salmasium comprobat Petavius Doct. temp. lib. 1. cap. 10, & lib. 4. cap. 8, ac Var. dissert. lib. 6. capp. 3, & 5, cui Dodvvellus item dissert. 2. sect. 5. adstipulari non dubitat, consentitque loc. cit. Corsinius, atque multis Pontedera Antiq. Latin., & Graec. Epist. 22. contendit. Post *Hadriani* vero aetatem muta-

mutata Attici Anni ratione, *Pyanepsionem* in quartum, atque *Maemacterionem* in quintum migrasse locum contra Petavium ipsum Harpocrationis, qui extremis *Hadriani* temporibus floruit, Arriani quoque sub eadem tempestate in vivis agentis testimoniis, junctis geminis apud Sponium Inscriptionibus, quae sub *Hadriano* quoque inscalptae fuere, confirmare satagit. Denique sub S. Epiphanii aetate, Seculo IV. exeunte, quo Anni cardinem, ideoque *Hecatombaeonem* ab Aestivo *Solstitio* rursus ad *Aequinoctium* Autumnale fuisse translatum, atque *Juliani* Anni formam ab Atheniensibus receptam ipse arbitratur, *Maemacterion* quartum iterum repetiisse locum, & cum *Januario* copulari inde cepisse ipsi visus est. Verum de posteriori hocce concordiae a Viro doctiss. procuratae, haud feliciter tamen, opinor, capite paullo infra.

XXVII. Ad varias itaque modo regrediendo Epochas, in quibus varias Atticorum Mensium series mutationes subire visa est, atque vicissitudines Anni apud Athenienses ratio perpeti diversas est perspecta, hanc ipsam primitus Anni formam cum *Hecatombaeone* ab Aestivo *Solstitio* incipientis apud Athenienses perpetuo sequiorem usque ad aetatem obtinuisse Scaligero, ac Petavio arcte persuasum fuit. Ast enim Aerae Christianae initio Atheniensium Menses ex *Lunaribus* factos *Solares* fuisse, Annumque ex diebus 354, quot dumtaxat eam usque ad aetatem constiterat, ad dies 360. fuisse productum Dodvvellus de Cyclis dissert. 2. §. 21. persuasum habuit, Plinii lib. 34. cap. 6. loco permotus, ubi haud obscure Atticum Annum diebus 360. constitisse docet. Contra vero Corsinius dissert. 2. §. 30. p. 109. sq. Diodori, Dionysii, Pollucis, Plutarchi, Gemini &c. testimoniis ostendere nititur tum adhuc temporis obtinente *Calippi* Periodo, idest Olympiadis 188. anno 3, Christi ante natalem 26, apud Athenienses *Lunares* adhuc Menses obtinuisse, Annique formam, una cum *Metonica*, & *Calippica* Periodo, inductam mansisse integram. Atque ipse vicissim Fast. Attic. T. II. dissert. 14. §. 6. p. 402. sqq. dubitando vehementer, Civilis Attici demum Anni cardinem sequiori sub aetate fuisse mutatum, & ad *Macedonici* Anni formam exactum, ideoque ab Aestivi *Solstitii* capite ad

Ae-

Aequinoctium Autumnale, hoc est ab *Hecatombaeone* ad *Boedromionem* Attici Popularis Anni principium fuisse traslatum, opinatur. Id contigisse Vir doctiss. conjicit Olympiadis 227. anno 3, aut 4, Aerae Christianae 132, aut 133, quo *Hadrianum* Imper. Athenas profectum secunda vice Archontis *Eponymi* munere defunctum, ideoque Fastis adscriptum Atticis fuisse ex Spartiano, Dione, Eusebio, S. Hieronymo &c. conglomeratis testimoniis ostendere nititur Fast. Attic. T. II. dissert. 10. §. 16. p. 105. sqq. Quo perinde ab anno adventus *Hadriani* Athenas novam Athenienses Epocham auspicari cepisse ex insigni Marmore in Riccardiorum Aedibus Florentiae collocato, & a Montfauconio, Donio, Salvino, Gorio &c. descripto idem ostendit Fast. Attic. T. I. dissert. 4. §. 10. p. 170. sq., ac T. IV. Olymp. 229. p. 173. sqq.: qua de Epocha nobis etiam seq. Volumine agendum erit. Quò proinde factum putat, ut ab Atheniensibus nova cum Epocha novum in *Hadriani* honorem Anni Civilis, a *Boedromione* deinceps incipientis, exordium inductum fuerit, adeoque *Pyanepsion* e quinto in quartum migraverit Anni locum; non secus atque factum in *Demetrii* Regis gratiam, ut *Boedromion*, & *Anthesterion* situm mutaverint, ex Plutarcho in Demetrio advertit.

XXVIII. Conjecturam hancce vero suam confirmare Vir doctiss. satagit insigni gemina Inscriptione Graeca a Sponio Itin. T. II. p. 376. sq., & 436. sq., a Meursio de Populis Atticae Graec. Antiq. T. IV. edit. Ven. p. 683. sq., & 755. sqq., a Whelero Itin. T. II. p. 483, a Vandalaeo Antiq. Marm. dissert. 8. de Gymnasiarchis cap. 1. p. 595. sqq., & ab ipso Corsinio Fast. Attic. T. II. dissert. 11. §§. 21, & 23. p. 171. sqq. descriptis, quas Inscriptiones positas utique fuisse, quum jam Athenienses Romano sub imperio degerent, haud male augurantur Sponius, ac Vandalaeus ex Latinis, quae passim ibidem leguntur, Vocabulis; posteriorem autem Inscriptionem saltem sub *Hadriani* aevo positam haud inepte conjicit Corsinius. In Inscriptionibus igitur illis *Gymnasiarcharum* Magistratus apud Athenienses cum *Boedromione* ita copulatus legitur, ut cum eodem Mense tam Magistratus ille, quam Civilis Annus incepisse Corsinio videatur. Ita nempe in utraque Inscriptione

At-

Atticorum Mensium ordo cum Gymnasiarcharum serie conjungitur, ut cum I. Gymnasiarcha Menstruo *Boedromion* 1. loco utrobique occurrat; cum II. Gymnasiarcha *Pyanepsion* 2. loco; cum III. *Maemacterion* 3; cum IV. *Posideon* prior 4; cum V. *Posideon* posterior; cum VI. *Gamelion* 6; cum VII. *Anthesterion* 7; cum VIII. *Munychion* 8; cum IX. *Thargelion* 9; cum X. *Scirrophorion* 10; cum XI. *Hecatombaeon* 11; cum XII. *Metagitnion* 12. Ubi illud Vandalaeo opportune observatur Annum ibidem descriptum *Embolimaeum* fuisse, idest Mensium 13, eidemque Mensem *Embolimaeum*, qui tertio quoque anno recurrebat, eique inserebatur, ac semper *Posideon* II. erat, ibidem quoque insertum fuisse, qui *Posideon* ideo bis ibidem legitur; adeoque a Sponio oscitanter omissum in descriptione *Helaphebolionem* recte suppletum a Whelero fuisse, interque *Gamelionem*, ac *Munychionem* insertum advertit; ab eodem Whelero etsi, dum eadem excerpsit, simili erratum ἀβλεψία, sive festinatione est, a quo utpote *Anthesterion*, qui proprio alioquin apud Sponium loco comparet, est praetermissus. Iisdem adhaec in Inscriptionibus eodem cum *Boedromione* copulari subjungit Corsinius Archontis *Eponymi*, (qui nempe Novemvirorum sibi invicem succedentium juxta seriem Menstruum obibat munus), Magistratum; Munus item *Cosmetae*, (qui probe a *Cosmis*, ac *Protocosmis*, qui Creta in Insula Urbibus praefecti erant, distinguendi sunt, atque a *Comastis*, ac *Hierocomastis*, qui Sacris Cantibus, & Saltationibus praefuisse videntur, queis de copiose, docteque Cuperus in Epist. Crit., Litter. &c. epist. 3, & 9. ad Vandalaeum p.504. sq., & p.547. sq.), *Cosmetae*, inquam, de quibus Meursius Athen. Attic. lib.2. cap.5, Gruterus Inscript. 6. p.79, 1. sqq. p.317, ac Sponius Itin. T.III.Par.II..p.181, Epheborum, qui Pueri erant nempe, priusque Gymnasticis publice in Gymnasio ludis exerciti, post aetatis annum 20. Militum albo inscripti Patriae defensioni advigilare debebant; eorumdem vero cultum, ordinem, ac modestiam curare munus *Cosmetae* erat; item *Hypocosmetae*, qui nempe *Cosmetae* vicibus defungebatur, magisterium; Tribuum etiam Atheniensium *Prytanias*, sive functiones; *Gymnasticas* exercitationes; *Epheborum*

borum experimenta; Militiae *Eponymicae* tempus, isthaec, inquam, munia cum Boedromione conjuncta fuisse omnia eodem loci observat; ideoque a *Boedromione* Civilem Atheniensium tum Annum inivisse, atque hunc ideo ab Autumnali cepisse *Aequinoctio*, quo nempe Magistratus hi, & haec munia consignata leguntur, Vir doctiss. arguit, ideoque Sponium perperam existimasse haud Civilis ibidem Anni novum indicari cardinem, sed Gymnasticas dumtaxat exercitationes designari, quae *Boedromione* sane instaurari solebant. S. Epiphanii denique sub aetatem Attici Civilis Anni caput ab Aestivo *Solstitio* translatum fuisse ad Autumnale *Aequinoctium* ex eodem S. Doctore Haer. LI. n. 24. post Petavium Doct. temp. lib. 4. cap. 8. idem Corsinius arguit. Nam S. Epiphanio *Maemacterionis* initium cum Januarii die 1, ac initium *Metagitnionis* cum die 2. Novembris copulatum legitur. Igitur *Hecatombaeonis* initium cum Octobris Juliani die 3. concurrere oportuit: atque ita plane *Maemacterion*, qui apud Sponium in Lapidibus quintum occupat locum, apud S. Epiphanium quarto positus loco legitur.

XXIX. Verum hisce doctiss. Viri conjecturis, haud alioqui facile contemnendis, insignis principio obest Aristidis, qui Christianae Aerae Seculi II. sub initio florebat, Orat. 1. sacra locus, quem virum apprime acutum praeterjisse valdequam miror, ubi Atticos Menses Asianis, ac Syro-Macedonicis sic aequat, ut sicut Ephesiis, ac Pergamenis *Dium*, atque Smyrnaeis *Hyperberetaeum*, sic Atticis *Boedromionem* primum Anni fuisse Mensem adfirmet, ac ita ut *Pyanepsion* 2, *Maemacterion* 3, *Posideon* 4. locum occuparent, velut ex proposito supra Diagrammate adparet, cui Usserianum approbe conforme dignoscitur. Non itaque usque ad *Constantini* M. aetatem prior illa *Metonica*, & *Calippica* Anni ab *Hecatombaeone* incipientis forma perduravit; neque posterior ista nova a *Boedromione* ineuntis, atque a *Solstitio* Aestivo ad Autumnale *Aequinoctium* translati Anni ratio sub *Hadriano* demum inducta est. Contra vero Plinio siquidem, qui sub Aerae Christianae Seculi I. exitum in vivis agebat, Hist. lib. 9. cap. 51. sq. *Munychion* Aprili, ac *Scirrophorion* Junio respondisse dicantur,

inde fit, ut ea sub aetate *Hecatombaeon* Julio, & *Gamelion* Januario, Mensium juxta Diagramma a Scaligero, & ipso Petavio digestum, juxtaque quod & suum ipsi Kalendarium Romano-Graecum a Januario, & *Gamelione* incipiens describere Lilio Gyraldo Oper. T.II. p.826. summopere placuit, approbe responderit; adeoque ut tum adhuc a *Solstitio* Aestivo, sive ab *Hecatombaeone*, ac Julio Atheniensium incipere Annus nedum desierit, aut ad Hybernum *Solstitium* translatum a Januario, sive a *Gamelione* tum demum deduci ceperit. Ast enim Plutarcho, qui sub Ecclesiae Seculi II. florebat initio, a quove in Julio Caesare *Posideon* cum Januario, in Sylla *Anthesterionis* initium cum Kal. Martiis, in Alexandro *Hecatombaeon* cum Augusto, in Publicola *Metagitnionis* dimidium cum Idibus Septembribus, de Isid., & Osir. *Pyanepsion* cum Novembri copulati leguntur. Appiano quoque, circa Christi D. annum 130. in vivis agenti, Belli Civil. lib. 2. Idus Martias cum *Anthesterionis* medio copulanti, alter ideo Attici cardo Anni constitutus videtur, *Posideon* nempe Juliano aequatus Januario. Longe vero gravius illud est argumentum, quod Kalendarii illius Attici fragmentum a Maffejo, ac deinde a Corsinio descripti nobis suppeditat. In eo namque Atticorum Mensium series, etsi mutila, valdeque detrita exhibeatur, certissime tamen ab *Hecatombaeone* incipere, finireque in *Scirrophorione* conspicitur. Quamque Marmor istud aetatem ferat, sub qua *Pyanepsion* quartus, *Maemacterion* quintus in Mensium ordine erat, quae ipsissima est Marmoris utriusque Sponiani aetas, inde fit, ut ex Marmoris Sponiani Inscriptionibus Attici Civilis Anni ad *Boedromionem* translatum initium fuisse augurari recte Corsinio fas haud fuerit. Ad haec S. Epiphanio *Maemacterionis* initium siquidem cum Kalendis Januariis, *Metagitnion* cum die 2. Novembris, & *Hecatombaeonis* exordium cum Octobris die 3. commissum fuerit, inde fas est inferre sub ipsius aetate rursus Anni apud Athenienses formam immutatam fuisse, ejus cardinem ab Aestivo *Solstitio* ad Autumnale *Aequinoctium* fuisse translatum, juxtaque *Juliani* Anni formam Anni caput a Januario, sive a *Maemacterione* deductum fuisse, perinde ut *Hecatombaeon*, qui prius Julio, postmodum Octobri fuerit aequatus,

quatus. Quam juxta aequationem profecto a Theodoro Gaza, cui eapropter inique contexta ab ipso Anni forma exprobraretur, suum Atticorum Mensium, Annique Diagramma ad Julianorum formam ita dispositum fuisse, ut *Hecatombaeon* pariter cum Octobri congrueret, pronum est putare.

XXX. Verum Graeco Lexicographo apud Henricum Stephanum,qui cum S.Epiphanio,& Gaza *Maemacterionem* quarto pariter loco positum cum Januario copulasse legitur, *Hecatombaeon* tamen,primo recensitus loco,cum Septembri conjungitur. Post haec autem Marinus Vir Ethnicus, natione Syrus Procli discipulus, ejusque in Atheniensi Schola, velut ex asse successor, atque Olympiadis 316, Christiani Seculi V. scriptor haud ignobilis, in vita Procli Magistri cap.36. apud Fabricium ad calcem Bibl. Lat. edit. Londin., ac separatim edita in 4, (qui & Bibl.Graec.T.VIII.lib.5.cap.26.p.456.in Not. monet Scholion in Mss. citato cap.36. adjectum, quo Marini locum, non de *Juliano* Apostata, sed de homonymo alio, nescio quo, *Juliano*, accipiendum fore,omnino falsum esse,tempus utpote,nomenque Βασιλείας *Juliano* Apostatae optime conguant), Marinus, inquam, scribit eumdem Proclum post aetatis annos 75.obiisse demum imperii *Juliani* anno 124,qui ab anno U.C. 1114,sive Aerae Christianae 361,quo *Julianus* imperium iniit, numeratus in annum U. C. 1238, Christi 485. incidit, ac die 17. *Munychionis* juxta Athenienses, juxta Romanos Aprilis itidem die 17. refert. Tum itaque temporis,Christiano scilicet Seculo V, Atheniensium Menses apprime Romanis aequati erant, adeoque ut *Munychion*, & Aprilis invicem accurate conspirarent; atque proinde *Hecatombaeonis* initium cum Julii Romani initio conjungi oportebat. Quid vero quod insequenti Seculo VI, cujusce sub dimidio florebat Simplicius Philosophus, eadem adhuc integra manebat Attici Anni forma? Ille quippe Comment. in Aristotelis Physic. lib.5. ad diversos Anni cardines a diversis Anni diversum initium deduci referens, ab Atheniensibus istud ab Aestivo *Solstitio* repeti, ab *Aequinoctio* Autumnali ab Asianis, Minoris idest Asiae Incolis, a *Solstitio* Hyemali circiter a Romanis,& ab *Aequinoctio* Verno ab Arabibus inchoari adfirmat. An itaque cum Corsinio Pro-

cli sub aetate Attici Anni ratio iterato mutata, & ab Autumnali *Aequinoctio* ad Aestivum *Solstitium* secunda, tertiaque vice translatus, iterumque restitutus Anni cardo dicetur? Toties nempe apud Athenienses, ulla absque caussa, uti videre licet, Anni forma, non tam instaurata, quam inversa aestimabitur? Cum Sponio denique Vandalaeus cit. Differt. cap. 1. p.601. haud inscite cogitat in laudatis Inscriptionibus, cur *Gymnasiarcharum* ille Catalogus a *Boedromione*, (cui sane neque Mensium insequentium cuipiam Magistratus quispiam alter copulatus, nisi *Gymnasiarchae* dumtaxat, ibidem legitur), incipiat, non vero ab *Hecatombaeone*, cujus initio Athenienses Magistratus annuatim electi munia obire sua incipiebant, in caussa fuisse, quod *Gymnasiarchae*, sicuti Χορήγοι primo Mense post *Dionysia* modo celebrata, nove creabantur ad hinc sequentia *Dionysia*, *Urbana* nempe, sive *Verna*, quae Mense *Helaphebolione* in Urbe agi solebant, teste Thucydide Hist. lib.5. p.353, non *Ruralia*, sive *Autumnalia*, quae medio *Posideone* Rure peragi consuebant, Hesychio teste V. Διονύσια, videndique Spanhemius in Not. ad Aristophanis Nubes v.310, Jacobus Palmerius Exercit. p.505, & 617. sq., ac Lakemacherus Antiq. Graec. Par. IV. cap.2. §.12. p.607. sqq.), ita post *Magna Mysteria*, idest *Eleusinia*, dicta *Thesmophoria* etiam, *Demetria*, atque *Epoptica*, in honorem *Cereris*, filiaeque *Proserpinae* agitata, quae *Boedromione* Mense celebrari solebant, quibusque de videndi Meursius in Eleusiniis Antiq. Graec. T. VII. p.109. sqq., Lakemacherus loc. cit. §.13. p.615. sqq., ac Pfeifferus Antiq. Graec. lib. 1. cap.43. p.99, sqq., *Gymnasiarchae*, inquam, electi videantur; atque cum ab iis Mysteriis, tum ab eo inde Mense *Boedromione* muneris sui administrationem adjisse: quod plane munus haud publicum erat, sive Politicum. Conferendi Pollux Onom. lib.8. cap.9. segm. 107, ubi de Decemviris Ἱεροποιοῖς, qui Sacra Majoribus in hisce Mysteriis faciebant, differit, idem quoque Vandalaeus cit. differt. 8. cap.2. p.601. sqq., ubi fuse de Eleusiniis, eruditeque agit.

XXXI. Ut paucis modo reliquos, qui putandis in anno temporibus, paria cum Atheniensibus fecisse leguntur, Graeciae

ciae

ciae Populos complectar, Deliis, Tejis, Ambraciotis, Coensibus, Lindis, Pariis, Eleis &c. eadem, quae usu Atheniensibus venerant, Mensium nomina, & ordinem, eamdemque Anni rationem, & initium usurpari consuevisse, ex Monumentis, quae nobis temporum invidia dereliquit, demonstratu haud difficile Corsinio Fast. Attic. T.I. dissert.8. §.32. p.370. sqq., ac T.II. dissert.14. §§.15, & 24. p.435. sq., & 465. sq., evenit. Enim vero in Delio Marmore a Sponio in Miscell. Erud. Antiq. edito p.343. *Helaphebolion* occurrit: qui ab Ἔλαφῳ Placenta idest ex adipe, melle, & sesamo confecta, stataque *Dianae* festiva die pinsiri solita, qua de Athenaeus Deipnos. lib.14. p.646, nomen habuisse videtur. In Lapide altero Delii reperto a Gronovio p.405, emendatiori vero a Monfauconio Diarii Ital. p.43, & a Muratorio p.663. descripto, *Gamelion* legitur, nomine a *Nuptiis* derivato, Harpocratione notante, quo tempore Γαμήλιον *Nuptiale* munus dari Tribulibus solebat. A Josepho quoque Antiq. Jud. lib.14. cap.10. Psephisma in gratiam Judaeorum a Deliis editum profertur, in quo *Thargelion* memoratur. Cui sane Mensi nomen a Festo in honorem *Apollinis*, ac *Dianae*, queis pro primitiis Sacra fieri solebant, seminibus in olla coctis, quae vocabantur Θάργηλον, factum indicant Etymologus, & Hesychius. In Deliensi Marmore altero a Tayloro evulgato *Hecatombaeonis* etiam mentio incidit, sic a Sacrificio, quod *Soli* fieri splendide, atque publicis, quae agi feriae solebant, adpellati. Indicio totum id est Deliis Atticos olim Menses adhibitos fuisse, indeque Dodvvelli refelli sententiam Deliis adcensendos duos alios fore, Pindari Scholiasti memoratos, *Parthenium*, & *Apollonium* Menses, atque ita Deliis ab *Apolline*, ac *Diana*, qui Deliis lucem adspexerant, dictos autumantis Corsinius arbitratur. Non eadem tamen Deliis erat Civilis Anni distinguendi, designandique ratio, quae Atheniensibus usurpari solebat. Ut enim laudatis ex Marmoribus liquet, Anni Civilis initium Deliis *Archontum* suorum nomine, atque Magistratus cardine denotari consuebat. Ex concordia tamen utrobique Mensium cum apud Athenienses, cum apud Delios in iisdem Lapidibus obsignatorum manifestum adparet

paret eumdem utrisque Civilis Anni cardinem extitisse, ideſt Anni tam *Archontici*, quam *Olympici* exordium tum Atheniensibus, cum Deliis usu idem ipsum venisse, hoc eſt *Hecatombaeonem* ſicut in Attico, ſic in Delio familiam Anno duxiſſe.

XXXII. Atque Tejis Atticos itidem adhibitos fuiſſe, Menſes, aliquos ſaltem, propriamque ideo factam perinde Athenienſium fuiſſe Periodum, inde ſuaderi poteſt, quod eximio in Marmore apud Corſinium inter Tejorum feſta deſcripta pariter conſpiciuntur *Antheſteria*, *Heraclia*, & *Diaſia*: quae profecto feſta ab Athenienſibus in Tejos, alioſque Graecos, Ambraciotas, Parios, Cojos, ac Lindos puta, profluxiſſe haud improbabiliter videri poſſunt. *Antheſteria* enim vero, unde inditum Menſi nomen, ſive *Dionyſia*, ſacra *Baccho* nempe, Latinis ideo *Bacchanalia* dicta, atque *Floralia*, quod flores inferre ad feſtum oporteret, Etymologo auctore, Athenis Feſta erant celebria, tribus agi diebus ſolita, e quibus primus Πιθοιγία *Pithoegia*, ſecundus Χόες *Choes*, tertius Χύτροις *Chytras* dici ſolebant, ita ut *Pithoegia* die 11. *Antheſterionis* ſolemnis *Baccho* eſſet; *Choes* die 12, & *Chytras* ejuſdem Menſis die 13. *Mercurio* dicatae haberentur, veluti teſtes accedunt Thucydides lib.2. p.110, Ariſtophanis Scholiaſtes ad Acharnenſes, Plutarcus Sympoſ.lib.3. q.7, & lib.9. q.10, Proclus ad Heſiodum lib.1, Athenaeus lib.10, Aelianus Var.Hiſt.lib.2. cap.41, Harpocration, & Heſychius in Lex. V.Διονύσιος, Euſtathius ad Iliad.Ω', Suidas, aliique memorati Gyraldo Hiſt. Deor. ſyntag.17. de Sacris Oper. T.I. p.502, Marshamo in Can. Chron. Seculo XVIII. p.655, Faſoldo de Feſtis Graec. dec.4. feſto 2. Graec. Antiq. T.VII. p.555. ſq., Meurſio Attic. Lect. lib.4. cap.13. Antiq. Graec. T.V. p.1871. ſq., & Graeciae feriatae lib.1.T.VII. p.719. ſqq., Jonſtono de Feſtis Graec. cap.3.ibid.p.877, Lalamantio de Anno Attico diſsert.3.Graec. Antiq. T.IX. p.1069, & Caſtellano de Graec. Menſ. ibid. p. 1089, & 1097. Inde *Antheſterion* itaque profectus aeſtimari poteſt, eodemque perinde, quo Athenienſibus, Menſe Tejis, aliiſque eadem celebrata feſta, qui Menſis *Aprili* a Macrobio Satur.lib.1.cap.8, ac Joh.Bapt. Pio Adnot.poſteriorum cap.165, *Novembri* a Theodoro Gaza de Menſ. Attic. cap.5. cit. T.IX. p.990,

p.990, a Gyraldo de Annis, & Menſ. Oper. T.II. p.780, a Dempſtero Antiq. Rom. p.346, ac Lalamantio loc. cit. comparatus eſt. Quamquam inde quoque Tejis, quemadmodum Delphiis, ex *Heraclaeis* confectum *Heraclium* fuiſse Menſem conſequens fieri videtur. Quae vero *Heraclaea* eſsent feſta, dicam paullo poſt, quum de Menſibus apud Delphios uſurpatis diſputandum occurret. Quumque eumdem Ambraciotis, Cois, ac Lindis adhibitum fuiſse Menſem ex Antonio Liberali Metamorph. lib.4, Lactantio lib.1. cap.19, ac Plutarcho in Graecis quaeſt. liquido conſtet, inde ſuſpicari fas eſt alios quoque Menſes eiſdem Populis fuiſse communes. Ex *Diaſiis* perinde confectum *Diaſium*, ſive Tejis, non ſecus atque Macedonibus *Daeſium* effictum ſiquis opinetur, per me fas utique fiet. *Diaſia* vero, Latine *Jovialia*, feſta erant in *Jovis* honorem Athenis *Munychionis* die 19. celebria; die 16. vero *Dianae Munychiae*, unde Menſi nomen adhaeſit, ſacra fiebant, atque Placentae Ἀμφιφῶντες, facibus circumquaque affixis, offerri ſolebant, Plutarcho de Gloria Athen. p.349. referente. Atque horum mentio fit etiam Ariſtophani in Nubibus, Plutarcho rurſus in Phocione, Etymologo M. V. Διάσια, Theodoreto in Therapeut., ſive de Curan. Graec. affect. lib.7. de Sacrificiis T.II. edit. Colon. p.534, aliiſque apud Faſoldum de Feſtis Graec. dec.10. feſto 6, ac Meurſium Graeciae fer. lib.2. Antiq. Graec. T.VII. p.588, & 760.

XXXIII. Adhaec vero Anacreonti, qui patrios facile Menſes exprimere voluiſſe putandus eſt, *Poſideon* etiam memoratus legitur, atque ita quidem, ut Hyemalis is Tejis eſſet, qualis Athenienſibus pariter erat, *Decembri* a Suida, & a Theodoro Gaza, *Januario* vero a Plutarcho, & Appiano aequatus. Qui ſane Menſis Τὸ πάλαι Ληναιὼν *Olim Lenaeon*, a Torculari nempe, quo exprimi Uvae ſolent, dictus, Heſychio teſte V. Διονύσιος, inde nomen tulit, quod eo decurrente Vina *Baccho*, qui & hinc Ληναῖος dictus eſt, libari ſolerent. Quò fit, ut & Tejis uſu reliqui Attici venerint Menſes, veluti *Metagitnion*, quo *Apollini*, inde Μεταγειτνίῳ dicto, fieri Sacrificia conſuebant; veluti *Boedromion*, eidem *Apollini*, unde nomen eidem inditum, ſacer; veluti *Pyanepſion*, quo fructus Autumnales

nales colligebantur, ideoque feſtum, unde Menſis nomen tulit, agi ſolebat; veluti *Maemacterion*, a furore, quo Hyemali hocce Menſe turbari ſolet aer, ita denominatus; veluti *Scirrophorion*, qui a *Scira* feſto, in quo *Minervae*, *Neptuni*, ac *Solis* Sacerdos Athenis, umbellam Σκίρον dictam, ad locum Σκίρον itidem adpellatum, deferre ſolebat, nomen habuit; queis de Harpocration, Suidas, Heſychius &c. Pariis quoque Atticos uſu Menſes veniſſe, Annique initium ab eodem, quo apud Athenienſes incepiſſe capite, idemque proinde *Archontici*, ac *Olympici* exordium utriſque extitiſſe, e Marmorei Chronici apud Corſinium Scriptore arguere licet; a quo utpote Archontis *Eponymi* tam apud Athenienſes, quam apud Parios nomen conjunctim expreſſum legitur: quod indicio eſt haud dubio eodem omnino Menſe Archontis utriuſque *Eponymi* Magiſtratum incepiſſe; ideoque & Menſium utriuſque idem exordium injiſſe. Ita etiam in exprimendo Trojani excidii tempore ejuſdem Menſis Attici, *Thargelionis* ideſt dies 23, eadem adhibetur eidem Scriptori nota: quod argumento eſt tam Pariis, quam Athenienſibus eamdem perinde uſurpatam fuiſſe Periodum: atque hiſce de hactenus.

DE

D E

MENSIBUS, ET ANNIS

Corinthiorum, Achaeorum, Corcyraeorum, Patrensium, Sicyoniorum, Delphiorum, Elidensium, Phocensium, Locrorum, Megarensium, Aegenitarum, Argivorum, Aegialensium, Arcadum, Aetolorum, Laconum, Boeotiorum &c.

ARTICULUS X.

I. DE Corinthiorum modo, unaque simul Achaeorum, & Corcyraeorum, (Achaeis siquidem Olympiade 134. adcensiti Corinthii fuerint, a Corinthiis ipsis autem originem Corcyraei, non secus atque Siculi, duxerint, testibus Thucidide lib.6, ac Strabone lib.6. p.269, qua de origine fusius Ubbo Emmius de Republ. Corinth., Syracus., & Corcyr. Antiq. Graec. Gronovii T.IV. edit. Ven. p.529, 531, & 541, ac Emin. Quirinus in Primor. Corcyr. cap. 19.), de Corinthiorum, inquam, Anno, Mensibusque, quos idcirco, Populis etiam illis omnibus aut omnes utique, aut saltem aliquos fuisse communes opinor, agendo, fateri principio cogor, Populos apud illos quae olim Mensium usurpata fuerint nomina,

quaeque adhibita fuerit Anni forma, in obscuro hodiedum adeo latere, ut difficile admodum fiat hisce de quidpiam recte definire; ideoque quae probabili conjectura assequi poterunt aliqua, eadem divinando potius, augurandoque, quam adfirmando, in medium proferre satius erit. Itaque primo in celebri *Philippi* Macedonis Epistola Demostheni Orat. de Corona p.335. memorata, qua de fusius Artic. super. III. §.xx. p.225.sqq. cum Attico *Boedromione*, atque Macedonum *Loo*, Corinthiorum *Panemus* copulatus legitur. Quod indicio esse potest Corinthiis etiam Macedonum Menses, aliquos saltem, fuisse usurpatos. Et certe Plutarchus in Arato Sicyoniorum *Daesium*, qui Macedonum utique fuerat Mensis, cum Attico quoque *Anthesterione* committit: qui tamen in Nicia Siculorum *Carnium* singularem, qui Corinthiis sane fuit communis, memorat Mensem, quem cum Attico *Metagitnione* componit. *Carnii* meminit etiam Thucydides lib.5, quem usu Syracusanis venisse notat ipsius Scholiastes, unde hunc a Corinthiis eos accepisse conjicere fas est, eumque cum Juliano *Majo* confert. Verum & *Carnii* Mensis eximia in veteri Aeraca Lamina apud Gruterum Inscrip. p.401. occurrit mentio: ubi nempe Decretum Agrigenti editum legitur Διμηνῳ Καρνειῳ *Bimestri Carnio*. Qui *Carnius* iterum Mensis in Lapide altero Leocate Siciliae Urbe altera scalpto comparet apud Muratorium Thes. p.642, ubi Psephisma legitur aliud editum Καρνέου Τριακάδι *Carnei* die 30. Adhaec Macedonum alterum Mensem Corinthiis fuisse communem, *Dium* nempe, in Lysiae Epistola Macchab. lib.2. cap.11. v.21. descriptum, comparere persuasum aliquibus, ac Dodvvello praesertim est: qua de opinione abunde super. Art.III. §.1x.p.206.sq. dictum est. Cum *Panemo* rursus, Mense secundo dicto, Mensis alter *Gorpiaeus*, dictus Mensis primus, Siculis usurpatus legitur in veteris Manubrii fragmento Syracusana inter Monumenta a Gualtherio Antiq. Tab. p.12. relato: etsi mutila sit ΓΟΡ Α vox, qua *Gorpiaeum* utique exprimi Gualtherius opinatur. Sed & in veteri Marmore inter rudera Neapoli reperto apud Gruterum p.125. Mensis alterius, *Pantheonis* nuncupati, nomen exhibetur, quem Siculis quoque fuisse usurpatum persuasum

habet

habet Scaliger, a Corinthiis vero accepisse Siculos veri ego habeo quamsimile.

II. Tres alii praeterea Corcyraeorum Menses, quos & Corinthiis usu pariter venisse, indeque ad Siculos pervenisse cum Dodvvello haud invitus, difficilisque putaverim, in eximio Marmore apud Montfauconium Diarii Ital. cap. 28. p. 411, & Quirinum in Primord. Corcyr. comparent, *Machanes* idest, *Euclius* duodecimus ibidem dictus, & *Artemitius*, ita scilicet a Diana *Artemide* denominatus, ac ita Dorice legendus, (Dorica siquidem dialecto Siculos usos fuisse notat Thucydides lib. 6.), non *Artemisius* Macedonum, Atticorumque more, ut ipsum perpetuo legendum statuit Montfauconius. *Euclium* a Diana quoque *Eucliae* cognomine etiam donata, Plutarcho in Aristide, & Pausania in Boeoticis, sive lib. 9. cap. 17. edit. Lipf. p. 743, nuncupatum fuisse veri fit valdequam simile. *Machanes* vero an a *Minerva* Artium inventrice, ac dolorum, ideoque Μαχανῖτη dicta Pausaniae in Arcadicis, idest lib. 8. cap. 36. p. 673, an veri similius a *Machaone* Aesculapii filio Sicyoniis, Gereniis, aliisque Laconicis eximie culto, de quo Homerus apud Pausaniam in Corinthiacis, sive lib. 2. capp. 11, & 26. p. 136., & 172, ac in Laconicis, hoc est lib. 3. cap. 26. p. 278; nomen tulerit, dubitare fas est. *Carnius* adhaec, (nisi fortasse *Cronius* is sit, olim a *Saturno* dictus, idemque cum Attico *Hecatombaeone*, Romanoque Septembri a Lexicographo Graeco apud Henricum Stephanum copulatus), aut a Junone *Carnea*, Romanis etiam egregie culta, cui Junio Mense Sacra fiebant, qui Mensis ideo cum *Hecatombaeone* in Kalendario Dempsteri Antiq. Roman. lib. 4. cap. 4. p. 344. compositus legitur, denominatus est; aut verius a *Carnio* Apolline, Lacedaemoniis, Therensibus, Cyrenaeis, ac Doriensibus mirifice culto, quem ita dictum vel a *Carno* Vate ab ipso *Apolline* edocto, vel a *Carneo* Jovis, & Europae filio ab eodem *Apolline* educato, vel a *Craneja* arbore ipsi *Apollini* dicata, refert Pausanias in Laconicis, sive lib. 3. cap. 13. p. 238. sq. *Carnio* vero Mense Doriensibus Ἱερομηνίαν fuisse solemnem, festivamque, ideoque bello illos abstinere religioni duxisse auctor est Thucydides lib. 4. Sed de *Carnii* Mensis originatione fusius

 age-

agetur, quum de Lacedaemonum Mensibus paullo infra sermo incidet. Inde vero arguere licet eosdem Menses Doriensibus etiam, Cyrenaeis, atque Gereniis usurpatos fuisse. *Pantheon* fortassis a *Baccho*, aliquando *Pantheo* etiam nuncupato, nomen tulisse videri potest, quo de siquidem Ausonius cecinisse legitur Epigrammate Graeco 29, Latino 30.

Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγώ,
Μυσῶν δὲ Φανάκης.
Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν,
Ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς.
Πυρογενὴς, δίκερως,
Τιτανολέτης, Διόνυσος.

Ogygia me *Bacchum* vocat;
Osirim Aegyptus putat;
Mysi *Phanacem* nominant;
Dionyson Indi existimant;
Romana Sacra *Liberum*;
Arabica gens *Adonaeum*;
Lucaniacus sed *Pantheum*.

Fortasse Pantheon dictus fuit a *Diis* omnibus uno, eodemque in Templo cultis, quo de insigni Athenis, ut de Romano a *Marco Agrippa* exstructo nihil dicam, ab *Hadriano* Imper. aedificato adeundi Pausanias in Atticis, sive lib. 1. capp. 5, & 18. p. 14, & 43, ac Theodosius Zygomalas in Epistola ad Martinum Cruzium. At forte non *Pantheon* in laudato Neapolitano Lapide legendus est, sed *Parthenius*, quo interdum Mense *Olympia*, interdumque Mense *Apollonio* celebrata notat Pindari Scholiastes Olymp. ode 3, & post ipsum Kuhnius in Not. ad Pausaniam in Eliacis, idest lib. 5. cap. 13. p. 409. Mensem denique alterum, *Posideonem* nempe, detexisse se putat Corsinius apud Strabonem lib. 6. p. 269: quo loci Τὸ Ποσειδεὸν legitur, quem *Neptunum* verti debere Cluverius Siciliae Antiq. lib. 1. cap. 8, & Casaubonus in Not. existimant; rectius vero *Posideonem*, sive *Decembrem* legendum fore cum Latino Interprete censent Xylander, ac Corsinius; siquidem ibidem nullus esse *Neptuno* locus queat, bene vero *Posideoni*, qui de *Neptuni* etiam nomine dictus fuerit; atque *Decembri* plane olim quidem, sed postea juxta Plutarchum *Januario* fuerit aequatus; quo sane tempore Aethnaei in Sicilia Montis eruptiones ibi Strabo describit. Quò fit perinde, ut de Aethnae incendiis loquens ideo Strabo Mensem utique usurpare Sicu-

Siculis ipsis usurpatum voluerit, ideoque *Posideon* in Siculorum quoque Anno locum 3. obtinuerit, sicut in Anno Macedonico, in Attico vero 6, juxta formam a Plutarcho digestam.

III. Atque haec omnia plane sunt hactenus perspecta veterum Monumenta, e quibus Corinthiorum, Achaeorum, Corcyraeorum, Sicyoniorum, atque Siculorum Mensium nomina, Annique formam ipsis adhibitam expiscari fas hodiedum fuerit. In quibus profecto quatuor Populorum illorum peculiares fuisse dignoscuntur, *Carnius*, *Pantheon*, *Machanes*, & *Euclius*, reliqui sex vero Macedonici prorsus sunt *Panemus*, *Daesius*, *Dius*, *Gorpiaeus*, *Artemitius*, & *Posideon*: quò augurari licet reliquos duos, qui ad complendam Anni seriem desiderantur adhuc, e Macedonicis quoque acceptos fuisse. Quae Monumenta sane mirum quot, & quam dispares inde Viros doctiss. in opiniones abripuerint, adeo ut inter eas certi aliquid statuere arduum sit, & audax! Et Scaliger enim de Emend. temp. lib. 1. p. 57, Gruterus Inscrip. p. 401, Haegius ibidem in Latina Agrigentinae Laminae versione, Doduvellus de Cyclis dissert. 6. sect. 5. sqq., ac Vandalaeus Antiq. Marm. dissert. 9. cap. 3. p. 73. ea in Tabula Διμηνου Καρνειου *Bimestris Carnei* nomen se legere arcte persuasi, Mensem huncce proinde *Carneum* fuisse dubio procul *Embolimaeum* putarunt. Itaque postremum apud Corinthios, Siculos, & Corcyraeos Anni Mensem fuisse *Euclium* indubium utique insigni ex Marmore apud Montfauconium, & Quirinum extante prorsus evadit. Primum vero fuisse *Panemum*, utquipote Demostheni cit. Orat. de Corona p. 335. cum Macedonum *Loo*, & Attico *Boedromione* confusus habetur, ideoque Corinthiis, Achaeis, Corcyraeis, ac Siculis Anni principium ab ortu *Caniculae*, sive ab Aestivo *Solstitio*, Atheniensium instar, petitum fuisse Dodwellus post Scaligerum inferre non dubitat. Quamquam Achaeos a *Plejadum* ortu, idest a Majo Juliano exeunte olim, sive ab ineunte Aestate, sive a Messis ineunte tempore Annum incepisse, postea tamen sub aevo Polybii, Olympiade 150. circiter, ante Christi natalem anno 180, Anno exordium ab Autumno facere deinceps fuisse delectatos invictis Polybii lib. 5.

lib.5. sub initio, ac p.305. testimoniis ostendit Petavius epist. 19. ad Gottifredum Vendelinum ad calcem Uranologii T.III. edit. Ven. 1757. p.323. Cui sane Dodvvelli opinioni favere videtur Plutarchus in Nicia, ubi Siculum ubique *Carnium* cum Attico *Metagitnione* componere haud dubitat: inde fieri namque putat Dodvvellus, ut Corinthiorum *Panemus* primus Anni Civilis Mensis cum Attico *Boedromione* copulandus omnino sit.

IV. Verumtamen negotium idem Plutarchus haud leve facessit in Arato, quo loci Sicyoniorum *Daesium*, (nisi fortasse *Daesii* loco, quod valde suspicor, *Dystrus* legendus sit), cum Atheniensium *Anthesterione* comparat, apud quem ideo *Dius* respondere *Hecatombaeoni* debuit: quum attamen idem Plutarchus in Alexandro Macedonum *Daesium* cum Attico *Thargelione*, atque *Loum* cum *Hecatombaeone* conjungit. Sed enim haec ex dictis post Scaligerum, Petavium, Usserium &c. Articulo super. ita facile componi posse videntur, ut Plutarchus de *Solaribus* tum Macedonum Mensibus ad Anni *Juliani* formam exactis loquutus intelligatur, qui Menses ideo Syro-Macedonici loco, quem prius in veteri Macedonum Anno obtinuerant, dimoti, uno fere, alteroque Mense posteriores Macedonicis evaserint. Inde factum igitur, ut *Dius*, qui antea cum *Septembri* concurrebat, postea *Octobri*, cum quo utique apud aliquos *Hecatombaeon* incidebat, a Plutarcho aequatus fuerit; *Daesius* vero, atque *Thargelion*, qui prius *Majo* respondebant, cum *Junio* postea fuerint compositi; *Lous* itidem, & *Hecatombaeon*, qui olim *Julio* erant aequales, a Plutarcho deinde cum *Augusto* comparati fuerint. Juxta quem ideo Sicyoniorum *Daesius* quintus ordine Mensis in Anno Macedonico, & Corinthio esse debuit, in Attico octavus. Inde factum item, ut Corinthiorum etiam *Panemus*, qui Demostheni, Mensium *Lunarium* Macedonum formam sequuto, cum Attico *Boedromione*, atque *Loo* Macedonico, Romanoque *Octobri* confusus fuerat, a Plutarcho, ad *Solaris* Anni rationes sane respiciente, cum Attico *Pyanepsione*, & Macedonico *Apellaeo*, nec non Juliano *Novembri*, juxta Juliani nempe Anni formam, compositus fuerit; ideoque *Panemus*

nemus etiam penultimus in Anno Juliano Mensis evaserit, a Plutarcho *Novembri* aequatus, quartus in Anno Attico, in Anno vero Macedonico, perindeque in Corinthio secundus fuerit. Quo pacto cum Plutarcho approbe congruit vetus Monumentum apud Gualtherium, in quo *Panemus* secundus Syracusanis dicitur Mensis, *Gorpiaeus* vero primus, qui juxta Plutarchum ideo *Octobri* Juliano respondere debuit. Juxta haec itaque Plutarchus ipse in Nicia Siculorum *Carnium* cum Attico *Metagitnione* conferens, haud eamdem sequutus est Anni formam, quae Demostheni accepta fuit, qui *Lunares* prae oculis Menses habuisse in praecit. Orat. de Corona videtur, sed Juliani *Solaris* Anni rationem, juxta quam *Metagitnion* prius *Augusto* respondens, ipsi Plutarcho cum Juliano *Septembri* confusus est: unde fit, ut idem *Carnius* in Anno Romano nonum occupaverit locum, in Attico secundum, in Macedonico undecimum, *Gorpiaeo* Macedonico respondens, ideoque in Anno Siculo undecimus quoque fuerit.

V. Sic itaque Anni Civilis apud Corinthios, Achaeos, Corcyraeos, Siculos, atque Sicyonios Mensibus primo, secundo, tertio, quinto, penultimo, ultimoque loco stabilitis, (Dodvvello tametsi principium, ac finem dumtaxat iis praefigere licuerit), haud fore difficile reliquis quoque Mensibus locum adscribere eidem Dodvvello visum est. Ast enim principio in laudata apud Gruterum Agrigentina Aerea Lamina haud legendum esse Διμηνος Καρνειος *Bimestris Carnius*, bene vero legendum Ἕκτας διμήνου Καρνείου *Sexti Bimestris Carnei*, monent, qui accuratius Laminam inspexerunt, Antonius Augustinus de Legibus, Gualterius Antiq. Tabul. p.62, Maffejus Gall. Antiq. epist.8, Corsinius Fast. Attic. T.II. dissert. 14. §.12. p.421. sq. &c., ita ut sensus sit Decretum illud editum fuisse Bimestri sexto, decurrente *Carnio Mense*: quia nempe Agrigentinus Magistratus duobus tantum Mensibus imperare soleret, ideoque sexies in anno mutaretur. Quod ipsum late doctiss. Viri confirmant tum Lapide altero Leocate reperto apud Muratorium Thes. p. 642, in quo Psephisma aliud editum *Semestri secundo Carnei Mensis die* 30. legitur; tum Inscriptione Cyriaci altera in Scholiis ad Strabonem apud Rhe-

Rheinesium Clas. I. n.241, & Gruterum Inscrip. p.129, in qua Decretum quoque Delphis editum dicitur in *Secundo Semestri*; tum Cretensi Marmore alio, quod exhibet Chishullus Antiq. Asiat. p.132, ubi Decretum habetur evulgatum *Spatio Bimestri*; tum etiam Lapide Oxoniensi apud Pridaeum p. 11, atque Froelichium ad calcem Annal. Reg. Syr. p.132, in quo Smyrnaeos inter, ac Magnetes Ὁμολογία συνσφραγισθεῖ εἰς ἑξάμηνον *Foedus consignatum in Semestre* tempus legitur. Quare *Carnium* Mensem haud *Embolimaeum* fuisse inde conficiunt. Atque si fuisset utique, tum plane Civilis Anni postremum esse oportuisset: quemadmodum apud Athenienses olim erat *Posideon*, qui mutata etsi postea Attici forma Anni *Embolimaeus* esse haud desiit. Ast enim postremum illos apud Populos Anni Mensem fuisse *Euclium*, Atticoque *Scirrophorioni* idcirco respondisse insignis a Montfauconio, & Quirino supramemoratus Corcyrensis Lapis fidem indubiam facit. Quamobrem Corsinio Viro alioqui doctiss. adsentiri nequeo, qui *Carnium* duodecimo constituendum loco in Anno saltem Corinthio ea ratus est ratione, quod in Leocatensi Marmore *Heraclides* oleaginea ideo Corona decoratus conspiciatur, quod pro *Gymnasiarchae* munere rite omnia ad Gymnasium, Ephebosque spectantia peregerit, ideoque *Carnii* dies 30. ibidem obsignata Mensis, Annique postrema fuerit. Quandoquidem post *Eleusinia*, quae sane *Boedromione*, sive Augusti die 22, velut in Kalendario Graeco-Romano Veteri apud Dempsterum Antiq. Rom. lib.4. cap.4. p.345. adnotantur, celebrari, *Magna* nempe, solebant; (nam *Minora* Octobris die 28, sive *Pyanepsione* recurrebant), *Gymnasiarchas* eligi consuevisse; neque cum Anni Civilis initio ipsorum munus incepisse, sicut incipiebat *Archontum* Magistratus, valdequam probabile cum Sponio, ac Vandalaeo super. Articulo & ego ipse habui. Quam perinde ob rationem, haud satis firmam alioqui, permotus idem Corsinius *Panemum* Corinthium e primo, quo illum collocarat Dodvvellus, loco detrudendum, ac penultimo, hoc est ante *Carnium* proxime constituendum arbitratur: quod nempe *Philippi* Regis apud Demosthenem Epistola depravata fuerit, locoque *Boedromionis* sufficiendus *Hecatombaeon*

baeon

baeon sit: quanti nempe Corsinii facienda conjectura hujusmodi sit, super. Articulo III. p.225.sqq., nisi mea me fallit opinio, palam est factum. Quare penultimo, sive undecimo, quo is positus est loco, quominus apud Siculos, & Corinthios *Carnius* stet, nihil est per me prorsus, quod prohibeat.

VI. Juxta quae perinde haud difficile fiet ceteris apud Corinthios, Siculos, Corcyraeos &c. Mensibus suam cuilibet in Civili Anno sedem adfigere; ita scilicet, ut *Machanes* VI, *Artemitius* VII, *Pantheon* IX, *Dius* X. obtineant, duoque adhuc ignoti remaneant loco IV, & VIII. sufficiendi; qui forte Macedonici & ipsi fuere. Sed & fortassis e duobus his ignotis unus haberi posset *Heraeus*, quem Cretensibus usurpatum fuisse super. Articulo VII. p.295.sq. jam vidimus; atque Bithynis etiam proprium fuisse paullo infra videbimus; dictus ab *Heraeis* nempe *Junonis* festo, quam etiam Corinthiis egregie cultam fuisse docent Pausanias in Corinth., sive lib.2. cap.24. p.165, Euripidis Scholiastes in Medaea, ac Zenobius Cent.1. Proverb.27. Alter fortassis *Hermaeus* fuit ab *Hermete*, Graecis ubique quammaxime culto, denominatus, quo de copiosius supra, ubi de Cretensium Mensibus sermo nobis incidit, dictum est. Aut fortassis *Aphrodisius*, ita nempe a *Venere* Ἀφροδίτη nuncupatus, quam eo Corinthiis utique nomine eximie cultam fuisse auctores sunt liquidi Athenaeus lib.13, & Strabo lib. 8: quo de Mense fusius infra. Aut fortassis *Heraclius*, nomine ab *Heraclaeis* desumpto, festis *Herculi* solemnibus, quae Sicyoniis, atque Cois fuisse celebria paullo infra, quum de Mensibus Thebanorum agetur, planum fiet. Aut forte *Theoxenius*, quem ab *Apollinis* Sacris Achaeis celebribus adpellatum fuisse paullo post ostendemus, ubi de Mensibus apud Delphios usurpatis differendi oportunitas adfulgebit. Aut fortassis *Apollonius* a festis apud Sicyonios *Apollinis*, indeque *Apollonia* denominatis, in honorem agitari quammaxime solitis, accepto nomine, queis de Pausanias in Corinth., idest lib.2.cap.7. edit. Lips. p.128. Verum longe verisimiliori, duplici e Marmore, quod a Corsinio Fast. Attic. T.II. dissert. 14. p. 469. sq. n.1, & 2. exhibetur, conjectura ducta, duplex Mensis alter Patrensibus in Achaja, Sicyoniis, aliisque usurpatus detegitur.

Etsi enim cuinam Genti Lapis uterque adscribendus sit, in obscuro lateat, ex notis tamen nonnullis utroque in Lapide scalptis ad Corinthios, aut Sicyonios, aut Patrenses Menses ibi notatos pertinuisse augurari fas est. In priori itaque Marmore *Aesymnetarum* munus occurrit, atque *Dionysii* Mensis fit mentio. Atqui *Dionysii*, hoc est *Liberi*, sive *Bacchi* signum, quod a *Vulcano* fabricatum, dono a *Jove* donatum *Dardano* fertur, atque in Arca inclusum, post Ilium captum, ab *Eurypylo* apud Patrenses depositum fuisse, eidemque *Aesymnetae* cognomen inditum; ejusdem vero Religioni ex Patrensibus *Aesymnetas* praeesse novem, ex Viris idest Urbis Principibus, totidemque primariis e Foeminis, tradit Pausanias in Achaicis, sive lib.7. cap.19. sq. p.572. sq. In altero vero Marmore *Callimaeonis*, (quem item Mensem Ephesiis, atque Smyrnaeis fuisse communem, atque fortassis *Embolimaeum* altero ex Marmore Atheniensi a Corsinio de Not. Graec. dissert. 6. p.cxxvi. sqq. exhibito super. Art. VIII. p.313. sq. ostendimus), *Callimaeonis*, inquam, atque *Panemi* occurrit mentio, in quibus Sacris operati *Prytanes*, Archontis munere defunctus *Philes* Trophimi filius leguntur. Siquidem vero Sicyone, & Corinthi Magistratum obiisse Prytanes, & Archontes, usu quoque Panemum venisse fide constet Pausaniae in Corinth., hoc est lib.2. cap.4. p.120. sq., atque Demosthenis Orat. pro Corona p.335, a vero haud multum me hercle abhorreat, qui Corinthiis, Patrensibus, ac Sicyoniis *Dionysium*, atque *Callimaeonem* Menses adscribendos opinetur.

VII. Ast enim Corsinius *Machanem* undecimo proxime ante *Euclium* loco ponendum, *Artemitium* vero post *Euclium* proxime quoque, ideoque primo in Corcyraeorum Anno Civili putat, ideo quod in Corcyraeo Marmore decretum legatur, ut *Machane* Mense eligantur ii, qui pecuniam recipere debeant foenori tradendam *Euclio* Mense, eamque cum foenore receptam iterum foenori committant Mense *Artemitio*, quo Electi ad id muneris illi datae, receptaeque pecuniae rationes reddere, ac minas 50. pro Ludis *Dionysiacis* solvere teneantur. Ita nempe, ut Mense *Machane* receptam illos pecuniam sequenti proxime Mense *Euclio* foenori committere de-

debuisse putet; quumque *Artemitio* reddere ipsos rationes oporteret, solvereque minas 50. pro *Dionysiacis* Ludis, id factum Anni principio Corsinius persuasum habet. Verum si *Artemitius* primus fuisset anni Mensis post *Euclium* proximus, nullum interpositum pro foenore recipiendo temporis spatium fuisset. Deinde quum *Machanis* die 24. decretum illud de pecunia ab Electis recipienda, foenorique tradenda editum fuerit, nimium breve temporis intervallum Electis illis praefixum fuisset, si post dies 6. pecuniam foenori tradidisse, idest proxime sequenti *Euclio* Mense, ipsos oportuisset. Stat igitur, aut ego fallor, opinio nostra, qua penultimo Mensi locum *Carnio* fecimus. Siquidem vero *Artemitio* Mense *Dionysia*, Latinis *Liberalia* die 17. Martii celebrari solita, veluti notantur in Kalendariis Romano-Graecis apud Dempsterum p.342, Antiq. Rom. lib.4. cap.7. p.362, apud Gyraldum Oper T. II. p. 829, apud Petrum Thsaconium in Not. ad Kalendarium Vetus sub Augusto descriptum Antiq. Rom. Graevii T. VIII. edit. Ven. p.15, in Fastis Kalend., de quibus Sibrandus Siccama Comment. cap.9. p.66, in Veteri Kalendario Fastis Ovidii praefixo eodem T. VIII. p.90, & apud Petavium Oper. T. III. edit. Ven. 1757. p.60. sqq., in Kalendario sub Constantino M. edito apud Hervvartum, ac Petavium p. 68, altero sub Constantio Imp. elucubrato cit. T. VIII. p. 98, in Kalendario Julii Caesaris apud Petrum Gassendum ibid. p. 157, & Blanchinium ad calcem dissert. de Kalendario, & Cyclo Caesaris &c., *Artemitio*, inquam, *Dionysia* celebrari Siculis consueverint, quem Mensem ideo *Majo* Juliano respondisse recte censet Quirinus, isque profecto Mensis, juxta formam Anni Attici a Plutarcho Juliano accommodatam, *Munychioni* aequatus sit, inde sequitur, ut *Artemitius* iste Siculus Attico in Anno, juxta Plutarchum, locum 10. occuparit, in Macedonico 7, atque septimus perinde fuerit in Anno Siculo: a quo proinde ad *Euclium* anni postremum sex interjecerint Menses, quorum intervallo pecunia foeneri tradita cum foenore recipi utique poterat. Quoniam vero eo in decreto *Machane* Mense edito pecunia *Artemitio* recepta eodem ipso Mense *Artemitio* foenori denuo tradi jubetur, fit inde veri quam simile,

 quod

quod *Artemitium* proxime *Machanes* exceperit, isque ideo Anni Siculi sextus fuerit Mensis.

VIII. His ita de *Machane*, *Artemitio*, & *Euclio* constitutis; ceteris, ut fieri poterit, quoque Mensibus sua modo statuenda nobis sedes incumbit. In his itaque *Dius* ille Lysiae memoratus, (si *Dius* revera Corinthius fuit, uti Dodvvello, aliisque visus est, quo de tamen ego valdequam ambigo), juxta Anni formam ad Julianam a Plutarcho digestam, Attico *Hecatombaeoni*, Romano *Augusto* respondere debuit, ideoque primum Attico in Anno locum, in Anno vero Macedonico, Corinthio, Sicyonio, ac Siculo decimum occupare debebat. Si vero *Dius* Lysiae a *Dioscoris*, hoc est *Castore*, ac *Polluce*, ita dictus est, veluti Froelichio magis adlibuit, tum is Mensis *Julius* sane fuit, cujusce dies 15. *Dioscoris* Romae consecrata legitur in Kalendariis Dempsteri Antiq. Roman. lib. 4. cap. 4. p. 344. Gyraldi Oper. T. II. p. 837. &c.; atque juxta Plutarchum Attico *Scirrophorioni*, & Macedonico *Panemo* respondebat; ideoque Attico in Anno ultimus, in Macedonico nonus erat: sed tum is ad Corinthios, Siculos, Corcyraeos &c. nihil attinebat, sed magis ad Lacedaemonios, queis *Dioscoros* magno in honore fuisse habitos auctor est Polyaenus in Aristomenis stratagemate 3. lib. 11. apud Meursium in Miscellan. Lacon. lib. 2. cap. 14. Antiq. Graec. Gronovii T. V. edit. Ven. p. 2393, & Pausanias eos Messeniis etiam cultos testatus in Messeniacis, sive lib. 4. cap. 31. edit. Lips. p. 358; ad Cyrenaeos, apud quos *Dioscororum* festum magnifice celebratum tradit Pindari Scholiastes in Pythia ode 3. apud eumdem Meursium Graeciae feriatae lib. 2. Graec. Antiq. T. VII. p. 762, & apud Jonstonum de Festis Graec. cap. 6. ibid. p. 881; ad Cephalenses, quos *Dioscororum* religioni valdequam addictos ex Theogne memorat Natalis Comes Mytholog. lib. 8. cap. 9. edit. Ven. 1567. p. 249; ad Dioscorienses in Ponto, queis ortum, ac nomen fecisse *Castor*, & *Pollux* cum Jasone Pontum ingressi traduntur Pomponio Melae lib. 1. cap. 19, Solino cap. 25, Plinio lib. 6. cap. 5, Stephano de Urb. edit. Holst. p. 11, & 100, Ptolemaeo lib. 5. cap. 10, aliisque, queis de Cellarius Geog. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 9. p. 305. sq., ac Jacobus

de

de Wilde in Select. Num. Antiq. §.39. p.58. sq., ubi & Urbem, & Insulam ad Mare Erythraeum *Dioscororum* de nomine dictam ex Plinio lib.6. cap.28, ac Ptolemaeo lib.6. cap.15. observat; ad Samothraces, apud quos magno in honore *Dioscoros*, (ita legendos idest, non uti vulgo *Dioscuros* ex Phrytricho admonens), *Castorem* hoc est, ac *Pollucem*, habitos observat Adrianus Relandus in dissert. de Diis Cabiris apud Pollenum Antiq. Graec. Suppl. T.IV. edit. Ven. p. 333. sqq.; quo loci *Cabiri* non alii Viro doctiss. videntur, quam *Dioscori* hi duo: etsi ab eorum nec abhorreat ipse opinione, qui *Cabiros* quatuor Deos recensere malunt, *Axierem*, *Axiocersam*, *Axiocersum*, & *Casmillum* ita dictos Apollonii Rhodii Scholiasti Argon. lib. 1. vers. 917, idest *Cererem*, *Proserpinam*, *Plutonem*, ac *Mercurium*, queis de Cabiris docte, eruditeque Joh. Antonius Astorius, Jacobus de Wilde, Justus Fontaninus &c.

IX. Ad alios modo Corinthiorum, Achaeorum, Corcyraeorum &c. suo Menses collocandos loco accedendo, eorumque de originatione loquendo, *Pantheon* sane Mensis, cujus in Marmore Neapolitano apud Gruterum p.125. fit mentio, a Deorum omnium dictus cultu videtur, quem Athenis solemnem fuisse tradit Athenaeus lib.9. Festum ast etiam, *Theoxenia* dictum, a festo Diis omnibus communi nomen tulisse scribit Hesychius, illudque a *Dioscoris*, a Deorum idest horum hospitalitate, & commercio adpellatum, fuisse institutum fertur: quem etiam Deorum omnium cultum Romae quammaxime viguisse, ideoque *Pantheon* a M. Agrippa erectum fuisse testis accedit locuples Ammianus Marcellinus lib.16. cap. 10, diesque Festus, quo Diis omnibus Sacra fieri solebant, *Communicatorius*, atque *Pandicularis* dicebatur, quo de Festus V.Pandic., Josephus Laurentius in Variis Sacris Gentil. cap.13. Antiq. Graec. T. VII. p. 196. sq., Georgius d' Arnaud de Diis Παρέδροις, sive *Adsessoribus*, & *Conjunctis* cap.24. Antiq. Roman. Graevii T.II. edit Ven. p.811: quò fieret sane, ut idem Corinthiis fuisset Mensis *Pantheon*, qui Delphiis *Theoxenius* denominatus fuit, quo de paullo infra. Sed & *Pantheon* inde dictus etiam videtur, quod ex Diis mul-

multis unus Ethnicis effici soleret, variisque designari signis, velut observatum est Gisberto Cupero in Apotheosi Homeri Antiq. Rom. Suppl. Poleni T. II. p. 168, ac Sponio Rei Antiquariae quaest. dissert. 7. Rom. Antiq. Suppl. Poleni T. IV. p.445. sqq., ac in Miscell. Erud. Antiq. sect. 1. Art. 5. eodem T.IV. p. 685. sq.; variis etiam Inscriptionibus dedicari soleret; de quibus Gruterus p. 24, & 77, ac Rheinesius p. 510. Ita namque *Panthei* figura exiberi solebat, ut qua ex omni Metallorum genere apud Aegyptios conflata videretur, referente Ruffino Hist. Eccles. lib. 11. cap. 23; qua omnium symbolis Deorum adornata conspiceretur apud Romanos, veluti Fulmine, quod *Jovis* est insigne, Caduceo, quod *Mercurii*, Papaveris, quod *Proserpinae*, Spicae, quod *Cereris*, Coronae, quod *Junonis*, Sistri, quod *Isidis*, Cornucopiae, & Clavi, quod *Fortunae*, Pharetrae, quod *Dianae*, Rotae, quod *Nemesis*, Galeae, quod *Martis*, atque *Palladis*, Vestis oblongae, quod *Minervae*, atque *Junonis*, Alarum, quod *Victoriae* symbolum est; qua Mulieris figura thyrsum, sive pomum sinistra, lanceam dextera tenentis, capite corona radiato, strobilis duobus pini ex utraque parte dependentibus, geminis ad caput hinc inde Astris insignitae, in veste stolata, qua *Juno*, *Pallas*, *Venus*, *Rhea*, *Diana*, *Nemesis*, *Parcae* &c. indutae saepe videntur, apud Syros, in Nummo veluti *Demetrii* II. Syriae Regis comparet apud Haymium Thes. Britannici Tab. VII. p. 75. sqq. Fortasse sed enim *Pantheon* a Venere *Panthea* dicta apud Dionem lib. 59, ac Sophoclem, nomen tulit, qua de Carolus Patinus Comment. in Antiquum Monumentum Marcellinae Antiq. Rom. Suppl. Poleni T. II. p. 1122. Si vero non *Pantheon*, ut ego valde suspicor, bene vero *Parthenius* is est Mensis, eodem siquidem interdum *Parthenio*, interdum vero *Apollonio* Mense celebrari *Olympia* consuevisse tradit Pindari Scholiastes Olymp. ode 3, *Olympia* vero *Novilunio*, quod Aestivo *Solstitio* proximius erat, agi solerent, inde fit, ut *Parthenius* cum Junio, & *Apollonius* cum Julio concurrerint, qua de re fusius infra, ideoque ut ille Macedonum *Panemo* respondens nonum in Anno Corinthio locum obtinuerit. Sed de hisce divinando magis, dubitandoque, quam

quam adfirmando, ac definiendo hactenus dicta sunto.

X. Delphiis, queis celebre sane *Apollinis* celebrius ipsummet Oraculum fecit ubique nomen, qui olim usu Menses venerint, haud omnes comperti sunt, quaeque usurpata fuerit Anni ratio, in obscuro fere latet; neque ingenti absque diligentia fas aliquos expiscari Delphiis adhibitos Menses fuit. In his itaque *Physius*, sive *Bysius* Delphiis usurpatus Mensis legitur apud Plutarchum in Problem., fortasse dictus vel a *Byze* Nympha, quae *Byzantem* in Thracia enutrivisse fertur; vel ab ipso *Byza* Ceroessae, ac Neptuni filio, qui Byzantii conditor, quòve Argivos, sive Megarenses intulisse refertur Hesychio, Dionysio Halic., & Auctori Chronici Alex. ad Olympiadem 243. edit. Paris. p.265, Ven. p.221, de quo conferendi Petrus Gyllius de Bosphoro Thracio lib. 2. cap. 3. Antiq. Graec. T.VI. p.3128, Ducangius de Constantinopolitan. Origin., & Bandurius Commen. in Antiq. Constantinopolit. lib.2. T.II. edit. Ven. Byzant. T.XXII. p.350. Nisi magis *Bysius* ita dictus a Telluris germinatione, quasi φύσιος, videatur, quod eo nempe Mense e tellure multa βύεται germinare conspiciantur. Atque Mensem huncce quidem Attico *Thargelioni*, Romanoque *Februario* respondisse ex Diogene Laertio in Platonis, ac Socratis vita lib. 2. cap. 44, & lib. 3. cap. 11. censet Gyraldus de Mensib. Oper. T.II. p.783: *Bysii* namque die 7. natum *Apollinem* tradit Plutarchus Sympos. lib.8. q. 1, (unde fortassis ab *Apollinis* die natali Mensi nomen inditum est); *Apollinis* vero natalem die 7. *Thargelionis* consignant Laertius loc. cit., & Apulejus in Platone, ideoque *Thargelionis* dies 6. *Dianae*, ac dies 7. *Apollini* dicati feruntur. Cum *Thargelione* quoque comparatus *Byzius* est a Scaligero de Emend. temp. lib. 1. p. 52. Contra vero Dodwellus de Cyclis dissert.5. sect.2, & 25. p.799, ac Corsinius dissert. Agonist.2. §.12. p.46. *Munychioni* respondisse *Bysium* contendunt, ideo quod, teste Thucydide lib.4. cap.117. sq., & lib.5. capp.18, & 24, *Pythia*, sive Pythici ludi circa *Helaphebolionis* exitum, sive *Munychionis* initium celebrari solerent; Plutarcho vero perhibente, Delphis Oracula *Bysio* Mense reddi consuescerent, ideoque *Bysium* cum Attico *Munychione* conferendum

dum esse concludunt; atque ita quidem, ut *Bysius* Delphis *Pythicus*, isque simul primus Anni Delphici Mensis fuerit. Quae tamen opinionum disparitas, observata Attici Anni ratione, quae nempe diversis sub aetatibus diversa obtinuit, qua de supra, nullo componi negotio potest.

XI. Secundo post *Bysium* proxime loco *Heraclius* Mensis alter Delphiis adhibitus ex Johannis Tzetzis Scholiis in Auctorem Methomericorum ineditis a Dodvvello de Cyclis p. 799, & a Corsinio Fast. Attic. T.II. dissert. 14. §. 16. p. 437. sq. ostenditur. Eo namque loci *Olympia* ab Hercule Polemone instituta, mox intermissa, a Phidone, & Iphito rursus instaurata, *Heraclio* Delphis Mense, Athenis vero *Thargelione* decurrente celebrata memorantur; hujusceque die 23. Troja diruta traditur. Ex quo inferre fas est plane cum *Munychione* Attico *Bysium*, atque *Heraclium* cum Attico *Thargelione* conferrendum utique fore. *Heraclium* igitur ab *Heraclaeis*, festis nempe *Herculi* sacris, denominatum fuisse non est dubium, quae festa quinto sane quoque anno solemnia recurrisse testantur liquido Demosthenes Orat. Περὶ Παραπρεσβεία de falsa legat., Pollux Onom. lib. 8. cap. 9. segm. 26. edit. Amst. 1706. T.II. segm. 107. p. 927, ac Theodoretus de Curat. Graec. affect. lib. 7. de Sacrificiis p. 533. sq. Eadem porro festa, ideoque eumdem perinde Mensem usu Diomensibus Atticae Populis venisse tradunt Aristophanes in Ranis, & Athenaeus lib. 6. Melitensibus itidem Atticae Populo alteri refert Hesychius. Thisbitis etiam in Boeotia, Thebanisque discimus ex Pausania in Boeoticis, sive lib. 9. cap. 32. p. 773, ex Pindari Scholiaste Olymp. ode 7, & Antonio Liberali Metamorph. 29. Sicyoniis item, quibus festum hocce duobus celebrari diebus consuebat, ac prima Ονομάτας, secunda Ηράκλειας vocabatur, docet Pausanias in Corinthiacis, hoc est lib. 2. cap. 10. edit. Lips. p. 133. sq. Ambraciotis insuper perhibet Antonius Liberalis Metam. lib. 4. Lindis quoque prope Rhodum auctor est Lactantius lib. 1. cap. 19. Cois denique testis accedit Plutarchus in Quaest. Graec. Videndi hisce de Festis, qui pluribus agunt, Meursius Graeciae feriatae lib. 3, ac Jonstonus de Festis Graec. cap. 6. Antiq. Graec. T.VII. p. 784, & p. 882. De Lu-

Ludis denique Gymnicis, antea *Heracleoticis* dictis, unde derivatum *Heraclii* Mensis nomen, ac deinde *Olympicis* denominatis, ab *Hercule* primum in honorem *Pelopis* Tantali filii institutis agunt Pollux, Lampridius, Pindarus Olymp. ode 2. sq. 10, Hyginus Fabul. 273, ac post ipsos diffuse Petrus Faber Agonist. lib. 1. cap. 15. Antiq. Graec. T. VIII. p. 1854, Corsinius dissert. Agonist. 1. Olympia &c., nobisque seq. Volumine, quum de Periodis, agendum erit.

XII. Inter cetera adhaec Delphicorum Mensium nomina Scaligero, Petavio, Dodvvello &c. penitus ignorata, quatuor alia praeterea Graecis e Marmoribus primum detexisse se perhibet cit. loco Corsinius. In Delphico nempe Marmore edito tum inter Cyriaci Inscriptiones p. 31. n. 207, tum a Muratorio ex Barberinis ejusdem Cyriaci Schedis p. 591. n. 3, *Theoxenius* Mensis alter Delphiis usurpatus comparet, qui cum secundo *Semestri* copulatus indicio est Mensem ipsum in serie fuisse, non utique sextum, uti Corsinio visum est, sed, vel ego valdequam fallor, aut tertium, aut quartum. Et vero *Theoxenium* fanum *Apollini* sacrum apud Pellenses in Achaja celebre memoratum legimus Pausaniae in Achaicis, sive lib. 7. cap. 27. p. 595; *Theoxenia* quoque festa Pellenses *Apollinis* in honorem maxime agitasse subdit Pausanias; *Mercurium* vero adjungit Pindari Scholiastes Olymp. ode 7, 9, 13, & 19. Inde *Theoxenius* etiam *Apollo* vocatus, hoc est *Hospitalis* legitur ibidem apud Pausaniam, & apud Gyraldum Hist. Deor. Syntag. 7. Oper. T. I. p. 239. sq. *Theoxenia* quoque festa Diis omnibus fuisse communia, atque solemnia, a *Dioscoris*, hoc est a *Castore*, ac *Polluce* instituta, cum Athenis, tum alibi religiose observata, quibus nempe, Dii *Peregrini* colendi deinceps suscepti, in Urbemque recepti fuerant, tradunt Hesychius in Lex., Pindari Scholiastes Olymp. ode 3, Aristides Orat. de Smyrna, Athenaeus lib. 9, ac Pollux lib. 1. cap. 1. segm. 34. T. I. p. 24, videndusque Hospinianus de Origin. festor. p. 141. Hinc Ara illa Ἀγνώςῳ θεῷ, *Ignoti Dei*, cujusce S. Paulus Actor. xvii. 23. meminit, Athenis in Areopago posita. Quo sane loci S. Hieronymus in Comment. ad Titum I, eumque pone sequuti Erasmus, aliique Inscriptionem illam his ex-

expressam fuisse verbis persuasum habent : Θεοῖς Ασίας, καὶ Ευρώπης, καὶ Λιβύης, θεοῖς Αγνώςοις, καὶ Ξένοις *Diis Asiae, & Europae, & Libyae, Diis Ignotis, & Peregrinis*. Atque plures Athenis quidem Ignotos Deos, & Peregrinos in honore fuisse habitos, pluresque ipsis in Areopago erectas fuisse Aras, quod persuasum fuit Anselmio dissertatione speciali hocce de argumento inserta Acad. Inscrip. T. IV. p. 560. sqq., atque Sponio dissert. de Aris Ignotorum Deorum Antiq. Graec. T. VII. p. 239, haud ego quoque inficias difficilis ibo, eo vel maxime, quod Athenis Deos Peregrinos, & Ignotos cultos etiam fuisse disserte tradunt Philostratus in vita Apollonii lib. 6. cap. 7, Hesychius, atque Lucianus in Philopatore; specialem attamen *Ignoto Deo* singulari Athenis dedicatam in Areopago extitisse Aram, ita S. Paulo disserte tradente, atque Luciano, sive Auctore Philoparidis capp. 9, & 28. Oper T. II. p. 769, & 780, ubi Athenis Deum Αγνώςον *Ignotum* adoratum fuisse liquido scrbit, confirmante, negari omnino nequit, velut ultrocitroque vulgo agnoscunt Interpretes, ex ipsoque Protestantium grege Rheinesius in Thes. Inscrip. p. 1. sq., Heinsius Exercit. Sacr. in Acta Apost. p. 288. sq., Buddeus Hist. Eccl. Vet. T. II. sect. 4. p. 585. sq., Wolfius in Curis Philolog. Crit. T. II. in hunc Act. locum p. 261. sq., aliique apud ipsos. Neque dubium est porro, quin Ara illa aliquod insigne ob beneficium acceptum *Ignoto Deo* illi fuerit erecta, qualis apud Tacitum lib. 1, quae *Adoptioni*, & quae lib. 3. *Ultioni* dedicata legitur, vel quia gravi liberati a peste fuissent, ut indicat Laertius in Epimenide, vel quia Persarum ab irruptione servata fuisset Patria, uti S. Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 69. scripsit. Neque sane *Ignoti Dei* illius nomine designata fuit aut *Isis*, velut Oleario de Gestis S. Pauli in Urbe Atheniensi visum est, refutato idcirco ab Ikenio dissert. 25. de Orat. Pauli in Areopago habita p. 475. sq., & a Vollio differt. de Ignoto Deo; aut *Clementia*, uti persuasum habuit Ramiresius in Pentacontarcho cap. 16, castigatus ideo a Vossio de Idololat. cap. 14, ac Fabricio Bibliogr. Antiq. cap. 9. p. 296, bene vero designatus unus fuit Hebraeorum, & Christianorum Deus O. M., veluti concordi explicant sen-

ten-

tentia Interpretes, in hisque vel ex Heterodoxorum turba Moshemius Cogitat. in Novi. Foederis locos selectos lib. 1. cap. 4, Wolfius loco cit., Ikenius, aliique longe plures apud ipsos, conferendique, si placet, Meursius de Piraeo cap. 10, Hammondus, & Clericus in Acta Apost. p. 567. sq. &c.

XIII. In lineam, e qua paullisper deflexit, ut nostra modo se recipiat oratio, in Delphico adhaec Marmore altero a Cyriaco p. 9. n. 67, & a Muratorio ex Barberinis Cyriaci Schedis p. 134. n. 2. exhibito, *Ileus*, sive ut a Muratorio describitur, *Eilaus* Mensis Delphiis usurpatus alter conspicitur. Is fortassis ab *Ilieis* nomen istud tulit, Festo nempe *Minervae* ab Iliensibus eximie cultae, testibus Suida, Hesychio, & Eustathio ad Iliad. λ', aut ita fortasse dictus est vel ab *Illeo Apolline*, hocce plane Trojae nomine culto, Stephano teste; vel ab Ἥλιος *Sole* nempe ita nuncupato; vel ab *Elaei* Olympii nobili, & claro *Jovis* Oraculo in Pisano Agro, Pausaniae dicto *Jovis Pisaei*, de quo Julius Caesar Bullengerus de Oraculis, & Vatibus cap. 147. Antiq. Graec. T. VII. edit. Ven. p. 47. Inde arguere itaque licet eumdem Iliensibus usu quoque Mensem venisse, seu ab his eum illos accepisse. In alia Inscriptione apud Cyriacum p. 29. n. 200, & apud Muratorium p. 593. n. 1, *Bucatius* Delphis etiam usurpatus Mensis alter legitur: cujus originem nominis neque divinando hactenus mihi quidem fas assequi fuit: nisi quis eum a *Messe*, quod eo is decurreret tempore, nomen accepisse putet. In Marmore itidem alio, quod nobis cum Cyriacus p. 32. n. 212, tum ejusdem e Schedis Bibl. Barberinae Muratorius loco cit. servavit, *Domus* Mensis Delphicus alter exhibetur: qui fortassis a *Domiduco*, sive a *Domitio* Nuptiarum Deo nuncupatus est, quo de Plutarchus Quaest. Rom. 2, Arnobius advers. Gentes lib. 3. p. 115, & 118, S. Augustinus de Civit. lib. 6. cap. 9, Brissonius de Ritu Nupt. Oper. Minor. edit. Lugd. Batav. 1749. p. 314. Sed & Delphiis adhibitos Menses alios fuisse, tum qui Aegostheniis, tum qui Amphissensibus proprii erant, persuasum habet Vir doctiss. Corsinius, inde quod Delphiis nempe finitimi Populi fuerint illi. Quò plane fiet perinde, ut qui Delphiis proprii erant Menses, & hi quoque

Aegosthenìis, & Amphissensibus communes fuerint, ideoque tum Megarensibus, ad quos Aegosthenii, tum Locrensibus, ad quos Amphissenses pertinebant, tum Aetolis quoque, qui Locris erant finitimi, queis de Pausanias in Atticis, sive lib. 1. cap. 44. p. 107, & in Phocicis, sive lib. 10. cap. 38. p. 895. sq., videndusque Cellarius Geog. Antiq. T.I. lib. 2. cap. 13. §. 242. p. 902, & §. 393. p. 947. Jam vero in Inscriptione Aegosthenica in Phocide a Cyriaco prolata p. 33. n. 220. *Synelius* Mensis occurrit, (nisi forte *Synoecius* legendus sit, a *Synoeciis* ita denominatus, festis idest a *Theseo* institutis, postquam undecim in Attica Urbes in unam Athenas Civitatem coegisset, Thucydide teste lib. 2.) In altera quoque Inscriptione a Cyriaco ibidem reperta, ac p. 33. n. 221. relata, *Thelutius* Mensis alter Aegostheniis usurpatus inspicitur. Qui fortasse *Thalusius* dicendus videri potest, derivato nomine a *Thalysiis* nempe *Cereri*, & *Baccho*, post comportatas fruges, in gratiarum actionem, festis agitari solitis, de quibus agunt Menander Rhetor cap. Περί Λαλίας de Loquacitate, Theocritus Idyllio 7. v. 4. sq., Etymologiographus, Virgilius Georg. 1, Eustathius ad Iliad. I.' apud Petrum Castellanum de Festis Graec. Antiq. Graec. T.VII. p. 669. sqq., ac Joh. Meursium Graeciae fer. lib. 4. ibid. p. 785. sqq. In alio denique Marmore Naupacti, seu Amphissae sitae in Locride Urbis reperto, atque Cyriaco p. 7. n. 59, & Muratorio p. 192. n. 2. evulgato, *Dionysius* Mensis Locrensibus etiam usurpatus comparet: quem Delphiis perinde, non secus atque Bithyniis, uti dictum super. Articulo est, usu pariter venisse inde fas est suspicari, quod Delphis Amphissa proxima esset, Strabone lib. 9. p. 289, Aeschine contra Ctesiphontem p. 449, & Pausania in Phocicis cap. 38. p. 895. sq. testibus. De Periodo denique tam Boeotis, quam Delphiis adhibita Volum. sq., suo tanquam loco disputandum erit, modo ut ad alios Graecis aliis usurpatos Menses, & Annos nostra se transferat oratio, dicendi ordo, ratioque postulat.

XIV. Atque in hisce quidem Elidenses, sive Olympii, a Ludis idest in Elide quammaxime, atque primum agitatis, ita denominati, quin utique *Civilis* Anni cardinem a *Novilu-*

Iunio, quod Aestivo *Solstitio* proximius esset, auspicari consueverint, adeoque ut primus Anni *Civilis* Elidensium Mensis idem omnino fuerit, atque *Olympicus*, isque profecto in *Hecatombaeonem* Atticum, ac Macedonicum *Loum* incideret, dubium esse nequit; idque dilucide, abundeque cum a Petavio Doct. temp. lib. 1. cap. 12. sqq., & lib. 9. cap. 40. sqq., tum a Dodvvello de Cyclis Graec., & Rom. dissert. 4. sect. 3, & 9. demonstratum est, quo de argumento seq. Volum., quum de Periodis sermo fiet, diffuse pro rei dignitate agendum erit. Atqui Menses Elidensibus quinam adhibiti fuerint, an Macedonici, an potius Attici, an peculiares alii, vix ac ne vix quidem ex Antiquitatis, quae temporum nobis tristitia non invidit, Monumentis assequi fas est. Unus *Elaphius* Mensis Elidensibus adhibitus memoratur Pausaniae in Eliacis prior., sive lib. 5. cap. 13. edit. Lips. 1696. p. 409, forte dictus ab *Elaphaea Diana*, (quae a Venatione Ἐλαφῶν *Cervorum* nomen etiam tulit *Elaphicae* apud Callimachum in Hymno Apollinis, unde *Cervum Dianae* sacrum Ephesiorum Nummos referre scripsit Libanius in Encom. Dianae, ut adnotavit Jacobus de Wilde in Select. Num. Antiq. §. 35. p. 52.); cuique Divae nobile olim Byzantii hoc *Elaphaeae* dedicatum nomine fanum, a *Byza* Urbis conditore exstructum fertur apud Auctorem Chronici Alex. ad Olymp. 243. p. 265. edit. Parif., Ven. p. 212. Atque Phocensibus quidem *Dianae*, in memoriam victoriae de Thessalis reportatae, *Elaphebolia* festa agitare solemni positum in more fertur, in qubus *Dianae* res divina fieri Libo solebat, cui nomen Ἔλαφος *Elaphus* erat, Placenta nempe ex adipe, melle, ac sesamo pinsa, testibus Plutarcho de Virtut. Mulier. p. 244, & Athenaeo Deipnos. lib. 14. p. 646, observatque Marshamus in Can. Chron. Seculo XVIII. p. 656. Indeque conjicere licet & huncce fortasse Mensem, aliosque Elidensium proprios etiam Phocensibus fuisse usurpatos; atque *Elaphium* hunc Elidensium, sicuti nomine, sic etiam situ in Anno parum ab Attico *Helaphebolione* fuisse diversum. Et sane *Elaphium* interpretari *Februarium* Romulus Amasaeus in Pausaniae loc. cit. visus est: sed enim verius *Martium* vertendum inde Sylburgius in Not. ibid. advertit,

quod

quod *Elaphio* Mensi Vernum *Aequinoctium* eo loci a Pausania conjungitur. *Elaphium* igitur Elidensium Mensem IX, a primo nempe *Solstitiali*, eumdemque cum Attico *Helaphebolione* fuisse censent Scaliger de Emend. temp. lib. 1. p. 41, & Dodwellus cit. differt. 4. sect. 12, queis utroque subscribere pollice haud ambigo.

XV. Duos adhaec alios Elidensibus adhibitos Menses ex Pindari Scholiaste in Olympia ode 3. detexisse se confidunt Duumviri hi Scaliger, ac Dodvvellus loc. cit. sect. 13, *Apollonium* nempe, atque *Parthenium*: Olympicos enim ludos ille quandoque post Menses 49, quandoque post 50. peragi, ideoque Mense interdum *Apollonio*, interdum *Parthenio* agitari perhibet. Atque *Parthenius* quidem ita denominatus videtur a *Minerva* cognomento Παρθένος ex auro, & ebore a Phidia olim ficta, tantaque amplitudine, ut Plinio lib. 34. cap. 8, & lib. 36. cap. 5. referente cubitos 29. impleverit: quam Elidensibus eximio habitam fuisse in honore tradit Pausanias in Eliacis prior., hoc est lib. 5. cap. 11. p. 403. sq. *Apollonius* vero nomen accepisse videtur ab *Apolloniis*, festis videlicet apud Sicyonios praesertim *Apollini* solemniter agitari solitis, de quibus Pausanias in Corinthiacis, sive lib. 2. cap. 7. p. 128. Inde itaque Scaliger, atque Dodvvellus opinionem animo induerunt, ut duos Elidensibus diversos usu Menses venisse putarent, Popularem, ac *Solarem*, Prytanicum, & *Lunarem*, atque ita quidem, ut *Olympicos* ludos in eumdem semper Popularem, ac *Solarem* incidisse Mensem existiment, non ita semper in eumdem *Lunarem*, ac Prytanicum, sed modo in unum, modo in alterum, quandoque idest in *Apollonium*, quandoque in *Parthenium* incurrisse. Juxta *Octaeteridem* itaque ab utroque ingeniose excogitatam, quam Elidensibus usurpatam fuisse opinantur, in Octennio tres *Embolimaei* Menses erant 3. 5. 8, reliqui quinque *Communes*. Siquidem vero primus *Octaeteridis* annus *Olympicus* fuisse supponitur, inde fit juxta ipsos, ut in prima *Tetraeteride*, sive prima *Octaeteridis* parte, Mensis unus fuerit *Embolimaeus*, tertius nempe, ideoque peractis Mensibus 49, ac Mense quidem *Apollonio*, juxta Pindari Scholiastem, *Olympicos* instaurari

rari Ludos oportuit. In altera vero *Tetraeteride*, quae complendae *Octaeteridi* proxime sequi debebat, duo siquidem *Embolimaei* Menses inesse deberent, quintus idest, & octavus, proinde nonnisi post Menses 50, ac Mense *Parthenio* utique, *Olympici* peragi ludi poterant. Indeque conficiunt juxta Pindari Scholiastem *Civilis* Elidensis Anni Mensem postremum, sive duodecimum fuisse *Apollonium*, post ipsum vero *Embolimaeum* fuisse *Parthenium*: cujusmodi apud Romanos olim *Embolimaeus* erat *Merkedonius*, Februarius vero anni postremus, sicut apud Hebraeos *Adar* postremus, *Embolimaeus* vero *Veadar* erat, aliique ita apud alios, ut alibi dicere me memini.

XVI. Verum Petavius Doct. temp. lib. 1. cap. 12. sqq., & lib. 9. cap. 40. sqq., distinctione hacce *Lunarium*, atque *Solarium* Mensium, veluti de industria excogitata, prorsus explosa, qua de abunde super. Art. dictum est, *Olympicos* Ludos primo cum *Atticae*, tum *Eliacae* Periodi Mense, *Hecatombaeone* nempe, celebrari consuevisse pugnat, ejusque Mensis initium haud semper utique post Aestivum *Solstitium* incidisse, uti Scaligero visum est, sed a *Neomenia* illa repeti consuevisse, quae eidem *Solstitio* vicinior esset, sive *Solstitium* ea praecederet, sive proxime sequeretur, uti fusius expositum superius est. Quod ipsum probatum est Erasmo Scmidio Prolegom. in Pindari Olympionicas p. 7. Petavio utroque adhaerens vestigio Corsinius Agonist. dissert. 1. §. 5. p. 6. sqq. Dodvvelli hypothesim ea ratione explodendam adsumpsit, quod juxta ipsam *Olympici* ludi haud in primum *Civilis* Elidensis Anni Mensem, sed in postremum, aliquandoque in *Embolimaeum* incidissent, ideoque *Civilis* Anni Elidensis cardo, non ab *Olimpicis* ipsis ludis, neque a *Novilunio* ludis ipsis proximiori, sed a *Novilunio* post ipsos Ludos proximo, ideoque *Olympicus* ipse Annus a *Civilis* Anni fine deductus fuisset: quod ipsi valdequam absonum videtur. Indeque suspicatur Menses *Apollonium*, ac *Parthenium* Scholiasti Pindari memoratos, non ad Elidenses utique pertinuisse, sed ad Populum, ad quem Scholiastes ille pertinebat, ubi *Embolimaeus* Mensis in extremum Anni *Civilis* locum conjici consue-

ſueverit; ideoque *Embolimaeus* Menſis in anno Communi *Apollonius*, in Biſſextili *Parthenius* fuerit: ita tamen, ut *Olympicus* ille Menſis ſemper *Hecatombaeoni* reſponderet; ideoque primus *Civilis* Anni Menſis reſponderet *Metagitnioni*, & Anni *Civilis* initium ab exortu *Caniculae*, velut a cardine, inciperet. Cilicibus autem, & Ceis Annum Civilem ab ortu *Caniculae*, Attici *Metagitnionis* initio reſpondente, auſpicandi in more poſitum; ideoque *Apollonium*, & *Parthenium* ipſis uſurpatum fuiſſe inde Vir doctiſs. arguit, quod Manilio lib. 1, & Cicerone de Divin. teſtibus, Cilicibus, ac Ceis ortus *Caniculae* ſcrupuloſe obſervari ſoleret; quodque Strabone lib. 10, ac Pindaro in Iſthmia ode 1. v. 8. referentibus, Ceis, ac Cilicibus *Pallas*, & *Apollo* eximie coli ſolerent; idque indicio eſſe ſane illis tum Anni *Civilis* initium ab exortu *Caniculae* deduci conſueviſſe, tum uſu *Apollonium*, ac *Parthenium* veniſſe. Nec obſtare ait Noriſii de Epochis Syro-Macedonum diſſert. 4. cap. 1. conjecturam, qua Cilicibus Menſes Syro-Macedonum uſurpatos fuiſse conjicit inſigni ex Marmore Adanenſi in Cilicia Seculo V. Aerae Chriſtianae ſcalpto, a Grutero Theſ. Inſcrip. p. 86. n. 8, & p. 1052. n. 6, a Muratorio Inſcrip. p. 115, & 117, a Scaligero de Emend. temp. lib. 5. p. 516, & a Petavio Doct. temp. lib. 11. cap. 48. exhibito, ubi *Panemus* Menſis legitur. Namque fieri potuiſse opinatur, tum ut Adanenſibus utique Syro-Macedonum adhiberentur Menſes, aliis Cilicibus vero alii; tum ut Cilicibus ſequiori aetate quidem, ideſt Seculo V, Menſes Syro-Macedonum adhiberi ceperint, antea tamen diverſi fuerint uſurpati; tum demum, ut *Panemus* ille Cilicibus, non ſecus atque Corinthiis, veluti ſuperius adnotatum eſt, adhibitus, a Syro-Macedonico diverſus plane fuerit.

XVII. Sed enim Scaligeri, atque Dodvvelli hypotheſim, quam ultro citroque amplecti ſiqui malint, omnino per me licebit, ea haud contemnenda ſane adjuvat valde ratio, quod ſicut Athenienſibus olim, ipſo fatente Corſinio, non idem Anni *Civilis*, atque *Olympici* exordium ſemper extitiſſe, nec eumdem ſemper in Anno Menſem familiam duxiſse ſuo obſervatum ſuperiori Art. eſt loco, ita etiam fieri potuit,

ut

ut Elidensibus non idem sem per usu *Popularis*, atque *Olympici* initium venerit Anni, ideoque nihil omnino prohibeat, quominus ipsis *Apollonius*, atque *Parthenius* usurpati fuerint Menses. Post haec jam vero, si liberius ingenio, atque conjecturis indulgere fas sit, Menses Elidensibus alios adscribere pronum erit. Atque *Hermaeum* quidem, ab *Hermete* ita dictum, quem Eleis, & Aetolis, Populis olim indistinctis, velut ex Homero Iliad. β.' p. 303. indicat Eustathius in Scholiis, videndusque Holstenius in Not. ad Stephanum Byzant. de Urb. p. 129, tam festis *Hermaeis* valde solemnibus, quam nobili fano, Araque dedicata eximie cultum fuisse auctor est locuples Pausanias in Eliacis prior., hoc est lib. 5. cap. 15. p. 416; non secus atque Cyllenensibus, Populis idest in Elide censitis, ab Urbeque Elea stadiis 120. dumtaxat dissitis idem testatur Pausanias in Eliacis poster., idest lib. 6. cap. 26. p. 518. sq.; Pheneatibus etiam, neque procul ab Elide positis, apud quos eidem *Hermeti* ludos fieri *Hermaeos* consuevisse idem Pausanias fide adfirmat sua in Arcadicis, sive lib. 8. cap. 14. p. 629; Arcadibus, Pellenensibus, & Achaeis itidem, queis omnibus magno *Hermes* habitus in honoris loco, ab iisque *Hermaea* celebrari solemnia consuevisse ex eodem Pausania discimus eodem lib. 8. cap. 17. p. 633. sq. Adhaec Elidensibus siquidem *Dionysia* quoque in *Bacchi* honorem magna peragi solemnitate solerent, quibus de adeundus Johannes Laurenbergius in Graecia Antiqua Antiq. Graec. T. IV. edit. Ven. p. 20. sq., inde veri fit valdequam simile eisdem pariter Elidensibus *Dionysium* etiam Mensem peculiarem fuisse. Fuisse perinde usurpatum *Heraeum* argumento illud accedit, quod *Heraea*, profecto *Junoni* dicata festa Eleis magna frequentata religione fuisse memoriae pariter tradidit Pausanias saepe laudatus in Eliacis prior., idest lib. 5. cap. 16. p. 417. Quae tamen hisce de tergeminis dicta Mensibus divinando potius, quam adfirmando demum accipi debere volumus.

XVIII. Atqui Aeginetis, Argivis, Aegialensibus, Arcadibus, Aetolis &c. eadem *Heraea* festa magnam superstitionis partem fecisse testes siquidem locupletes se praebeant Pindarus in Olympia ode 9. v. 146, ejusque Scholiastes ode 7, &

9, ac Pythia ode 8, Palephatus de Incredibil. inter Mytholog. Graec., Aristophanis Scholiastes in Nubibus, Hesychius in Glossis, Theon in Aratum, Aeneas Tactius Poliorcetici cap. 17, Athenaeus Depnos. lib. 4, & 14, videndique Wolfangus Lazius Graeciae Antiq. lib. 2. cap. 4, & Joh. Meursius Graeciae feriatae lib. 3, Antiq. Graec. T. VI. p. 3641, & T. VII. p. 779. sqq., eisdem proinde Gentibus *Heraeum* quoque Mensem in Anni *Civilis* ordine computatum fuisse suspicari fas est. Sed & computatus *Hermaeus* fuisse putandus est, ab *Hermete* nempe denominatus, cui tanquam *Deo Viali* in compitis, triviis, & ante fores aedium Statuas erectas fuisse, atque *Hermaea* Achaeis, Pelasgis, Arcadibus, Eleis, Argivis &c. celebratissima extitisse multis Artic. super., ubi de Cretensium Mensibus, demonstratum est. Argivis quin etiam ab *Heraeorum* Ministerio, sive ab horum, qui Sacris praeerant, Sacerdotii, quo defungi plane *Junonis* Argivae nomine Foeminae solebant, initio Annum computari consuevisse auctores sunt liquidi Thucydides lib. 2. sub initio, ejusque Scholiastes ibid. Singularem vero Cois adhibitum Mensem, *Agrianum* nomine, fuisse, memorat Soranus in vita Hippocratis, quem in Coo *Abriada* regnante natum tradit; quo fit, ut apud Coos perinde *Civilis* Anni cardo cum Archontis *Eponymi* Magistratu inire, ejusque nomine designari consueverit. *Agrianum* vero Mensem Argivis etiam usurpatum fuisse inde conjicere item licet, quod Hesychio teste in Lex. *Agriania* festiva quammaxime Argivis essent, atque Thebanis. *Agrianus* porro nomen induisse videri potest vel a *Baccho Agrionio*, cui dicatum *Agrioniorum* festum, quo nempe ceu fugitivus is a Mulieribus insane quaerebatur, refert Plutarchus Sympos. lib. 8. q. 1, & in Quaest. Graec., ac Roman.; vel forte denominatus est ab *Agrianiis*, quae festiva Thebanis, & Argivis fuisse in honorem unius e *Proeti* filiabus agitari solita liquidus auctor est Hesychius in Glossis. Aeginetis *Delphinium* adhibitum fuisse Mensem dubitare non sinit Pindari Scholiastes in Nemea ode 5. v. 81; quem vel ab *Apolline Delphinio*, vel a *Delphinia Diana*, vel ab utroque, (utrique namque ab *Aegeo* Pandionis filio, Thesei patre, nobile Athenis Templum exstructum fuisse auctor est

Pol-

Pollux Onom. lib.8. segm.119. T. II. p.492.), denominatum perhibent Aristophanis Scholiastes in Nubibus, Pausanias in Atticis, sive lib.1. cap.19. p.44, Auctor Etymologici in Περὶ Δελφινία, Plutarchus in Theseo, Laertius in vita Thaletis lib.1, & Pindari Scholiastes loc. cit. Qui postremus siquidem referat hoc Mense cum *Hydrophoria*, Certamina nempe in *Apollinis* honorem, tum *Nemea*, Agones nempe funebres, Argis quammaxime celebrari consuevisse, *Delphinius* proinde aut cum *Metagitnione* Attico, veluti Dodvvello placuit dissert.7. sect.11, aut verius cum *Hecatombaeone*, quo celebrari *Nemea* solebant, committi debet, uti Corsinio videtur dissertat. Agonist.3. §.16. p.77, ac cit. dissert.14. §.3. p.393.

XIX. Quandoquidem vero Argivorum Coloniam Aeginetas fuisse tradit Pausanias in Corinth., sive lib.2. cap.29. p.178, inde fas est inferre tam Argivis communem eumdem *Delphinium* Mensem fuisse; tum *Agrianum* vicissim Aeginetis fuisse usurpatum; tum *Hermaeum* utrisque, quem Argivis certe adhibitum, in Anni serie quartum occupasse locum, eodemque Mense *Hybristica* ab Argivis celebrari consuevisse refert Plutarchus de Virtut. Mulier. Atque *Hybristica* porro festa apud Argivos in *Novilunio* Mensis *Hermaei* celebria valde erant, in honorem *Telesillae*, quae Mulieribus ad arma vocatis patriam Urbem fortiter olim contra Spartarum Regem *Cleomenem* defenderat, atque Sacra tum *Veneri*, sive *Lunae* fieri solebant, testibus Plutarcho loc. cit, Luciano in Amoribus, & Macrobio Saturn. lib.3.cap.8: quo de Festo plura Meursius persequitur Graeciae feriatae lib.6. Antiq. Graec. T.VII. p.860. sq. Jam vero, si veritate nititur Dodvvelli dissert.7.sect. 9. opinio, *Civilem* Argivorum Annum ab ineunte *Vere* incepisse autumantis, inde fiet sane, ut in Atticum *Hecatombaeonem* Argolicus *Hermaeus* inciderit. Ceterum alteram Dodwelli conjecturam de Macedonum Mensibus Argivis adhibitis inde prorsus concidere, viden ut demonstretur Viro doctiss. Corsinio cit. dissert.14. §.5. p.400. sq. Quod perinde judicium de Mycenis ferri debet Argivis finitimis, testibus Pomponio Mela lib.2. cap.3, Virgilio Aen.lib.6.v.838, Horatio lib.1.ode 7, Polybio lib.16. edit. Valesii p.73, Livio lib.34. cap.39, Strabone

bone lib.8.&c., de quibus fuse Cellarius Geog. Antiq. T.I.lib.2. cap.13. §.521. p.986. sq. Praeter *Delphinium* autem, *Diosthium* etiam, atque *Eleusinium* Menses ad Aeginetas spectasse insigni ex Marmore Oxon. arguit Corsinius: sed hacce de re opportunius infra.

XX. Lacedaemoniis Menses plerosque adhibitos, eorumdemque nomina ex Thucydide, ac Hesychio decerpsit, nobisque descripsit Johannes Meursius in Miscellan. Lacon. lib.3. cap.8. Antiq. Graec. T.V. edit. Ven. p.2433. Inter quos *Gerastius* Thucydidi lib.4. cap.118. sq. memoratus habetur, quem vel a *Gerastiis*, Templo nempe, Festoque *Neptuni* honori a Geraestiis in Euboea Populis dedicatis nomen tulisse produnt Scholiastes Pindari Olympia ode 13, Strabo lib.10. sub init., atque Stephanus de Urb. V. Γεραιςος edit. Holstenii p.83; vel a *Geraesto* Jovis filio denominatum fuisse auctor est Stephanus loc. cit.; indeque *Gerastium* Hyemalem Laconicis extitisse Mensem infert Dodvvellus de Cyclis dissert.8. sect.16. *Artemisius* in Anno item apud Laconicos Civili locum occupasse refertur Thucydidi lib.5. cap.19, adeoque ut desinentis *Artemisii* dies 4. cum *Helaphebolionis* Attici similiter Φθίνοντος desinentis die 6. comparatus ab eo sit, quo pactum Athenienses inter, atque Spartanos foedus refertur; indeque Dodvvellus infert eumdem Attico *Munychioni* etiam respondisse; adcundusque Corsinius Fast. Attic. T.I. dissert. 3. §.9. p.124. sq. *Hecatombaeus* item Lacedaemoniis usurpatus inde videtur, quod eodem decurrente Mense *Hyacinthia* apud Lacedaemonios agitari celebratissima consuevisse memoriae prodidit Hesychius: quae tribus omnino diebus peragere religioso, solemnique positum Lacedaemoniis in more fuisse testis accedit liquidus Athenaeus lib.4. cap.7. Addit Meursius eodem quoque Mense *Hecatombaea* Straboni lib.8. memorata celebrari fortasse consuevisse, indeque Mensi nomen inditum fuisse: quem idcirco Dodvvellus cit. dissert.8. sect.17. decimo constituendum loco, & cum Attico *Hecatombaeone* conjungendum arbitratus est. Verum auctor est Xenophon lib.4. cap.5. *Isthmia*, funebres Agones nempe, in *Neptuni* honorem in Corinthi Isthmo, unde ludis illis nomen adhaesit, paucos ante dies peragi con-

consuevisse, quam *Hyacinthia* celebrari solerent. Quae *Hyacinthia* plane tam in *Hyacinthi* Oebali filii, *Apollini* adamati, Hygino Fabul. 271. teste, interfecti, quam in *Apollinis* honorem Sacra apud Lacones festa quammaxime fuisse, in quibus hedera coronati cum *Hyacintho* paeanem canebant, tum deinde *Apollini* sacrificia faciebant homines, referunt Thucydides lib. 5, Pausanias in Laconicis, idest lib. 3. capp. 10, & 19. p. 228, & 257. sq., Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 18, ac S. Hieronymus advers. Jovinian. lib. 1. Atque eo quoque apud Lacones tempore eadem *Hyacinthia* solemnia haberi consuevisse, quo apud Athenienses *Jovialia*, queis de Nicephorus Gregoras Hist. Rom. lib. 8, & apud Corinthios *Isthmia*, Xenophonti testes accedunt Philostratus in Polluce Sophista lib. 2, Herodotus lib. 9, ex Polychrate in Laconicis Athenaeus lib. 4. apud Meursium in Miscell. Lacon. lib. 2. cap. 14, & Graec. fer. lib. 6. Antiq. Graec. T. V. p. 2393, ac T. VII. p. 857. sqq. Itaque quum *Isthmia*, non *Hecatombaeone* utique Mense, velut Hesychius indicare videtur, sed exeunte *Munychione*, vel affecto *Thargelione* Attico solemnia haberi solerent; *Hyacinthia* proinde festa *Thargelionis* Attici spatio decurrisse oportet; adeoque cum Attico *Thargelione* conferendus Laconum *Hecatombaeus*, & octavo constituendus in Anno loco videtur; non autem decimo, neque cum *Helaphebolione* Attico, sive Aprili Romano comparandus, uti Julio Pontederae Antiq. Latin., & Graec. epist. 27. p. 270. visum est, cujusce de opinione in Laconico digerendo Anno rursus infra.

XXI. Mensis alter Laconicis acceptus, si Stephano Byzant. de Urb. V. Φλιοῦς edit. Holstenii p. 347. adhibenda fides est, *Phliasius* memoratur: quo sane Mense fruges in agris maturescere ille scribit; atque dictus videtur vel a *Phlio Dionysio*, quod vinum cor laetificet, vel a *Phliasio* ejusdem *Dionysii*, & *Ariadnae* Minois filiae filio, quo de Pausanias in Corinth., idest lib. 2. cap. 12. sq. p. 138. sqq., & Hyginus Fabul. 14, a quo inter Argonautas is computatus legitur, videndusque Gyraldus Hist. Deor. syntagm. 8. p. 283. Indeque *Phliasium* in Anno Laconico octavum occupasse locum, & cum Attico *Thargelione* concurrisse Dodvvellus arguit; *Scirrophorioni*

rioni vero respondisse, atque *Junio* Romano, quo sane Messes adultae esse solent, verius autumat Corsinius loc. cit.; minus vere autem is a Pontedera cit. Epist.27. p.268. sq. quarto in Anno Lacedaemonico repositus est loco, cum Novembri comparatus. *Carnius* adhaec Lacedaemoniis evidentissimo tributus legitur testimonio cum Euripidis in Alceftide, atque Thucydidis lib.1, & 5. cap.54; tum eo tribuendus etiam nomine suadetur, quod Spartae *Carnia* sacra, festaque quammaxime fuerint. Sacra isthaec enim Spartae instituta fuisse Olympiadis 26. anno 1. scribit Athenaeus lib.14, Sozimi fide libro de Temporibus, Anonymus in Descript. Olymp. ad annum 1. Olymp.26, & post ipsos Sigonius de Athen. tempor. Antiq. Graec. T.V. p.1637. Eisdem Lacedaemoniis *Carneum* Mensem adeo Sacrum observari consuevisse, ut Militia omnino abstinerent, notatum est Thucydidis Scholiasti loco cit. *Carnium* vero a *Carnio* Jovis, & Europae filio, *Apollini* valde adamato, unde & *Apollo* eodem ipse denominatus fuerit nomine, dictum fuisse adnotarunt Praxillas apud Theocriti Scholiastem ad Idyll.5. v.83, & Hesychius in Glossis. Hinc *Apollini* dies *Carnejorum* fuisse consecratos, atque religiose observatos Lacedaemoniis, Therensibus, Cyrenaeis, Doriensibus, ac Salaminiis, (quò arguere fas est *Carnium* etiam Mensem apud Therenses, Cyrenaeos, Dorienses, ac Salaminios adhiberi consuevisse), memoriae mandarunt Herodotus lib.7,& 8, Thucydides loc. cit., Pausanias in Lacon., idest lib.3. cap.13. p.238. sq., Euripides loc. cit., Callimachus in Hymno Apollinis v.65, & 72, Eustathius ad Iliadi Ω', Thucydidis Scholiastes lib.5, Plutarchus Sympos. lib.8. q.1, Athenaeus lib.4. cap.9, Suidas &c., dies illos festiva religione cultos novem fuisse memorans Athenaeus, & apud ipsum Demetrius Scepsius; qua de re Dodvvellus in Annal. Thucydidis ad annum 1. Olymp. 90. Jam vero *Carnius* apud Syracusanos cum Attico *Metagitnione* comparatus legitur a Plutarcho in Nicia. Idem vicissim Plutarchus Sympos. lib.8. q.1. eodem *Carnia* apud Cyrenenses agitari tempore, quo Athenis *Thargelia*, consuevisse testis accedit. Spartanis e contra, & Salaminiis *Olympia*, & *Carnia* eodem omnino celebrata tempore memorat Herodotus lib.7,

& 8,

& 8, neque inficias ivit Plutarchus ipse de Herodoti malignit. Inde liquet itaque diversos apud Populos diverso eumdem *Carnium* tempore fuisse usurpatum, atque diversum in Anni Mensem incidisse: quò sane fit, ut inde haud rite Pontedera Antiq. Latin., & Graec.epist.27.p.267.sq. ab eodem, quo *Olympicus* apud Athenienses inibat, Anni cardine apud Lacedaemonios incepisse *Carnium*, istumque cum *Augusto* concurrisse inferat, qui postremum in Laconico potius Anno locum obtinuisse videtur. Conferendi Petrus Castellanus de Graec. festis, ac Joh. Meursius Graeciae fer. lib.4. Antiq.Graec. T.VII. p.676. sqq., & p.808. sq.

XXII. In eximio porro Marmore apud Gruterum, Prideaum Marm. Oxon. p.27, ac Maffejum, quod ad Lacedaemonios ideo spectasse putant, quod ibidem *Ephori* nominati legantur, quos *Ephoros* Spartae dumtaxat obtinuisse persuasum habent, tres alii comparent Menses *Delphinius*, *Diosthius*, ac *Eleusinius*, quos proinde Lacedaemoniis adhibitos fuisse Triumviri hi non dubitant. Verum Corsinius differt. 14. §.20. p.354. sq. *Ephoros* Gentes etiam apud alias Magistratum tenuisse, obtinuisseque nomen scite observat. Ita apud Cyrenenses, teste Heraclide de Graec. Politiis; ita apud Heracleenses in Italia, uti legitur in Aenea Lamina apud Ficoronium; ita apud Messenios, referente Polybio lib. 4. p. 273, & 299, ubi videndus Palmerius Exercit. p. 80; missaque facio cetera levioris momenti videnda apud ipsum Corsinium loc. cit., qui Marmor ad Aeginetas ideo spectasse censet, quod *Delphinium* Mensem Aeginetis usurpatum fuisse constet ex Pindari Scholiaste in Nemea ode 5, quo de paullo superius est dictum; quo proinde fiet, ut ad Aeginetas pariter ipsos cum *Diostius*, tum *Eleusinius* pertinere debuerint. Quoniam vero Cretensibus vicissim *Eleusinius* usu Mensis venerat, inde augurandi Scaliger occasionem induit *Diosthium* quoque, atque *Delphinium* apud Cretenses usurpari consuevisse. Verum praeterquam quod super. Articulo VII. §.2. sqq. p.295. sqq. longe certioribus ex Monumentis certam Mensium apud Cretenses seriem, certaque nomina deducere nobis licuit, inde levis admodum ista concidit conjectura, quod apud Cretenses Magistratum agentes,

tes, non *Ephori* quidem audiebant, sed *Cosmi*, ac sequiori aetate *Protocosmi* inscribi solebant, veluti refert Aristoteles Polit. lib.2. cap.7, & habentur in Marmor. Oxon. n.57.p.116, apud Gruterum Thes. Inscrip. p.1084, & 1094, & apud Chishullum Antiq. Asiat. p.123: quos sane *Cosmos*, atque *Protocosmos* acurate distinguendos fore tam a *Comastis*, ac *Hierocomastis*, quos Saltationibus, & Cantibus *Herculi* sacris praefuisse ex Polluce lib. 4. segm. 14, & Hesychio arguit, quam a *Cosmetis*, atque *Protocosmetis*, quos Epheborum in Gymnasiis curae, eorumque Εὐταξίῃ Disciplinae, ac modestiae praesedisse ostendunt Gruterus Inscrip. 6. p. 79, & 1. sqq. p. 317, Sponius Itin. T. III. Par. II. p.181, atque Meursius Athen. Attic. lib. 2. cap.5, rite admonet Gisbertus Cuperus Epist. Crit., Litter. &c. epist. 3, & 9. ad Vandalaeum p.504. sq., & p.548. Neque magis feliciter ex Josepho Antiq. Jud. lib. 14. cap. 10, ubi Psephisma, sive Decretum a Pergamenis in Judaeorum gratiam editum Mense *Daesio* memorat, alterum Lacedaemoniis adhibitum Mensem, *Daesium* nempe, se detexisse Hudsonus opinatur, Decretum illud, non a Pergamenis, sed a Lacedaemoniis editum fuisse pugnans. Nam ut illud praeteream, quod Macedonum Menses Josepho adhiberi solebant, Decretum siquidem illud editum *Prytane Cratippo* legatur, apud Lacedaemonios autem non *Prytanes* utique, sed *Ephori* Magistratum, cujusce de nomine Annum obsignari consuevisse, non secus atque Athenienfibus de nomine *Eponymi*, ejus nempe, qui novem ex Archontibus praesideret, Annum distinguere positum erat in more, refert Pausanias in Lacon., idest lib.3. cap.11. p. 231. sq., obtinerent, manifeste inde patet Decretum illud Lacedaemoniis, ideoque *Daesium* Mensem adscribi non posse. *Dromejus* potius, a *Dromaeo Apolline* ita denominatus, Lacedaemoniis tribui posse videtur idcirco, quod *Apollini Dromaeo* Sacra, festaque tum Cretenses, cum Lacedaemonios solemnia facere consuevisse auctor est Plutarchus Sympos. lib.6. q. 4. *Dioscorus* itidem probabili admodum conjectura Lacedaemoniis adhibitus Mensis inde facile videri potest, quod apud Lacedaemonios *Dioscororum* cultum, religionemque viguisse quammaxime discimus ex Po-

liae-

liaeno in Aristomenis Stratagemate 3. lib. 11. apud Meursium in Miscell. Lacon. lib. 2. cap. 14. Antiq. Graec. T. V. p. 2393; qua de re repetenda, si placet, quae cum de *Dioscoro* Mense, tum de *Dioscororum* cultu diversos apud Populos abunde nobis Art. super. adnotata sunt.

XXIII. Boeotos, sive Thebanos quod nunc attinet, antiquioribus certe temporibus, ipsaque Hesiodi sub aetate *Civilem* eorumdem Annum a Matutino *Vergiliarum* exortu, sive *Plejadum*, hoc est a *Vere*, sive Attico *Thargelione* incepisse Scaligero omnium primo de Emend. temp. lib. 1. p. 54. sq., conjectura ipso ex Hesiodo Oper. lib. 2. sub initio ducta, persuasum fuit. Quamvis Petavio Doct. temp. lib. 1. cap. 34. ab Hesiodo Anni potius *Rustici*, Popularisque, quam *Sacri*, Civilisque principium indicatum fuisse, dicere magis placuit. Nempe Petavio perpetuò a Scaligero ingesta Anni in *Popularem*, vulgaremque, atque *Sacrum*, Arcanumque distinctio, quae toties ipsi displicuit, nunc denique probata quammaxime, amplexataque est. Ast enim longe antehac, primaque ab imperii aetate Boeotios Annum a *Caniculae* ortu fuisse auspicatos inde arguit Julius Pontedera Antiq. Latin., & Graec. epist. 20. p. 210. sqq., quod non alium, quam qui Aegyptiis frequentatus erat, Annum scilicet a *Caniculae* exortu auspicandi, morem accepisse a *Cadmo* Boeoti aestimari debeant, qualis idest a *Cadmo* ab Aegypto, sive e Phoenice, quò ab Aegypto translata sane fuerat, ea Boeotiam inducta est Anni ratio. Postea tamen *Civilem* Boeotorum Annum a *Novilunio* post Hyemale *Solstitium* proximo incepisse, atque ideo ab Attico *Thargelione* Boeotici Anni exordium ad *Gamelionem* Atticum fuisse delapsum liquido Plutarchi in Pelopida testimonio demonstrandum adsumpsere Scaliger p. 55, Petavius loc. cit., Dodwellus de Cyclis disser. 5. sect. 4. sq. &c., & Corsinius in Fastis Attic. T. II. dissert. 14. §. 8. p. 410. sq. Quandoquidem vero ad *Lunae* motus Boeotorum Menses supputari antea solerent, factum est inde, ut Menses illi neque Atticis, neque Macedonicis, neque Romanis accurate responderent. Hinc Plutarcho in Aristide Boeotici Mensis *Panemi* dies 27. cum Attici *Boedromionis* die 4. conlatus legitur; contra eidem in Ca-

millo dies 5. Attici *Hecatombaeonis* amussim cum *Hippodromii* Boeotici die 5. compositus habetur. Quae denique Boeoticorum Mensium perturbatio Metonicae *Enneadecaeteridis* postea institutae, ac ubique receptae ope, sublata penitus est, atque Boeotico in Anno Mensium ordo, seriesque perpetuo fixa, qua de re Dodvvellus cit. dissert. 5. sect. 14.

XXIV. Inter Boeotorum jam vero Menses, qui primus ordine in Anni serie occurrit, *Bucatius* audit, Plutarcho in Pelopida, & Proclo Comment. in Hesiodum memoratus. Huncce vero Hesiodi aetate *Lenaeonem* fuisse nuncupatum indicat Hesychius in Lexico V. Ληναίων, consentiuntque Scaliger de Emend. temp. lib. 1. p. 55, atque Dodvvellus de Cyclis dissert. 5. sect. 17, eumdem ideo Mensem cum Attico *Gamelione* componentes, quocum plane compositus etiam *Lenaeon* Aristidi Orat. 1. Sacra legitur. Quamvis Lexicographo Graeco apud Henricum Stephanum Thes. T. IV. p. 225. *Lenaeon* ab Attico *Posideone* indistinctus conspicitur; atque vicissim Ephesiis *Lenaeonis* nomine Atticus venit *Anthesterion*, veluti liquet ex Psephismate in Judaeorum gratiam Ephesi edito apud Josephum Antiq. Jud. lib. 14. cap. 10; non secus atque Magnetibus, Jonibusque, velut adparet ex Marmore Oxoniensi apud Pridaeum p. 35, de quo dictum Artic. VIII. §. VIII. sq. p. 323. sqq.; qui proinde Mensis cum Boeotico *Hermaeo* componi deberet. Igitur *Hermaeus* secundum in Civili Thebanorum Anno locum occupat, Proclo, & Hesychio testibus, ab *Hermaeis* forte denominatus, festis nempe *Hermeti*, sive *Mercurio* sacris, cui apud Thebanos Marmoreum positum in ipso ad portam aditu fuisse signum, e quo *Mercurius* dictus *Pronaus* Προναὸς, idest *Vestibularis* sit, dictus etiam Thebanis Κριόφορος *Criophorus*, idest *Arietem ferens*, atque Πρόμαχος *Promachus*, idest *Antesignanus*, sive in prima Acie propugnator; ejusdemque *Mercurii* Sacrificuli inde etiam dicti *Hermae* leguntur apud Pausaniam in Boeoticis, idest lib. 9. capp. 10, 22, & 39. edit. Lips. p. 730, 752, & 790. Sed enim *Hermaeus* fortassis ab *Harma* Ἅρμα, idest *Curru* nomen obtinuisse videri potest, cum quo Terrae hiatu absorptus, (namque absorberi hiatu terrae, qui *Jovis Trophonii* Oraculum in Lebadia Boeotiae Urbe consuluis-

fuluissent, consuevisse tradunt Strabo lib. 9. p. 291, & Pausanias in Atticis, sive lib. 1. cap. 34. p. 83, ac in Boeoticis, idest lib. 9. cap. 39. p. 789. sq.), absorptus, inquam, haud longe a Thebis *Amphiaraus* celebris apud Thebanos Vates fertur, eique nobile fabricatum eo in loco fanum refertur Straboni lib. 9. p. 278, ac Pausaniae cit. lib. 9. cap. 8. p. 727, & lib. 2. cap. 23. p. 163. Eodem adhaec *Hermaeo* decurrente Mense celebrari erant *Lenaea*, festa tempe *Baccho* sacra, e Τῶ Ληνῶ *Torculari*, e quo *Bacchus* ideo Ἐπιλήνιος *Torcularium Praeses* Orpheo in Hymno nuncupatus legitur, derivato nomine, dicta aliis *Dionysia*, atque Minora quidem, sive *Ruralia*, Aristophanis Scholiaste adnotante, namque *Dionysia* Majora, sive *Urbana*, Vere agitari solebant, sive *Helaphebolione* Mense, teste Hesychio; quibus in *Lenaeis* nempe certasse Poëtas tradunt Aristophanes in Equitibus, ejusque Scholiastes ibid., Laertius in Platone lib. 3, & Clemens Alex. in Protrep. Eadem vero etsi agitata indicentur *Posideone* a Theophrasto in descriptione hominis garruli, Aristophani in Acharnensibus v. 202, Hesychio &c.; vel *Gamelione* ab aliis; verius attamen celebrari eadem consuevisse *Sole Capricornum* ingrediente scribit Proclus in Comm. ad Hesiodum, Autumno exeunte, ineunteque Hyeme tradit Aristophanis Scholiastes in Acharn. v. cit., hoc est *Anthesterione*, sive Romano Novembri, velut habent Kalendaria Graeco-Romana apud Gyraldum de Mens. T. II. p. 846, atque Dempsterum Antiq. Rom. lib. 4. cap. 4. edit. 1632. p. 346. *Lenaeonem* denique Mensem inde dictum fuisse, quod eo decurrente Vina importari, & *Bacchi* Praeliorum praesidis in honorem agitari eodem festa Mense solerent, quae & Ἀμβροσία dicta sunt, *Ambrosia*, testes accedunt liquidi Proclus ad Hesiodi Ἔργων β', Tzetzes ibid., Moscopulus, & Etymologici Auctor V. Ληναιών: qua de re adeundi, si libet, Dodwellus de Cyclis dissert. 5. sect. 19, ac Meursius Graeciae fer. lib. 1, & 5. Antiq. Graec. T. VII. p. 714, & 817. sq.

XXV. Indubitatus apud Thebanos, sive Boeotios Mensis alter, Scaligero, Petavio &c. sane incompertus, haberi *Prostaterius* utique debet, Plutarcho Sympos. lib. 3. q. 8, & 10. memoratus, sic a Προστάτης, quod est *Patronus*, sive *Prae-*

stes, aut a Προςάτης, quod est *Hospes* item, ac *Tutator*, derivato, ut opinor, nomine dictus, quasi *Patronalis*, sive *Hospitalis*, quod ejusdem nempe Mensis die 6. Sacra *Bono Genio* fieri, gustandis Vinis dedicata, solerent: quemadmodum *Anthesterionis* etiam die 11. primitiae quoque Vini delibari Athenis solebant, atque ideo dies illa undecima a *Doliis* aperiendis Πιθοιγία *Pithoegia* nuncupari consuebat, a Πίθος *Pithos* idest, quod est *Dolium*, atque Οἴγω *Oigo*, quod est *Aperio*, quatenus eo decurrente festo, ac die Aperire Dolia solemne esset, indeque Vina effundere superstitioni cederet. Vinum illud vero novum, quod Sacrificii caussa e Dolio emittebatur *Jovi* litandum, Κάλπαρ *Calpar*, a Κάλπη idest *Hydria*, uti videtur, ita denominatum, dicebatur; quod autem *Libero*, sive *Baccho* sacrificari solebat, *Sacrima* dictum notatur Festo, de quo Barnabas Brissonius de Formulis lib. 1. cap. 40. edit. Lips. 1754. p. 24. Sicut & in Frumentis, quod Sacrificii caussa praemeti consuebat, dici *Praemessum*; quod vero *Cereri* post Messem religionis gratia libari solebat, *Floriferum* adpellari consuevisse adnotatur Brissonio eodem libro cap. 92. p. 51. sq., quocum conferendus Josephus Laurentius in Variis Sacris Gentil. cap. 18. Antiq. Graec. T. VII. edit. Ven. p. 225. sq. Hinc itaque plerisque ea subnata opinio est, ut *Prostaterium* Thebanum Attico cum *Anthesterione* confundendum fore putarent. Ast enim Dodwello de Cyclis dissert. 5. sect. 20. diligenter illud adnotatum est, quod alio siquidem prorsus Athenis, alioque Thebis tempore Vina gustandi, atque libandi mos, atque ritus obtineret, inde sequi propterea censet, quod *Prostaterius* haud utique cum *Anthesterione*, sed potius cum *Helaphebolione* committi debuerit, utpote qui post Hyemem proxime sequi Plutarcho ipsi observatus fuerit. Atqui *Prostaterius* apud Boeotos Mensis nomen fortasse tulisse ab *Apolline* cognomento *Prostaterio* videri potest, cui nobile in Attica fanum Προςατηρίου adpellatum, quod Aedium foribus nempe praesse *Apollo* crederetur apud Sophoclem in Electra vers. 631. sqq., ejusque Scholiastem ibid., erectum fuisse refert Pausanias in Atticis, hoc est lib. 1. cap. 44. p. 106. qua etiam de re adeundus Julius Caesar Bulengerus de Oraculis, & Vati-

bus

bus cap. 48. Antiq. Graec. T. VII. p. 34; quò sequi proinde videtur, ut *Prostaterius* apud Boeotos in diversum ab *Anthesterione* apud Atticos Mensem incidere debuerit: quis hic vero fuerit, juxta cum ignorantissimis ignorare me fateor magis, quam temere definire certo absque documento velim.

XXVI. Boeotorum Menses quartus, quintus, sextus, nonus, atque duodecimus, qui Mensibus nempe Decembri, Januario, Februario, Majo, & Augusto nostris responderint; in obscuro hodiedum latebant, Scaligero, Petavio, Dodwello, Corsinio &c. hactenus incogniti. Donec Auctori Diatribae in Inscriptiones quasdam inter Miscellaneas Observationes Criticas Novas in Annum 1741. T. III. p. 152. sqq. in Epigrammate Graeco *Dianae Ilithiae*, (in Aegypti Urbe *Ilithyia* Templum illustre *Dianae* fuisse dedicatum ex Diodoro, Eusebio Praep. Evang. lib. 3. cap. 3, ac Stephano de Urb. docet Holstenius in Not. p. 108,) *Dianae*, inquam, in Lapide, *Diocle* Thebis Archonte, dicato apud Cyriacum p. 33, ac Muratorium Inscrip. n. 6. p. 591. *Μηνός Συνελίου Mensis Synelii* mentio detecta est, nobisque tradita. Atque hoc porro Mense *Synelio* Ομολογ@ Α'γών *Homolojus Agon*, in *Jovis* idest *Homoloi* honorem, velut ex Festo, Suida, Phavorino, Pausania in Boeoticis cap. 8, Theocriti Scholiaste Idyll. 7. v. 103, ac Scholiaste Euripidis in Phoenis. v. 1126, ex quibus *Jovem Homolojum* maximo Thebanis in honore fuisse constat, recte interpretatur doctiss. Auctor Diatribae p. 158. sq., *Homolojus*, inquam, *Agon* siquidem agitatus eo in Lapide, atque in gratiarum utique *Jovi* ob accepta beneficia actionem legatur, inde Augusto nostro Mensem *Synelium* respondisse, atque nonum in Anno Boeotico locum occupasse augurari fas est. Quo plane loci & illud Vir doctiss. observat ex hoc Epigrammate, in quo Μηνὸς Συνελίου (Ἡμέρα *dies*) Πεντεκαιδεκάτη dies 15. memorata legitur, elucere apud Boeotos, ac Thebanos Mensis dies triginta, more Atheniensium, in Decades τȣ Ἱσταμένȣ, sive τȣ Ἀρχομένȣ *Ineuntis*, τȣ Μεσȣ̃ντ@ *Medii*, ac τȣ Φθίνοντ@ *Desinentis* haud fuisse divisos, sed Latinorum instar, continua dierum serie, ordineque numerali dinumerari consuevisse.

XXVII. Ad-

XXVII. Adhaec in Inscriptione altera, qua *Engedone* Thebis Archonte, *Dianae Ilithiae* itidem dedicata Ancilla *Kallida* legitur, (celebratissima namque apud Athenienses, Deliacos, aliosque Graeciae Populos *Diana Ilithia* fuit, eidemque Templum Athenis fuit illustre, Pausania teste, qua de plura Gyraldus Hist. Deor. Syntag. 12; eidem quoque *Dianae*, ut ei nempe ministrarent, essentque ipsius in Delubro Ἱερόδουλοι, dedicari Homines nedum, sed & Foeminae solebant, ut opportuniori alio in loco planum abunde fiet), in Inscriptione altera, inquam, quae apud Cyriacum p. 33, apud Muratorium autem manca p. 35. n. 4, & p. 591. n. 4, integra vero, sed depravata p. 140. n. 4. extat, atque emendatam praelaudatus Auctor Diatribae in Inscriptiones quasdam p. 161. sq. exhibet, Mensis apud Boeotos alterius mentionem eidem Viro doctiss. reperire fas itidem fuit. Ea namque Inscriptio *Dianae Ilithiae* dedicata legitur Μηνὸς Θηλουθίου πεντεκαιδεκάτη *Mensis Thelutii die decimaquinta*: cujusce Mensis dies 15. iterum designata indicio est denuo Boeotis Mensis dies Latinorum more continenter fuisse computatos. Eodem porro Mense *Thelutio* decurrente Πολιος Ἀγών *Polius Agon*, in honorem idest *Apollinis Polii*, quem Thebis eximie cultum, eique festum diem actum fuisse confirmat Pausanias in Boeoticis cap. 12, velut idem Auctor observat cit. dissert. p. 162. sq., celebratus ea in Inscriptione legitur. Ast enim *Thelutius* denominatus a Θαλύσια videtur, festo nempe post comportatas fruges agitari solito, sive a Θάλλω, quod est *Vireo*, quatenus eo Mense omnia Θάλλουσι *Virentia* essent, nomen tulisse aestimari facile potest, quò fit proinde, ut Mensis iste Romano cum Majo comparandus sit, atque Boeotico in Anno sextum obtinuisse locum videatur.

XXVIII. Hanc adhaec Plutarcho Chaeronaeae in Boeotia nato debemus gratiam, quod alios nobis unus indubios praeterea apud Boeotos Menses servarit. Atque in hisce quidem *Hippodromius* eidem Plutarcho in Camillo memoratus legitur, quem ita cum Attico *Hecatombaeone* committit, ut ab uno prorsus, eodemque principio Mensis utriusque dies putatos esse demonstraverit, uti superius dictum est, osten-

dit-

ditque Dodvvellus de Cyclis dissert. 5. sect. 21. Unde porro *Hippodromii* derivatum fuerit nomen, in obscuro prorsus adeo latet, ut certo quid definiri nequeat. *Hippodromion* sane forum, in quo erudiri solerent Equi, memoratur Pausaniae in Eliacis post., sive lib. 6. capp. 20. sq., & 24. p. 504. sq., & 513. Hinc Ἱπποδρομία *Cursus Equestris* erat, atque Ἱπποδρόμιος ποσειδῶν *Neptunus Equestrium Certaminum praeses* adpellatus est, ab Ἵππος, idest *Equus*, ac Δρόμος *Cursus*: cui sane *Neptuno* eo Thebis nomine sacra celebrari, *Hippodromia* nempe, consuevisse nobis auctor est Pindarus in Isthmia, & Nemea. Atque hunc sane Mensem Attico cum *Hecatombaeone* confusum a Plutarcho legimus, quo nempe Mense *Leutrica* consignatur pugna, Olympiadis 102. anno 2, U.C. 383, Christi ante natalem 371. peracta Diodoro lib. 15, ac Eratosthene apud Clementem Alex. testibus, qua de Petavius Doct. temp. lib. 10. cap. 32: quò perinde fit, ut in Anno Boeotico *Hippodromius* septimum occupaverit locum, Junio nostro respondens. Boeotis adhibitum Mensem alterum *Panemum* ingerit Plutarchus in Camillo, ipsumque pone sequutus Gyraldus de Mens. p. 778, quem cum Attico *Metagitnione* conjungit; qui rursus in Aristide diem 4. *Panemi* Φθίνοντος *Desinentis* secundum Boeotos cum die 4. *Boedromionis* Ἱσταμένου *Instantis* secundum Athenienses confert. Inde patet vero Boeotium *Panemum* situ distinctum fuisse a *Panemo* Corinthio, qui juxta Plutarchi hypothesim, qua de super. Artic. IX. §. XIX. sq. p. 358. sqq. dictum est, Attico *Pyanepsioni* respondere debuit; ideoque Boeotico in Anno *Panemum* octavo positum fuisse loco, in Plutarchi vero hypothesi de Anno Attico, locum occupasse nonum. Quemadmodum *Hermaeus* apud Boeotos diversum in Anno Civili obtinebat locum, quam quem apud Argivos idem *Hermaeus* obtineret, ut qui posterior ordine quartus esset; Attico *Hecatombaeoni* aequatus, Anno a *Vere* Argivis incipiente; prior ille vero secundus Attico cum *Anthesterione* concurreret: qua de aequatione fuse Dodvvellus de Cyclis dissert. 5. sect. 22, & dissert. 7. sect. 9.

XXIX. Boeotis Mensis alter usurpatus *Alalcomenius* eidem Plutarcho in Aristide memoratus legitur, quem cum Atti-

Attico *Maemacterione*, quartum in Anno locum apud Athenienses occupante, duodecimum e contra in Plutarchi hypothesi de Anno Attico, ita comparat, non secus atque ipsius vestigiis inhaerens Gyraldus de Mens. Oper. T. II. p. 779, ut proinde rectius, quam Scaliger de Emend. temp. lib. 1. p. 55, & quam Petavius Doct. temp. lib. 1. cap. 34, a quibus *Alalcomenius* in undecimum Anni locum est rejectus, rectius, inquam, Dodvvellus cit. dissert. 5. sect. 23. *Alalcomenium* decimo in Boeotico Anno constituere loco non dubitavit. *Alalcomenium* porro nomen ab *Alalcomenia* ex filiabus *Ogygis* una habuisse suspicari fas est: cujus etiam de nomine Urbs haud ignobilis *Alalcomenia* in Boeotia condita fertur Plutarcho in Probl. Rom. cap. 153, Pausaniae in Boeoticis cap. 33. p. 777, Straboni lib. 9. p. 283, ac Stephano de Urb. edit Holst. p. 23. sq., qua de Cellarius Geog. Antiq. T. I. lib. 2. cap. 13. sect. 10. §. 315. p. 923. Fuere praeter hanc *Ogygi* filiae aliae geminae, *Thalxinea*, & *Aulis*, quas una cum *Alalcomenia* Sorore, quae *Minervae* fuisse Nutrix etiam traditur, *Praxidicas* fuisse nuncupatas auctor est Pausanias in Boeoticis cap. 33. p. 777, juncto Suida V. Πραξιδίκη, queis de Meursius affatim de Regib. Athen. lib. 1. cap. 5. Antiq. Graec. T. IV. p. 1028. sqq. Nisi fortasse dictus Mensis iste putetur ab *Alalcomede* homine indigena, a quo *Minerva* enutrita fertur, eidemque *Minervae*, inde dictae *Alalcomenae*, nobile dicatum legitur fanum apud Pausaniam loc. cit., & Stephanum de Urb. p. 23. sq.; quo de *Minervae* Templo, cognomine, ac Simulacro loquuti sunt etiam Homerus Iliad. Δ. v. 8, Eustathius ibid., Plutarchus in Quaest. Graec. p. 301, Etymologicographus &c. Denique unus adhuc *Damatrius* Boeotis adhibitus Mensis ex Plutarcho de Iside, & Osir. nobis innotuit; atque huncce plane cum *Athyr* Aegyptio, & cum Attico *Pyanepsione* confert, eumdemque sequutus Gyraldus de Mens. p. 780. Subdit vero Plutarchus *Damatrio* Mense *Solem* obversari in *Scorpii* signo, atque circa *Vergiliarum* exortum celebranda *Thesmophoria* imminere: quod indicio totum est liquido, uti Dodvvellus sect. 24. advertit, *Damatrium* in Julianum *Novembrem* incidisse: quod approbe Plutarchi congruit hypothesi, juxta quam,

quam, velut ex Mensium Atticorum Schemate ex Plutarcho ipso super. Art. IX. §. XIX. p. 358. sqq. proposito adparet, *Pyanepsion* Atticus ordine XI. cum *Novembri* Romano concurrit. Quò perinde fit, ut in Plutarchi hypothesi *Pyanepsion* in Anni Civilis Attici serie undecimus, atque *Maemacterione* prior, quartoque haberi loco debeat, quod contra Scaligerum haud rite contendisse Petavium supra vidimus; ideoque *Alalcomenius* in Boeotici Anni serie locum post *Damatrium*, non ante uti Scaligero, ipsique Petavio visum, locum idest decimum, non undecimum obtinuerit. Nomine denique a Δαμάτηρη, Dorice pro Δημήτηρη, *Cerere* nempe, inde dicta, quod segetes largiatur, ac semina, Phornuto interprete de Natura Deor. edit. Basil. 1549. p. 165, derivato, ita nuncupatus *Damatrius* aestimari potest, quod eo nempe decurrente *Cereri* sacra fieri solerent.

XXX. Incognitos Boeotorum Menses alios IV. V. XII, silente Plutarcho, Monumentisque deficientibus aliis, in lucem velle proferre, nihil est aliud profecto, quam certi periculum facere erroris. Nihilo tamen minus, si tentando, divinandoque experiri fas aliquando sit, dicam liberius, quid mihi inquirendo videri potuit similius. Thebis enim vero ab *Ogyge* Rege, ut jam innui, post Diluvium instauratis, ut habet Varro de Re Rust. lib. 3. cap. 1, post idest quam a *Cadmo* primum fuerant conditae, veluti traditum est a Nonno Dionys. lib. 5. v. 5. p. 142, & ab Apollodoro Bibl. lib. 3. cap. 4, uni ex Anni Mensibus una ex *Ogygis* filia, *Alalcomenia* videlicet, a Thebanis inditum fuisse nomen probabili admodum conjectura assequuti fuimus: quini fieri ergo potuit, ut ex duabus perinde *Ogygis* filiabus aliis duobus aliud Mensibus adhaeserit nomen, ex *Thalxinea* nempe, & *Aulide*, cujusce de posterioris etiam nomine *Aulis*, haud ignobilis in Boeotia Urbs, Chalcidi in Euboea opposita, quas inter geminas *Euripus* fretum magno interfluit periculo, exstructa traditur Diodoro lib. 13. cap. 47, Straboni lib. 9. p. 278, ac Plinio lib. 4. cap. 7.? Fortasse Boeotiis etiam usu, qui Cretensium proprius fuit, *Eleusinius* venisse Mensis aestimari potest: quem alii ab *Eleusine* quidem Mercurii, ac Dairae, *Oceani* filiae filio, a filio *Ogygis* Theba-

ni Regis alii verius dictum autumant; quemque Boeotis eximie cultum fuisse, ejusdem de nomine *Eleusine* in Boeotia Oppido condito, auctor est Pausanias in Atticis cap.38. p.93. ac in Boeoticis cap.24. p.756; unde Thebanis etiam usurpatum *Eleusinium* fuisse Mensem augurari fas est. Thebis iterum natalis siquidem illuxerit dies cum *Baccho*, tum *Herculi*, si vera nobis retulit Plinius lib.4. cap.7, de utriusque ideo Numinis Boeotis eximie culti nomine, in aeternae rei tantae memoriam, duplicem adpellare Mensem voluisse Thebani videri poterunt. Atque de *Heraclio* quidem abunde dictum est alibi; *Dionysius* vero Mensis, sive *Eleutherius*, seu *Alysius*, ita de *Bacchi* nomine dictus est, quem in honore apud Boeotos fuisse ignorat nemo. *Liberi* namque cognomen *Baccho* impositum fuisse, quod *Liberas* fecisset Boeotiae Civitates, tradit vetus Scholiastes Juvenalis ad Satyr.14. v.193; quumque Cordatos faciat *Libertas*, idcirco *Bacchus* & Cordis praeses factus est; indeque eidem Ἐλευθέρου *Eleutherii* cognomen adhaesit; hocce quoque suo de cognomine *Eleutheris* in Boeotia Urbs ab ipso condita est; eique hocce sub nomine dedicata Statua, & festivitas instituta, testibus Diodoro lib.4. cap.2, Horatio, Plutarcho in Probl., ac Suida V. Κωνοφόροι, adeundique Gyraldus Hist. Deor. syntagm.8. Oper. T.I. p.271. sqq., atque Dempsterus Antiq. Rom. lib. 2. cap. 11. p. 185. *Alysius* etiam, sive *Lysius* Thebanis inde *Bacchus* dictus legitur, atque hocce quammaxime nomine fano, & festo cultus est, sive quod animi curas Λύειν *Solvere* crederetur, uti Phornutus de Nat. Deor. in Baccho p.166, Plutarchus in Diocle, Dionysius Halic. lib.6, Orpheus in Λύσιυ hymno; Ovidius, aliique scriptum reliquere apud Gyraldum loc. cit.; sive quod Thebanos olim a Thracibus, (quibus tamen *Bacchus* dictus *Plestorus* videtur apud Herodotum lib.9. cap.118, ac Dionysium Periegetem v.575.), vinctos solverit, sopore Thracibus immisso, quo illi a Thebanis ingenti adfecti strage fuere, uti Pausanias in Boeoticis cap.16. p.742. tradit. Abs re igitur haud esse videtur, si Boeotis in *Liberi* patris honorem, utpote cui libertatem ingenti acceptam referunt beneficio, speciali ejus de nomine nuncupatus, *Dionysius* Mensis, sive *Eleutherius* usu

pri-

primaevo venisse pariter aestimetur. Boeotiam adhaec obtinuisse Thraces olim indubium evadit ex Strabone lib. 10. p. 324: fortassis itaque Thracibus usurpati *Bendidius*, nomine a *Diana* illis ita dicta accepto, quo de super. Art. VI. §. XI. p. 290. sq. dictum; ac *Sabazius*, velut indicant Suidas, ac Eustathius in Dionysii Perieg. cap. 142. ex Interp. Politi T. II. p. 517. sq., a *Baccho*, eisdem Thracibus *Sabazio* a tripudiis, & saltationibus nuncupato, nomine deducto, uti testes accedunt Harpocration in Lex., Diodorus lib. 5, Strabo lib. 10, Hesychius, Aristophanis Scholiastes ad Vespas p. 432, & ad Aves p. 483, Etymologus, aliique Gyraldo conglomerati Hist. Deor. syntagm. 8. p. 276. sq., conferendique Seldenus in Proleg. de Diis Syris cap. 3, & Holstenius in Not. ad Stephanum de Urb. p. 276. sq., ubi & *Jovem* hocce *Sabasii* nomine, a *Jehova* sane *Sebaoth* derivato, adpellatum observant. Quid adhaec, quod *Delphinium*, religioni veluti dedicatum, *Sacrum Portum* adpellatum fuisse Boeotis admonet Strabo lib. 9. p. 278.? *Eucliam* apud Thebanos magno *Dianam* in honore fuisse testis accedit locuples Pausanias in Boeoticis cap. 17. p. 743. Siquidem igitur Ethnicis suorum de Numinum nominibus Menses passim adpellare religioni, superstitionique cesserit, inde augurari fas erit *Euclium* quoque, atque *Delphinium* Boeotos inter Menses dedicari potuisse. Potuisse *Delium* perinde: *Delio* quippe *Apollini* in Boeotia cum Fanum insigne, tum Oppidum haud ignobile dedicatum fuisse perhibent Strabo lib. 9. p. 278, Pausanias in Boeot. cap. 20. p. 748, ac Livius lib. 35. cap. ult.; quin adeo superstitione erga *Apollinem* affectos Boeotos exarsisse, ut eumdem a *Tegyra* Boeotiae Urbe altera, in qua natus ferebatur, celebreque prostabat Oraculum, *Tegyraeum* perpetuo adpellare gestiverint, auctores se praestant Callisthenes Hellanic. lib. 3, Plutarchus in Pelopida, deque Oracul. defectu p. 412, atque Stephanus de Urb. p. 317; quo loci notat Holstenius *Semi Delii* nomen Numini huic adhaesisse, derivata nempe a celebriori *Apolline Delio* adpellatione: atque de Graecorum Mensibus, & Annis hactenus.

DE

MENSIBUS, ET ANNIS

Veterum Germanorum, Celtarum, Getarum, Britannorum, Gallorum, Hesperiorum, Iberorum &c.

ARTICULUS XI.

I. AD Occidentis modo convertimur plagas, in quibus innumeris, diversisque cum idiomate, tum ingenio, Barbaris olim inhabitantibus Gentibus, antequam Romani subire jugum cogerentur Imperii, excolique subinde moribus, atque disciplinis imbui humanis occeperint, Barbaris, inquam, Getis, Celtis, Gepidis, Cimbris &c., indeque subortis Insularum adjacentium Incolis Pictis, Britannis, Hibernis, in hisque Populis longe pluribus, de quibus ex Caesare, Ptolemaeo, Tacito post Camdenum multis agit Cellarius Geog. Antiq. T.I. lib.2. cap.4. p.328. sqq., Scandinavis, Finningis, aliisque Germanici Oceani Insularibus, quos tres supra viginti Romanorum armis cognitos Populos indicat Plinius lib.4. cap.13, in aliisque plagis qua ad Aquilonem, & Occasum positis, Illyriis, Dacis, Pannoniis, Moesiis, Noricis, Vindelicis, Sarmatis &c., Belgis, Helvetis, Francis, Gallis &c., in hisque innumeris olim Populis, quos veteribus e Geographis indicat Cellarius lib.2. cap.3. p.204. sqq., qua ad Austrum, & Ortum respi-

respicientibus Iberis, Hesperiis, Siculis, Insubribus, Hetruscis, Japygiis, Latinis &c., quae Mensium usu nomina vetustissimo, seriesque venerint, quaeque Civilis, Astronomici, Sacrique usurpata olim fuerit Anni forma, ignoratur ferme penitus, in obscuroque latet. Cui rei tamen antequam de adfundenda solliciti luce simus, in harum Antiquitates Gentium, Originesque paucis inquirere praestat. Atque principio fuere quidem, qui Berosi Rer. Babylon. lib.4, & 5. fabulas amplecti haud veriti, e *Japheti* filiis anno post Diluvium 150. circiter origines Populos hosce sortitos fuisse suas opinati sunt, a *Gomero* nempe Gallos, a *Tubale* Hispanos, ab *Asekena* Germanos, a *Magogo* Suecos, & Danos fuisse prosatos, ut inter alios Pezronius Antiq. Celtar. cap.3. sqq., persuasum habuere. Quamquam & hinc parum absuit Georgius Syncellus in Chronog. p.49. sq. edit. Paris., Ven. p.39, ubi Populorum origines a facta Gentium sub Phalego dispersione recolens, e *Magogo* Celtas, e *Mosoch* Illyrios, e *Tharsi* Iberos, e *Cetthim* Latinos &c. fuisse profectos existimat. Neque plurimum inde opinione distitit Auctor Chronici Paschalis, sive Alexandrini p.26. sq. edit. Paris., Ven. p.23, quo loci e *Gomero* Celtas, e *Magogo* Gothos, e *Madai* Britannos, e *Jova* Hispanos, e *Mosocho* Getulos &c., Gentium post dispersionem in Orbem sub Phalego, origines pertraxisse suas persuasum habet. Sed & propius hinc ablusit Auctor Chronici de Generatione, & Divisione Gentium ab Henrico Canisio T.II. Antiq. Lect., a Philippo Labbeo T.I. Novae Bibl., indeque a Du Cangio inter Selecta ad illust. Chronici Alex. n.4. edit. Ven. p.431. sqq. editi, quod Opus S. Hippolyto Portuensi adscribi posse facilis ipse adsentitur, ubi ex *Gomero* Cappadoces, ex *Magogo* Celtas, & Galatas, ex *Mosoch* Illyrios, ex *Thira* Thraces, ex *Cetthin* Macedones, ex *Aschenaz* Sarmatas, ex *Elisam* Siculos, ex *Tharsi* Hiberos, sive Tyrrenos &c. fuisse derivatos longe probabilius opinatur.

II. Atque e *Gomero* quidem originem duxisse Cimbros, sive Cimerios, sive Celtas, Celto-Scythas, ac Celtiberos, ex *Aschenazo* Germanos, Francos, Gallos &c., ex *Magogo* vero Scythas, Messagetas, Sachos, Titanes &c. adfirmantibus Josepho

ſepho Antiq. Jud. lib.1. cap.7, S. Hieronymo, ac Theodoreto in Geneſ.x, ultro conſentiunt Wolfangus Lazius de Migrat. Gent. lib.1. p.18. ſq., Bochartus in Phaleg lib.4. cap.38.p.310. ſqq., ubi ex R. Zacutho in Juchazin, ſive Genealogiarum libro fol. 134. ex *Gomero* Phryges, ex *Magogo* Scythas, ex *Thubal* Hiſpanos, ex *Mozech* Ruſſos, ex *Thira* Thraces, ex *Riphat* Illyricos &c.natales duxiſſe ſuos obſervat Gualterus Rawleygus Introd. Hiſt. lib.1. cap.8; Junius, & Clericus ad Gen.x, Levvis Introd. Hiſt. Britan. cap.3. &c., Scriptores Angli Hiſt. Univ. T.XII. Par.II. cap.12. edit. Ven. p.30. ſqq., Calmetius Comm. in Gen.x, Mazochius in Sylvis Phalegicis Par.I. T.I. Spicilegii Biblici p.237. ſq., aliique Herodoti lib.1, & 4, Juſtini lib.1. cap.8. ſq., Strabonis lib.11, Melae lib. 1. cap.2. ſq., Plinii lib.6. cap.16, Dionyſii Perieg. lib.5. v.500. &c., quibus *Gomeri* iidem ac Cimbri, ſive Cimerii, ſive Celtae ſunt certe, teſtimonio ducti; conferenduſque inter alios hocce de argumento optime meritus Salianus in Annal. ad Mundi an.1971. n.24. ſqq. Et Celtis quidem e *Gomero* profectis a Cluverio Introd. Geogr. lib.2. cap.5. ſq., & Antiq. German. lib.1. cap.6. adcenſiti ſunt Illyrici, Germaniae, Hiſpaniae, Galliae, Britanniae, Inſularumque ad Boream Incolae; queis una olim, eademque omnibus lingua erat; adeoque ut Hiſpani non a *Thubale*, uti Joſepho lib.1.cap.8. traditum eſt, neque ex Afris, veluti Ravvleygo viſum, ſed e Celtis derivati & ipſi ſint; utque Britanni una cum nomine a *Britto*, ſive *Bruto* genere Troade originem haud utique tulerint, veluti Vito in Hiſt. Britan. perſuaſum fuit, ſed primos a Gomaris, ſive Celtis natales habuerint, pugnant Levvis Introd. Hiſt. Britan. lib.2. cap. 14, ac Pricius Defenſ. Hiſt. Britan., queis cum approbe faciunt & ipſi Angli Scriptores Hiſt. Univ.cit.cap.12. p,66.ſq. Ita nempe poſt Gentium ſub *Phalego* diſperſionem, (neque tamen adeo confeſtim, multoque minus poſt Linguarum confuſionem, ut Pezronio viſum, neque adeo ſerius, poſt annum ideſt a Diluvio 1220. dumtaxat, uti Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. Emend. p.10. vult), *Gomeri* poſteros initio quidem in Armeniam, Phrygiam, & Cappadociam fuiſse transplantatos exiſtimat Pezronius Antiq. Celt. cap.15, ſed inde, *Acmone* duce, quo

quo de Stephanus de Urb. edit. Holst. p. 20, ejusque filio *Urano*, in Asiam Minorem, Pontum Euxinum, Paludem Maeotidem, Bosphorum Cimbricum, ac Thraciam, indeque in Gallias, Hispanias &c. se transfudisse putat, ubi Celtae primum dicti fuerint, ejusque fuerint genus Titanes *Chronus*, *Jupiter*, *Teutates* &c., quos aetate quidem *Abrahamo* suppares habet, teste adhibito Callimacho Hymno in Delum v. 170, ubi sane Κέλτοι *Celtae* dicti sunt Ὀψιγόνοι Τιτᾶνες *Titanum Filii*, qui Sanchonitathoni vicissim Ἀλῆται *Errabundi* nuncupati sunt, queis deinde Divinos impensos honores fuisse, *Jovi* sub nomine *Taran*, Celtice *Tonitru* notante, (Celtice etsi *Jou* a Graeco *Jao* haud disforme a *Jehova* Hebraeo forte derivatum videatur); *Mercurio* sub vocabulo *Hesus*, Celtice *Huad*, idest *Canis*, (quamvis *Hermes* Graecis a Celtica *Armes* voce, qua *Divinatio* significatur, magis derivandus sit), sub *Merck* etiam nomine, quo *Mercator* Celtice indicatur; horumque Sacris addictos *Curetes*, sive *Cabiros* fuisse, *Druidas* postea dictos, censet Pezronius Antiq. Celt. cap. 8. sqq. Atque ita sub *Augusto* Celtarum sane Populos LX. Straboni, aut LXIV. Tacito Annal. lib. 3. recensere fas utique fuit; quin e Celtis Populi CCCXV. Josepho de Bello Jud. lib. 2. cap. 6, quin imo CD. Appiano dinumerati leguntur.

III. De Celtis jam vero iis, qui veteres apud Germanos tam propagandae Genti operam impenderunt, quam rei praefecti fuere publicae, fabulis permixta multis probabilia nobis tradidit Berosus Rer. Babyl. lib. 4. sq. apud Wolfangum Lazium de Gent. migrat. lib. 1. p. 16. sqq. Nempe a *Noacho*, quem a *Jano*, & ab *Ogyge* indistinctum habet, cum Colonis filios missos fuisse refert *Chemesenum* in Aegyptum; *Tritonem* in Lybiam, ac Cyrenem; in Africam reliquam *Japetum*, *Priscum*, & *Atalaam*. In Asiam Orientalem *Gangem* una cum filiis *Gomeri* aliquibus. *Sabum* in Arabiam, *Canam* Damascum; in Europam vero anno a Diluvio 130. *Tuisconem* Japheti filium, inhabitatum a Tanai usque ad Rhenum, cum filiis *Histri*, ac *Maesae* ab Adula Monte usque ad Mesembriam. Atque a *Tuiscone* quidem originem duxisse Germanos confirmat Tacitus; eosque inde dictos *Tuiscos*, sive *Dodescos*, sive *Duiczios*

zios existimat Lazius. *Tuisconem* adhaec in regno excepisse *Mannus* filius, isque ad Danubium, ac Rhenum imperasse fertur apud Lazium; hunc *Ingevon*, istumque *Abrahami* sub aetate *Marsus*. Fuisse *Ingevoni* fratres, ac *Manni* filii *Hervion*, ac *Istevon*, indeque totidem in Germania Populi nomen olim tulisse, eidem traduntur Lazio. A quo perinde lib. 3. p. 67, & 82. sqq. ex Beroso Reges, qui veteres apud Germanos, antea Cimbros, deinde Sicambros inter Rhenum, ac Danubium positos, unde postea derivati Franci hoc sub *Aureliano* Imperatore nomine ubique audiri cepere, regnasse sequenti referuntur ordine. I. *Gomerus*; II. *Aschenas*, III. *Cambrivius*, IV. *Galathes*, sub *Abrahamo* uterque, unde Galli, & Galatae dicti, V. *Gergon*, quo sub aevo Celtiberis jura *Sicorus*, *Sicanus*, *Sicileus*, *Lusus*, *Palatuus*, *Cacus* Mundi anno 2380. dixisse traduntur, VI. *Hellenus* I. sub Trojano bello, VII. *Francus*, qui *Hectoris* Trojani filius, Trojana e clade in Germaniam profugisse fertur, VIII. *Pipinus*, quod in altero postea Francicae Monarchiae restauratore celebre fuit nomen, IX. *Hellenus* II, qui sub *Porsenna* Rege ad Ostia Danubii regnum obtinuit, X. *Antenor* e Scythia profugus, XI. *Priamus* ad Rheni ripas Regionibus potitus, XII. *Marcomyrus* I, qui Rheno transmisso Cimbros in Frisiam, Gueldriam, ac Westphaliam longe, lateque diffudit, regnante Athenis *Pericle*, Olymp. 83. anno 3, Romae *T. Quinctio Capitolino*, & *Agrippa Furio* Coss. U. C. anno 307, Christi ante natalem 446, non anno U. C. 310, uti Lazio visum, XIII. *Antenor* II, sub quo Persis imperabat Artaxerses Ochus, XIV. *Hellenus* III. sub *Philippo* Macedonum Rege, XV. *Diocles* sub *Alexandro* M., XVI. *Hellenus* IV, quo ob ignaviam expulso regnum obtinuit, XVII. *Bassanus* I. ipsius frater, *Demetrio* II. Macedonibus imperante Christi ante natalem anno 243, XVIII. *Bassanus* II, XIX. *Clodomyrus* I, XX. *Nicanor*, XXI. *Marcomyrus* II, XXII. *Clodius* I, XXIII. *Clodomyrus* II, Belli 3. Punici tempore, Christi ante natalem anno 149, XXIV. *Meradacus*, XXV. *Baleus* I, qui Danubio transmisso Gentem in Noricum eduxit anno U. C. 640, ante Christianam Aeram 113, XXVI. *Meradacus* II, XXVII. *Cassander* I, XXVIII. *Sicamber* I; XXIX. *Autharius* I,

XXX.

XXX. *Francus*, unde Franci dici Cimbri, & Sicambri cepere sub *Augusto* diffuso in Gallias jure, XXXI. *Clodius* II, XXXII. *Marcomyrus* III, XXXIII. *Sicamber* II, *Sigemyr*, & *Veromyr* fratres, queis a *Germanico* profligatis, Gallia Romano subjugata imperio est: quamquam in Francia Orientali suis praefuisse Gentibus leguntur *Ratherius* sub Nerone, *Clodomyrus* III, & *Erocus* sub Constantino M., *Ascarichus*, & *Ragaisus* a Constantino debellati, *Pharamondus*, a quo Francici jacta sub Arcadio, & Honorio regni fundamenta sunt.

IV. Verumtamen a Celtis iis, qui non in Gallia regnum ab initio, ac deinceps obtinuere, Regum XX. seriem nobis alteram ex Beroso suppeditavit Vitus Hist. Britan. lib. 1. not. 25. apud Scriptores Anglos Hist. Univ. T. XII. Par. II. cap. 12. edit. Ven. p. 67. sq., suntque sequentes. I. *Samothes*, sive *Samatek*, unde *Samokei* dicti Philosophi Celtae sint, aliis *Dis*, aut *Discelta* nuncupatus. II. *Magus*. III. *Sarron*. IV. *Druis*, e quo *Druidae* celebres inter Gallos Philosophi dicti censentur. V. *Bardus*, unde Philosophi alii, & Sacerdotes apud Gallos illustres *Bardi* Caesari memorati leguntur. VI. *Longus*, e quo ac superiore *Bardo* effecti *Longo-Bardi* feruntur. VII. *Lucus*. VIII. *Celtes*. IX. *Calates*. X. *Narbo*, unde Gallia Narbonensis induit nomen. XI. *Lugdus*, e quo Lugdunensis Ager dictus est. XII. *Belgius*, unde Gallia Belgica. XIII. *Jasius*. XIV. *Alobrox*, e quo nomen Allobroges sortiti dicuntur. XV. *Oegyptus*. XVI. *Paris*, unde Parisii. XVII. *Olbius*. XVIII. *Calates* II. XIX. *Namnes*. XX. *Francus*, sive *Franciscus*, e quo Franci tulisse nomen videntur. Sed enim Berosi sublesta fides, adeoque fluxa est, ut quis fidere ipsi tuto, secureque nequeat. Eò vel maxime, quod anno a Diluvio 130. multiplicari adeo nequivere *Noachi* posteri, ut tot Asiae, Europae, & Africae regiones implere quiverint. Adhaec Hispanis, Gallis, Britannis, Italis, Siculis, Hetruscis &c. alias e Graecis origines deductas fore adscribendas multis cum ipsemet ostendit Lazius de Gent. Migrat. lib. 2. p. 40. sqq.; tum nos super. Volum. Proleg. III. p. 17. sqq., 49. sqq., 117. sqq., 141. sqq., 153. sqq., 173. sqq. &c. ostensum abunde dedimus. Et a *Gomero* sane Galatas, sive Gallo-Graecos, a *Magogo* Col-

chos, & Iberos, a *Tubale* Calibes, Tibarenos, Ponticos &c., a *Mesech* Moschos, ab *Aschenazo* Phryges, Troades &c., a *Thogarma* Cappadoces, a *Chittim* Macedones &c. ortum duxisse ex Ezech.xxxviii. 2. sqq. cum Bocharto in Phaleg lib.3. cap.8.sqq.p.171.sqq.censet Johan.Clericus Comment.in Gen.x. p.84.sqq. Contra Mazochius in Sylvis Phalegicis Spicileg.Bibl. T.I. Par. I.p.237.sqq. e *Gomero* Comaros descendisse in Sogdiana inter Sachas Ptolemaeo lib.6. cap.13. recensitos existimat; ex *Aschenez* ortos Ascatangas in Bactriana; ex *Thogorma* Scythas alios Ezechieli xxxviii.6. indicatos; ex *Riphat* Arimphaeos, & Hyperboraeos in Asiatica Scythia, queis de Plinius lib.6. cap.13; ex *Gogo*, & *Magogo* Caucones in Paphlagonia, ac Peloponneso Straboni lib.8. p.345, & lib.12.p.542, ac Tacito de Morib. German. cap.35. memoratos; ex *Cetthim* prodiisse Cetaeos in Mysia, deinde in Cilicia, Macedonia, & Cypro, ac demum in Latio, queis de Homerus Odyss. Λ' v. 518, Eustathius ibid., Strabo lib.13. p.616; ex *Thubale*, non Hispanos, uti cum Josepho Antiq. lib.1. cap.6. censet Calmetius ad Gen.x, sed Tibarenos ipse cum Bocharto putat; ex *Mosoch*, non Cappadoces, veluti Josephum sequutus vult Calmetius, sed Moschos Armeniae finitimos, non Moschos Europaeos, ut etiam Calmetio visum: ex illis etsi hosce deinde fuisse prosatos haud inficias eat; ex *Thira* Thraces primo in Troade, ac perinde Thraces ad Istrum, sive Getas, queis de Herodotus lib.7. cap.75. sq., ac Strabo lib.7.p.295.sq.&c.; ex *Dodanim* initio Dardanos Troadis, de quibus Jonathas Paraphrasta ad Gen.x, Homerus Iliad.Γ' v.214, ibique Eustathius; inde Samothraces Pausaniae in Achaicis cap.4. memoratos, ubi Dardania olim dicta Samothracia legitur; deinde Dardanos in Illyrico, queis de Strabo lib.7. p.316.sq., & Aelianus lib.4; postinde Dardanos in Creta, Rhodanos inde Gallos ad Rhodanum amnem; Dardanos demum in Hetruria Servio ad Aen.1. v.104, & 384, Aen.3. v.94, & 167, Aen.7. v.206, & 209, Aen.10. v.719. &c. relatos. Conferendus etiam Grotius de Verit. Relig. Christ. lib.1. in Annot. Crit. Sacr. edit. Francof. T.VII. p.2009. sq. Germanos denique, veteresque Gallos etsi Scytharum fuisse propaginem inficias haud ire quis-

quisquam recte queat, *Titanes* attamen in Aegypto, in Phoenice septem *Deos*, & in Creta fore *Curetes* quaerendos longe veri haberi similior opinio debet. Et certe quamlonge a veterum Deorum apud Scythas adpellationibus differunt Celtica Deorum nomina: Scythis enim *Vesta*, primo Deorum loco habita, *Tabiti* dicta est; Jupiter erat *Papaeus*; Tura Jovis uxor *Appia*; Apollo *Oetosyrus*; Venus *Artimpasa*; Neptunus *Tamimasades*; Mars *Acinacus* Herodoto teste in Melpomene lib.4. edit. Vallae p.116; ubi uni *Marti* a Scythis erecta Statua, aedificatum Fanum, exstructa Ara, atque ex Hominibus immolatae traduntur Victimae.

V. Quod nunc ad Scientias, Astrologiam quammaxime, atque Chronologiam attinet, quò hae nempe veteres apud Germanos loco fuerint, inquirendo, principio id observare praestat, hocce veterum Germanorum profecto nomine heic intelligendos Populos illos fore Galliis, ac Rhetiis, Pannoniisque, Rheno, & Danubio, Sarmatia, ac Dacia comprehensos non modo, ut voluit Tacitus de Morib. German.lib.1, sed quotquot etiam a Riphaeis Montibus, sive a Tanai fluvio, quo nunc Europa ab Asia disterminatur, usque ad Fretum Gaditanum, & ad Oceani litus Occiduum, atque Polum ipsum Borealem, seu Arcticum diffusi erant, veluti docet, admonetque Paulus Diaconus de Gestis Langob. lib.1. cap.1. inter Scriptores Rer. Ital. T.I. p.405. sq. Quo proinde nomine ipsi veniunt Scythae, Getae, Tyragetae, Messagetae, Chyragetae, Gepidae, Scyri, Gothi, Alani, Hunni, Rugi, Heruli, Turcilingi, Vandali, Langobardi &c.; quique Plinio lib.4. cap.14. inter Vindalos adnumerati leguntur Burgondiones, Varini, Guttones, Carini &c., inter Ingevones repositi Cimbri, Teutones, Canchori &c., atque inter Istevones Rheno proximos Cimbri Mediterranei, quos omnes ex Asiae confiniis in Europam fuisse transgressos Wolfangus Lazius de Gent.Migrat. lib.4. p.144. sqq. ostendit; queis de adeundi Rudbechius in Atlant. p.62, Cluverius Germ. Antiq. lib.3, Grotius in Proleg. ad Hist. Goth., Vandal., & Langob. Bibl. Germ. T.XXVII. p.34. sqq., Cellarius Geog. Antiq. T.I. lib.2.cap.5. sqq. p.558. sqq. &c. Quod igitur ad disciplinas antiquissimis excultas Ger-

 manis

manis attinet, haud sane Alexandro ab Alexandro Genial. dier. lib.4. cap.13, a quo in errorem pertractus est Scaliger in Elencho Trihaeresis cap.20, haud, inquam, auscultandum est, qui refert apud Scythas olim Philosophiae, & Astronomiae egregiam dedisse operam Agryphaeos, Calvos, & Abios: hi siquidem haud Philosophi, & Astronomi fuerint, sectae cuipiam dediti, bene vero generis diversi, idiomatisque finitimae tametsi gentes, testibus Strabone lib.7. p.204, Curtio lib.7.cap.6, Ptolemaeo lib.5.cap.9, ac Tertulliano de Praescrip. cap.42, videndusque Cellarius Geog.Antiq. T.II. lib.3. cap.24. p.758. sq.

VI. Omnium itaque primi Scythas Hyperboraeos, Sacas, Essedones, Ariacas, Histos, Euchatas, Arimaspos, Massaeos, Agathyrsos, Sasones, Alanos, Tapuraeos, Getas, Aorsos, Gaudas, aliosque plures oppido Plinio lib.6. capp.11, & 17, Straboni lib.9. sub init., ac Ptolemaeo recensitos, Astronomicis imbuendos disciplinis, Annique perinde rationibus erudiendos suscepisse videntur ejusdem plane generis triga *Anacharsis*, qui Olympiadis 47. anno 4. Athenis profectus, ibique a *Solone* institutus, in Scythiam regressus gentilibus suis eas cum Leges, tum Disciplinas, quales ipse Athenis ebiberat, valdequam imperfectas etsi, tradidisse fertur Luciano in Scytha Oper. T.I. p.347. sqq., Maximo Tyrio dissert.15. sub initio, Laertio lib.1. sect.102, Plutarcho in Solone, ac Suidae Lex.T.I. p.186. Atque de *Anacharsi* sane tradit Herodotus lib.4.p.118. sq. eum regio Scytharum sanguine fuisse satum, utqui tutor fuerit *Timnis*, filii *Spargapithis*, patruusque *Indathyrsi* regis, filius *Gnuri*, nepos *Lyci*, pronepos *Spargapithis*; eumque, quod invisos Scythis religiosos Graecorum professus ritus fuisset, atque *Deûm Matri* Sacra fecisset, a *Saulio* Rege *Indathyrsi* patre, suoque patruele interfectum sagitta fuisse. Legislator Getarum alter celebratur *Zamolxis*, e quo *Pythagoram* ipsum, perindeque *Druidas*, (quos ita dictos a *Druide* Rege IV. Celtarum Beroso memorato, queis de Caesar de Bello Gallico lib.6, aliqui putant; verius a Graeca Δρος, sive Celtica *Drosi* voce, qua significatur *Quercus* Celtis Sacra, sub qua peragi Sacrificia solebant, ita dictos fuisse

fuisse cum Cambdeno pugnant Angli Scriptores Hist. Univ. T.XI. Par.II. cap.12. p.83.), *Druidas*, inquam, apud Germanos, Britannos, & Gallos olim celeberrimos Philosophiae, ac Astronomiae praecepta hausisse quamplurima, quemque ideo post obitum inter Astra collocatum Scythis pro *Saturno* habitum ferunt, honoratumque auctores sunt Herodotus lib.4. cap.95, Laertius lib.1. sect.1, Antonius Diogenes Incredibilium de Thule Insula lib.24. apud Photium Cod. 166. p. 359, Pseudo-Origenes Philosoph. cap. 25, Etymologus, Suidas &c.; videndique, qui eo de fusius agunt, Vossius de Sectis Philos. cap. 3. sect. 1. p. 19, & Menagius ad Laertium cit. loco. Ast enim prae DuumViris illis, a *Dicenaeo* Getas, sive Gothos, sive Scythas, ea sub ipsa, qua Romae rei praeerat publicae *Sylla*, ideoque sub *Julii* Caesaris aetate, Philosophicas disciplinas, Morum Leges, Astrorumque scientiam, idest Constellationum numerum, ordinem, nomina, situm, Planetarum motum, Lunae, atque Solis Periodos, ideoque Anni rationes, didicisse auctor est Jornandes de Rebus Geticis cap. 11. inter Scriptores Rer. Italic. T.I. p.197. sq.; videndique Scriptores Angli Hist. Univ. T.XII. Par.II. cap.12. p.160. sqq., quo loci de veterum Scytharum Regimine, Legibus, Artibus, Scientiis &c. copiose, pro more, agunt.

VII. Quae propius attamen ferae, barbaraeque Genti Anni forma olim adhibita fuerit, an in Menses Annus, & in Hebdomadas Menses dispesci solerent, nec inde, nullibique docemur. Fuere quidem inter Getas, sive Dacos, sive Thraces, (Populi namque hi tergemini regionibus, lingua, origine, legibus, atque moribus haud erant distincti), Viri praeterea alii, prae rudioribus, agrestibusque reliquis, Litterarum studiis, Religionisque sacris deditissimi, qui Josepho Antiq. Jud. lib. 18. cap. 2. Πλῖςαι *Plisti* inter Dacos vocati leguntur, Straboni lib. 7. edit. Casaub. p. 296. inter Thraces Κτίςαι *Ctistae* dicti, quosve Judaeorum *Essenis* haud dissimiles, atque a *Plestoro* Thracum Deo, a *Baccho* idest, sive a Graecorum Ουέςη *Omeste* indistincto denominatos existimat Bochartus in Epistola hocce de argumento conscripta Oper.

T.II.

T.II. Par.I. p. 1054. ſqq., *Druidibus* vero apud Germanos, Britannos, & Gallos celebribus adfines ego putaverim. An vero *Pliſtis* hiſce, ſive *Ctiſtis* Faſtorum, Kalendarii, Annique dirigendi, veluti Sacerdotibus Aegyptiis, ac Romanis olim Pontificibus, cura, qualiſve inſederit, penitus ignoratur. Ad Germanos quod reſpicit alios, nullum apud ipſos antiquitus bonarum Artium viguiſſe ſtudium, nullam temporibus exigendis, dirigendiſque deditam Aſtronomiae operam, vel inde liquido patet, quod Taciti, ipſo teſte de Morib. Germ. cap. 19, tempore Litterarum adhuc ignari, pingendique Characteres omnino neſcii eſſent. Quamvis autem, quemadmodum apud Gallos, ac Britannos, ſuos pariter apud Germanos fuiſſe *Druidas*, Sacerdotes nempe doctores, neque Tacitus neget cap. 6. ſqq., adfirmet vero Strabo, fuſeque demonſtrent Frichius de Druidibus, Hechtius Germ. Sac., & Litter. p. 38, Fabretus de Druid. Bibl. Lubec. T.III. p. 24. ſqq., ac Bruckerus Hiſt. Crit. Philoſ. T.I. lib. 2. cap. 9. §.8. p. 323. ſq., qui proinde Syderali & ipſi ſcientia polluerint, ſicuti de Gallis *Druidibus* adſeruit Caeſar, qua tamen Menſium, Annorumque ſpatia ratione ſupputare, metirique ſolerent, incompertum hactenus eſt. Id unum olim Germanis ita conſtitutum, ita condictum fuiſſe memoriae prodidit Tacitus de Morib. Germ. edit. Baſil. 1544. p. 43, ut Nox diem ducere videretur, neque dierum numerus, ſed Noctium computaretur. Annum vero ad *Lunae* rationes exigere, inque tres dumtaxat apud ipſos partiri Tempeſtates politum in more fuiſſe ſubjungit, quae ſe ſe viciſſim *Hyems*, & *Ver*, & *Aeſtas* exciperent, *Autumni* nomine, & bono prorſus ignorato. Quoniam attamen abhinc tantum quadringentis annis Germanice inter Germanos ſcribi ceptum fuiſſe, quum antea Latinus apud Germanos uſu ſermo eſſet, poſt alios obſervatum fuerit Bocharto in Not. ad Antonii Goſſelini Hiſt. Vet. Gallor. cap. 8. ſqq. Oper. T.II. p. 1191, inde probabile fit, quod Germanis etiam, ſicut hodie, ſic olim non altera a Latina uſu Anni forma, poſtquam ſaltem Latinorum in ſe Litterarum ſtudia derivarunt, venerit.

VIII. Sequiori demum ſub aetate, Eccleſiae ideſt Se-

Seculi VIII. sub exitu, atque IX. sub exordio, a *Carolo* M. imperium auspicato alia inter egregia praestita opera, e quibus illud praeclarum Christianam erga Religionem pietatis recolendum specimen duxi, quod Saxonibus semel, ac bis Christi anno 772, ac 782. domitis, Delubra, Aras, & Simulacra cum Osnaburgi *Irmensulis*, tum Magdeburgi *Veneris* evertit, inter haec, inquam, aliaque innumera Christianam erga Religionem pietatis opera, Anni Mensibus patriam juxta linguam nomina imposita fuisse refert Eginhardus in ejus vita cap. 8. p. 114. apud Bollandum in Actis SS. Januarii T.I. edit. Ven. p.886, unde quoque Fabricio recensiti sunt in Menologio p. 136. sq., atque Frischio in Miscell. Berolin. T.IV, p. 175. sq., quo loci Mensi II. *Hornung*, (quem abjecta syllaba *Ung* ad derivationem pertinente, ab *Hor*, sive ab *Hore*, quod veteres apud Germanos *Lutum* denotabat, fuisse denominatum opinatur), a *Luto* nomen inditum, quod *Lutosus* nempe sit Mensis, recte conjicit. Sunt vero sequentes, ut e subjecto discere Schemate licet, ubi cum Romanis ita comparati leguntur, ut ad *Juliani* Anni rationes eos fuisse digestos haud dubium sit. Observat vero Bollandus loc. cit. in Not. Mensis nomen *Manoth*, singulis adjectum Mensibus, aliis in Codicibus Mss. aliis *Monat*, aut *Monet*, aut *Maend*, aut *Maent*, diversis nempe pro dialectis, efferri vocabulis. Ab his vero, qui *Caroli* M. sub aetate obtinebant, haud parum nomine differunt Menses, qui Germanis hodie, ac Belgis adhibentur, velut e subjecto Schemate ex Adriano Junio de Mensib. p.38, atque Fabricio Menolog. p.137. descripto intelligere licebit.

MEN-

MENSES
VETERUM GERMANORUM.

I.	Wintermanoth	Januar.	VII.	Heumanoth	Julius
II.	Hornung	Febr.	VIII.	Arnmanoth	August.
III.	Lentzmanoth	Mart.	IX.	Herbstmanoth	Septemb.
IV.	Ostermanoth	April.	X.	Wynmanoth	October
V.	Winnemanoth	Majus	XI.	Wyndtmanoth	Novemb.
VI.	Brachmanoth	Junius	XII.	Heyligmanoth	Decemb.

GERMANORUM HODIE, ATQUE BELGARUM.

1.	Louwmaand	Januarius	7.	Houmaand	Julius
2.	Sprokkelmaand	Februarius	8.	Oogstmaand	Augustus
3.	Lentemaand sive Mert.	Martius	9.	Gerstmaent Herfstmaand Speltmaent	September
4.	Grasmaand	Aprilis	10.	Wynmaand	October
5.	Blojemaand sive Mey.	Majus	11.	Slagtmaand	November
6.	Brakmaent Zomermaand Wiedemaand	Junius	12.	Horenmaent Wintermaand	December

IX. Apud veteres Saxones, Anglo-Saxones, Danos, atque Suecos Anni rationes ad *Oceani*, cujus littora accolebant illi, Πλημμύρας Adfectus, seu *Aestus*, Aquarum scilicet accessum, & recessum, ordinatas fuisse, arcte Scaligero de Emend.temp.lib.2.p.169.sqq.persuasum fuit. Atque ita quidem apud illos, quum observatum fuisset ad *Lunae* incrementa, & decrementa vicissim Oceanum increscere, ac decrescere, maximam vero in *Plenilunio* utriusque *Aequinoctii* Oceani fieri Πλημμύρας *Aestus* solere, potius quam ad *Lunae* rationes, ad Oceani *Aestus* ideo Annum fuisse digestum ita putat, ut *Lunaris* is esset quidem, ad *Solis* tamen cursum etiam attemperatus esset, isque haud a *Juliano* difformis, ante *Ju-*

liani

liani quam ipsis Anni etsi ratio innotuisset. *Civilis* itaque Anni caput a Decembris nocte 25. incepisse; *Naturali* vero Anno exordium Autumnali ab *Aequinoctio* factum existimat, ideo quod eo gemino tam Hyberno *Solstitio*, quam Autumnali *Aequinoctio* Majores Oceani Πλημμύρας *Aestus*, ipsis *Malinas* dictas, queis *Aestus* Minores *Ledunae* dicebantur, fieri solerent. Sed enim Scaligeri purum hoc esse, putumque commentum, cujusse ne γρῦ quidem extat apud V. Bedam de Rat. temp. cap. 13. Oper. T.II. p.68, e quo sua alioqui Scaliger hausit, rite censet Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 71; ea ipse in opinione versatus, ut ad *Juliani* Anni formam, ubique Romano cum Imperio receptam, Annum veteres apud Saxones, Anglo-Saxones, Danos, atque Suecos, quo de loquitur V. Beda, attemperatum fuisse haud ambigat. Et certe ex Oceani Aestibus Annum ita Gentibus illis ordinari potuisse, ut a *Juliano* prope differret, quis rite credat? Eccur vero magis a Verno *Aequinoctio*, aut ab Aestivo *Solstitio* illis Annus incepisset, si ab eo, quo Major Oceani contingebat *Aestus*, tempore incipiendus, Scaligero judice, erat? Veri ergo fit longe similior opinio Annum Populis illis fuisse *Julianum*, Menses etsi diverso a Romanis nomine fuerint adpellati: quorum ecce tibi, quale ex V. Beda loco cit. Scaliger excerpsit, ex eodemque V. Beda, ac insuper ex Georgio Hickesio in Gram. Anglo-Saxon., & Moeso-Goth. p. 315, nec non ex Verstegano p. 61. sq., exhibet Fabricius in Menologio p. 138. sqq., specimen.

MENSES
ANGLO-SAXONUM.

Ex V. Beda	*Ex Hickesio*	*Ex Verstegana*
1. Giuli Aeftera	1. Seformamonath	1. Wolfmonath
2. Solmanath	2. Solmonath	2. Sproutkele
3. Rhedmonath	3. Hlydamonath	3. Lenctmonath
4. Eosturmonath	4. Eastermonath	4. Ostermonath
5. Trimilchi	5. Majusmonath	5. Trimilki
6. Lida erra	6. Seremonath	6. Weydmonath
7. Lida Aeftera Trilidi	7. Medmonath	7. Heumonath
	8. Weodmonath	8. Barmonath
8. Weidmonath	9. Harfaeltmonath	9. Gerst, Barlymonath
9. Halegmonath	10. Seteothamonath	10. Wynmonath
10. Winterfyllith	11. Bletmonath	11. Wintmonath
11. Blothmonath	12. Midwintermonath	12. Heligmonath
12. Giuli Erra		

X. Mensibus hisce porro alia tam apud V. Bedam, quam apud Hickesium, atque Versteganum indita passim legi nomina, non secus atque Danicis, Suecis, Gothicis &c., diversam plane juxta dialectum Anglo-Saxonibus qua veteribus, qua nuperis usurpatam, observat Fabricius. Juxta genium vero Anglo-Saxonicae linguae, quem fuisse quoque Danicae linguae, Suecicae, Hungaricae, Finnicae &c. infra patebit, fuisseque profecto Germanicae, Belgicae &c. superiori e diagrammate patet, singulis Anni Mensibus ipsius Mensis adjectum Gentes apud hasce nomen *Monath* adparet. Mensibus adhaec nomina aut a Diis Anglo-Saxonibus sacris, ut Mensi 3. a Dea *Rheda*, aut ab Anni tempestatibus indita fuisse advertit Fabricius: quocum conferendi Spelmannus in Glossario V. *Monath* p. 419, atque Goldastus Script. Aleman. T. II. p. 65. Populos apud hosce vero Septentrionales incipiebat olim Annus ab 8. Kalendas Januarii, a die ipsa Christi D. natali, ideoque Anno faciebat exordium *Giuli Aeftera*, a vocabulo *Geolden*,

den, quod est *Reverti*, denominatus, ideo quod *Solis* Tropicus Brumalis in hoc incideret tempus; *Aeftera* vero *Posterior* est, sicuti *Prior* dicebatur *Erra*. Post Mensem VII. porro intercalatio fieri solebat, atque *Lidae Aefterae*, idest Posteriori, aggregari *Lida Embolimaeus* solebat, dictus *Trilidi*, hoc est *Lida Tertius*. Hodie denique Anglis tam in foro Civili, quam Ecclesiastico Kalendario Anni caput a die 25. Martii, Dominica idest Incarnatione, ducere adlibuit. Jungendae hisce Mensium, ad *Juliani* Anni formam digestorum, a Januario ducto Anni exordio, Populis aliis usurpatorum Tabulae, quales Danorum ex Scaligero de Emend. temp. p.169, ac Moynio Var. Sac. p. 468; Suecorum ex Magno Celso in Computo Eccles. p.110. sq.; Bohemorum, Hungarorum, ac Polonorum; Gothorum ex Joh. Locennio Antiq. Sueco-Gothic. lib.1, ac Bircherodio in Palaestra Antiq.; Islandorum, & Finnorum; Ruthenorum ex Possevino in Appar. Sac.; Slavorum, Dalmatarum, & Croatarum ex Hieronymo Megisero in Thesauro Polyglot. descripsit Joh. Albertus Fabricius in Menologio p.142. sqq., cujus utpote opus facile haud cuique obvium est. Hasce porro apud Gentes Mensis nomen, aut *Maand* apud Germanos, aut *Manat* apud Danos, Suecos, Gothos &c., aut *Manudar* apud Islandos, aut *Hava* apud Hungaros, aut *Cuu* apud Finnos &c. Mensibus adjungere singulis in more positum erat: quod heic observasse haud ineptum est.

MENSES

DANORUM.	SUECORUM.	GOTHORUM.	ISLANDORUM.
1. Glugmanet	1. Thora	1. Thorſmanat	1. Midſvetrar
2. Blidemanet	2. Goja	2. Gojamanat	2. Foſtengans
3. Thormanet	3. Blida	3. Thurmanat	3. Jauhndeigra
4. Faremanet	4. Varant	4. Aprilmanat	4. Sumar
5. Maymanet	5. Maymanat	5. Maymanat	5. Fardaga
6. Sherſomenet	6. Hovil	6. Starbarackmanat	6. Nottleyſa
7. Ormemanet	7. Hoant	7. Hoymanat	7. Madka
8. Heſtmanet	8. Skortant	8. Skiordamanat	8. Heyanna
9 Fiskmanet	9. Hoſtmonat	9. Hoſtmanat	9. Addrata
10. Sedemanet	10. Sclactemonat	10. Blotmanat	10. Slatrunar
11. Slagtemanet	11. Wintermonat	11. Wintermanat	11. Rydtrydar
12. Chriſtmanet	12. Iylamonat	12. Juulmanat	12. Skamdeiges

SLAVORUM.	RUTHENORUM, *ſive* MOSCHORUM.			DALMATARUM.
1. Proſsimes	Σεπτέμβριος	Α.	Σεπτέβρι	1. Siecſan
2. Sezhan	Ο'κτώβριος	Β.	Ο'κτέβρι	2. Scicſen
3. Suckez	Νοέμβριος	Γ.	Νοέβρι	3. Breſen
4. Malitraven	Δεκέμβριος	Δ.	Δεκέβρι	4. Malidravan
5. Velikitraven	Ι'ανουάριος	Ε.	Γένβαρ	5. Velikidravan
6. Prashuik	Φεβρουάριος	ς.	Φεβραΐ	6. Roshenzuet
7. Serpen	Μάρτιος	Ζ.	Μάρτι	7. Serpen
7. Kimovet	Α'πρίλιος	Η.	Απρίλι	8. Kimovez
9. Jeſsentk	Μάϊος	Θ.	Μάι	9. Jeſsenik
10. Obroznik	Ι'ούνιος	Ι.	Ι"ουνι	10. Octobar
11. Guiltz Liſtognoi	Ι'ούλιος	ΙΑ.	Ι'ούλι	11. Novembar
12. Gruden	Α"ουγουστος	ΙΒ.	Α'ουγούστι	12. Decembar

BOHE-

BOHEMORUM.	OPLONORUM.	HUNGARORUM.	FINNORUM.
1. Leden	1. Styczen	1. Bodagaſzſzonyhava	1. Tammicuu
2. Unor	2. Luty	2. Boyteloho	2. Helmicuu
3. Brezen	3. Marzeì	3. Boytmasho	3. Maaliſchuu
4. Duben	4. Kwiecien	3. Szent Gyorgy hava	4. Hachticuu
5. Mag	5. May	5. Punkesd hava	5. Touckocuu
6. Czerwen	6. Czerwiec	6. Szent Jacob hava	6. Heſacuu
7. Czerwenec	7. Lipiec	7. Szent Ivan hava	7. Heinacuu
8. Serpen	8. Sierpien	8. Kis aſzſzony hava	8. Elocuu
9. Zarii	9. Wrzeſien	9. Szent Mihalyhava	9. Syyſcuu
10. Rziigen	10. Pazdziernik	10. Mindſzent hava	10. Locacuu
11. Liſtopad	11. Liſtopad	11. Szent Andras hava	11. Maraſcuu
12. Praſynec	12. Grudzien	12. Karaezon hava	12. Talwicuu

XI. Veteres tam apud Francos, quo Eccleſiae adhuc Seculo III, & IV. nomine trans Rhenum, atque cis Albim fluvium Incolas, ubi Chauci, Anſivarii, Cheruſci, Sicambri, Chamani, Salii, Friſii &c. collocati ſunt, veniſſe dubitare haud ſinunt Ammianus Marcellinus lib. 17, & 20, videndique Cluverius Antiq. German. lib. 3. cap. 20, ac Petavius Epiſt. 10. ad Stephanum Vitum Soc. J. ad calcem T. III. Doct. temp. edit. noviſſ. Ven. p. 316. ſq., quam apud Gallos, quos ab *Herculis* filio *Galata* cognominato, *Galatas* primum fuiſſe denominatos fabulari placuit Diodoro Siculo lib. 5. cap. 24, & Ammiano Marcellino lib. 15. edit. Baſil. p. 575, quove ſane nomine a *Julio* Caeſare de Bello Gall. lib. 1. deſcripti leguntur *Celtae* a Rhodano ad Garumnam fluvium, & Oceanum, *Belgae* a Sequanae, ac Matronae ripis ad inferiorem Rheni partem, & *Aquitani* a Garumna ad Pyrenaeos Montes, & Oceani partem, qua ad Hiſpaniam reſpicit, videnduſque Cellarius Geog. Antiq. T. I. lib. 2. cap. 2. p. 141. ſq., Veteres, inquam, apud Francos, atque Gallos *Druidas*, quos etiam *Semnotheos* adpellatos fuiſse perhibet Diogenes Laërtius ab initio, Aſtrorum ſtudio quammaxime deditos adfirmare non dubitavit Julius Caeſar de Bello Gallico lib. 6. cap. 14, (quem in locum con-

conferendus Hotomannus), multaque ab illis de Syderum motu, de Terrarum magnitudine, rerumque natura discipulis transdi suis consuevisse testatus. Quamquam uberius nobis edisserere Caesari haud licuit, quae propius ad rem pertinent nostram, quae nempe peculiaris illis Anni forma usurpata fuerit, id unum ferme cap. 18. retulisse contentus: *Spatia eos omnis temporis, non numeris Dierum, sed Noctium finire, & dies Natales, & Mensium, & Annorum initia sic observare, ut Noctem dies subsequatur*. Quem utique per Noctes, non vero dies, supputandi tempora morem, atque non quidem in honorem *Plutonis*, veluti Caesar arbitratus est, sed veteri ex Hebraeis ducta consuetudine, quod nempe Mundi exordium a Nocte, seu a Vespera factum fuerit, autumat Gosselinus in Hist. Vet. Gallor. cap. 5; tum usurpatum fuisse Germanis auctor est Tacitus de Morib. German. cap. 19; tum Numidis Africae tradit Nicolaus Damascenus apud Stobaeum in Serm. de Legib.; tum Britannis adfirmat Cambdenus, observatque Bochartus in Not. ad Ant. Gosselini Hist. Veter. Gallor. Oper. T. II. p. 1184. sq., quo sane loci rem pluribus hancce persequitur. Quin imo Plinius lib. 18. cap. 25. sua jam sub aetate desideratos adserere non dubitavit, qui inter Gallos, Hispanos, & Afros de Syderum exortu, ac motu aliquid tradidissent. Quae vero de *Druidis* apud Gallos dicta Caesari percepimus, de *Druidis* apud Britannos intelligi perinde debent. E Britannia namque *Druidas* in Gallias descendisse idem Caesar lib. 6. cap. 14. docet, ac post ipsum Seldenus in Analectis Oper. T. II. p. 861. sqq., Tolandus de Relig., & Erudit. Celtar., ac Rolandus de Antiq. Nat., & Hist. Druidarum in Insula Mona sedem habentium contendunt. Contra e Galliis *Druidas* in Britannias fuisse transductos adfirmare non dubitant Tacitus in Agricola cap. 11, ac Plinius lib. 30. cap. 15, comprobatque Jacobus Martinius de Relig. Gallor. T. I. p. 12.

XII. Ut ut ista de *Druidis* se habeant, a Strabone tamen Geog. lib. 2. p. 115. memoriae prodita est Observatio quaedam Astronomica Massiliae in Galliis a *Pythea* bis mille ante plusquam annos peracta circa *Solis* umbram ad Styli longitudinem *Solstitii* tempore. Qui testis insuper accedit eumdem *Pytheam* iti-

itineri difficillimo versus *Polum* Arcticum se committere non extimuisse dimetiendi eo loci diei longitudinem gratia, profectumque illum usque ad Insulam *Thule* fuisse, ubi *Solis* ortum ferme cum occasu conjunctum observasse refert: quae sane Insula non altera nobis est, quam *Islandia*, repugnet etsi Cellarius Geog. Antiq. T. I. lib. 2. cap. 4. p. 358, eam *Hitland* fuisse, aut Insulam *Fero* existimans. Ex hisce porro Massiliae a *Pythea* observationibus peractis, quibus inter alias *Eclipticae* obliquitas determinata fertur graduum 23. min. 49.′ 10.″, arguit Eques Louvillaeus Hist. Acad. Scient. Paris. anno 1716. p. 48. tardo quidem *Eclipticam*, ordinato tamen motu versus *Aequatorem* moveri, atque ita ut Seculi unius spatio minuto uno *Aequatori* appropinquetur. Observat enim annis abhinc 50. ab Astronomis gradibus 23. min. 29.′ *Eclipticae* obliquitatem fuisse censitam: quae ideo a tempore *Pytheae* minutis 20.′, singulis idest Seculis minuto 1.′, diminuta est, adeoque ut tum Louvillaeo graduum 23. min. 28.′ 24.″ deprehensa sit. Conjecturam hancce vero suam confirmare Vir doctiss. iis satagit, quae olim a Chaldaeis, & Aegyptiis peractae Astrorum observationes annorum myriadum feruntur: e quibus infert annorum 397150. spatio fore tandem, ut *Ecliptica* perpendicularis *Aequatori* fiat. Verum neque *Pytheae* magnam, veluti mendaci Viro, accommodandam fidem docet nos Strabo lib. 4. p. 139; neque accuratae admodum ejusdem observationes aestimandae, ut cui multa, quae nostris inventa, magno Astronomiae bono, sunt demum aevis, eidem subsidia defuerint. Neque vero circa *Eclipticae* obliquitatem Louvillaeo ceteri cohaerent Astronomi: *Eclipticae* namque obliquitas Eratostheni, Hipparcho, ac Ptolemaeo constans visa est, fixaque gradibus 23. min. 51.′ 15.″ A Ptolemaei aetate annis 270, Pappo censita est graduum 23. min. 30.′ Post annos 740. a Ptolemaeo, aestimata est Albategnio graduum 23. min. 35.′; Regiomontano grad. 23. min. 30.′, aut 31.′; Copernico grad. 23. min. 28.′ cum dimidio: conferendaque Monumenta Acad. Scient. Paris. an. 1716. p. 295. Cujusmodi vero de Chaldaeorum, atque Aegyptiorum observationibus adeo jactatis ferendum judicium sit, ex disputatis super. Volum. I. p. 414. sqq., ac Volum. II. p. 227. sqq. abun-

abunde patet; adeundusque Le Gendre Tract. de Opinione lib. 4. cap. 3. de Astronomia n. 82. T. I. p. 533. sqq., ubi inter alia observat, quod juxta Aegyptiorum computum, si eisdem Louvillaei hypothesis de *Eclipticae* motu accepta fuisset, ejusdem *Eclipticae* obliquitas singulis nedum Seculis minuto 1.' didem minuta fuisset, sed imo minuto 1.' singulis decrevisset quadrimestribus, atque gradu 1. annorum 20. spatio, ideoque vicibus 300. *Eclipticae* variatio juxta Aegyptios rapidior, velociorque fuisset, quam in Louvillaei hypothesi sit.

XIII. In lineam nunc reflectendo, atque ut quò cepi, modo pergam, veterem plane apud Gallos Astronomiae usum, excultumque egregie studium confirmare videtur insigne Simulacrum Arelate repertum anno 1698. antiquissimum, *Zodiaci* signis descriptum, atque *Solis* per Tropicos trajectione, de quo Montfauconius Antiq. Explic. T.I. Par.II. Tab. ccxv. fig. 3. p. 370; e quo arguere fas est ab antiqua Gallis aetate *Solis*, atque *Lunae* periodos fuisse perspectas, ideoque Anni ad eorum motus exigendi rationis haud omnino ignaros eos fuisse. Verum enim vero nobilem Joniorum, sive Phocensium Coloniam veteres fuisse Massilienses, sexcentos & amplius Aeram ante Christianam annos Massilia ab illis Urbe condita, sive, ut aliis videtur, diruta Urbe, a Phocensibus, *Cyri* a tyrannide aufugientibus, instaurata, atque finitimos usque ad Araurim, sive Cyrtam, Argenteum, Rhodanum, atque Varum fluvios, Urbes quoque Agatham, Caballionem, Athenopolim, (hodie Telonem), Avenionem, Antipolim, Nicaeam, & Monoecum eisdem a Massiliensibus conditas, Ptolemaeo lib. 3. cap. 1, Strabone lib. 4. p. 127. sq., Plinio lib. 3. cap. 5, Pomponio Mela lib. 2. cap. 5, ac Stephano de Urb. p. 4. testibus, ad Maris idest usque Mediterranei oras, & Portum Herculis, sive usque ad Liguriam, Italiaeque fines, adjacentibus comprehensis Insulis, Populos memoriae prodiderunt Marcianus Heracleota in Periegesi p. 9, Pomponius Mela Geog. lib. 2. cap. 5, Livius Hist. Rom. lib. 5. cap. 34, ac Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 4. Praeterea Graecanici certe moris retinentissimos adeo Phocenses illos, proprii tum adhuc juris compotes, illò transplantatos Populos fuisse, ut in Galliis ipsis Graecarum studium lit-

litterarum excolere non modo, sed etiam excitare allaborarint, ut Contractuum formulas non altera, nisi Graecanica conscribendas consuetudine ducerent, & ut etiam Romanorum Civium nobilissimos pueros ad Massiliensem, pro Atheniensi peregrinatione, Agrum discendi studio pellicere non desinerent, testes accedunt locupletes Strabo lib. 4. p. 125. sq., ac Tacitus in Agricola cap. 4. Quin adhaec imo ab hacce Massiliensi Graecorum Colonia, & Academia Gallos undique ceteros litteras, atque pingendi artem circa annum U. Romae C. 165. didicisse auctor est liquidus idem Strabo lib. 4. p. 181, Julius Caesar indicat de Bello Gallico lib. 6. cap. 13, atque confirmat ex Trogo Justinus lib. 43. cap. 4. Inde arguere itaque fas est apud Massilienses, aliosque Gallos plerosque Joniorum, sive Phocensium Menses usurpatos, Annique formam adhibitam fuisse, retentamque; usque dum a *Julio* Caesare Oppidis, Agrisque exspoliati, Dione Cassio lib. 14. p. 165, ac Pomponio Mela lib. 2. cap. 5. referentibus, *Juliani* Anni formae se deinceps attemperare, Romanorumque Mensium nomina, atque seriem recipere compulsi sunt.

XIV. Alios quod attinet Gallos, queis cum Gallo-Phocensibus commercium haud fuerat, eos sub aevo Plinii, ac Vespasiani, Aerae nempe Christianae Seculo I, Anno mere *Lunari*, seu Arabico, ulla scilicet absque *Embolismi* adpendice, usos adhuc fuisse, quod argumento est sane, veterem hancce plane apud ipsos fuisse Anni formam, ex Plinio ipso lib. 16. de Visco arguit Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 172. Auctor nempe eo loci Plinius est Gallis eo tempore Mensium, Anni, & Seculi, tricesimo expleto scilicet anno, quo sane numero circumscriptum ipsis Seculum est, exordium a *Luna* sexta deduci consuevisse. Nulla vero siquidem *Lunaris* Periodus annorum 30. finiri queat, nisi quum nulla *Embolismi* habetur ratio, velut apud Hagarenos, inde, Scaligero judice, fit ut Anni illi mere *Lunares*, & Hagarenici fuerint. Eodem quoque e Plinii loco, tacito ipsius nomine, & illud colligere sibi visus est Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 3. cap. 24, Annum Gallis olim *Lunarem* fuisse non modo, sed imo *Semestrem* tantummodo. Verum Petavius Doct. temp.

lib.2.cap.71. recte contra Scaligerum existimat, Gallis etsi Seculum annorum 30. esset, ex *Enneadecaeteride*, Periodo xix. idest, ac *Hendecade*, Periodo xi, conflatum, quo absoluto Ἀποκατάστασιν fieri persuasum haberent, non inde consequi tamen, quod Annis mere Arabicis, sive *Lunaribus* usi Galli sint, ac *Embolismis* abstinuerint. Fieri namque potuit, veluti factum vice plus simplici apud Graecos, vitiosa Periodo tum Annorum xix, tum Annorum xi, tum Annorum viii, tum Annorum iv. usos, fuisse ostendimus, ut *Lunaris* Anni modum justo longiorem, aut *Solaris* justo breviorem Galli olim instituerint, adeoque ut post annos 30. utriusque Planetae, *Solis*, atque *Lunae* fieri Apocatastasim opinarentur. Et V. Bedae certe sub aetate, ipso referente de Rat. temp. cap.44, fuere adhuc, qui cum *Solis* annis viii. totidem respondere *Lunares*; quique *Lunae* annis xi. totidem aequivalere *Solares* persuasum haberent: quod ipsum de Gallis illis pariter, tum adhuc valde rudibus, opinari pronum est. Siquidem vero Seculum annorum xxx. spatio definitum Gallis illis fuerit, Plinio ipso eo loci ferente, inde fieri videtur, ut apud illos Annus utique non sex dumtaxat Mensibus constaret, sed a *Luna* sexta, sive Mense quidem inciperet. Cujusmodi vero is esset, quum Plinius silentio praeterierit, amplius dicendi deinde nobis facultatem ademit.

XV. Neque certiora sane de adhibita veteres apud Hispanos Anni ratione, deque Mensium apud ipsos adpellatione in medium proferre, certis deficientibus veteribus Monumentis, fas nobis est. Si tamen indulgere conjecturis liceat, quod veri magis fiat simile in hacce re, divinando potius, quam definiendo proferemus. Hispanos itaque veterem Phoenicum, sive Tyriorum fuisse Coloniam, *Hercule* Phoenicio duce, qui Graeco multo habetur antiquior, unde antiquissimum *Herculi* fanum Gadibus, celebresque *Herculis* ibi Columnae memorantur, dubitare non sinunt Strabo lib.3. p. 29. sqq., Justinus lib.44, Plinius lib.3. cap.1, Arrianus de Exped. Alex. lib. 2, Solinus Polyhist. cap. 36, Stephanus de Urb. p. 326, Vellejus Paterculus circa *Codri* Regis Atticae postremi, Straboni etiam lib.9. p. 75. memorati, qui Aerae *Atticae* anno 467, Periodi

di Juulianae 3624, legitur in Marm Oxon., ac in Excerptis Latino-Barbaris apud Corsinium Fast. Attic. T. III. p. LI; verius Periodi Jul. anno 3598, *Atticae* Aerae 441, Christi ante natalem 1116, aetatem a Tyriis Colonias in Hispanias deductas referens, Philostratus de vita Apollonii lib. 10. cap. 1; Etymologus M. V. Γάδειρα ab *Archaleo* Phoenicis filio, qui circa *Josue* tempora in vivis agebat, Gades Urbem aedificatam adfirmans, quo de argumento fuse, docteque Bochartus Geog. Sac lib. 1. cap. 34. Oper. T. II. Par. I. p. 598. sqq., qui perinde lib. 3. Par. II. cap. 6. p. 160. sq. inter fabulas optime rejicit, quae de *Nabuchodonozoris* in Hispanias expeditione, atque profectione ad *Herculis* usque Columnas commenta feruntur Abydeno, & Megastheni apud Strabonem lib. 15 sub init.; edit. Ven. 1494. p. 125, & apud Eusebium in Chron. p. 41, & de Praep. Evang. lib. 9. p. 267: quatenus nempe *Chittim* apud Isajam cap. XXIII. v. I. nomine, non *Europaeos* intelligi oportere, sed *Chuthaeos*, Susianae Incolas ad Babylonis ortum existimat: atque recolenda, si placet, quae abunde de Hispanicis nobis Coloniis super. Volum. II. in Proleg. III. §. LXVII. p. 137. sqq. disputata sunt. Inde fieri itaque potuit, ut antiquissimo illo tempore a Tyriis supputandi tempora rationem Hispani hauserint. Iberis quidem Annum olim quadrimestrem dumtaxat fuisse scripsit Xenophon in Aequivocis: quo tamen nomine Hispani nequaquam, sed Colchidis Incolae veniunt intelligendi: in Hispaniam etsi venisse omnium primos Iberos, qui ex *Tubale* nempe *Noachi* nepote, in Asiae Iberia Ponticum inter, & Caspium Mare a Josepho Antiq. lib. I. cap. II. collocato, procreati vulgo creduntur, aliqui putant: qua de re dictum cit. Proleg. III. p. 138. sq. Sed enim, quod rei caput est, perperam Xenophonti *Aequivoca* fuisse ab Annio Viterbiensi adscripta, eoque edita nomine recte observat Gisbertus Cuperus in Epist. Crit., Litt., Hist. &c. Gallice editis Epist. 21. ad Crozium p. 76. sq., a quo decepti Grotius in Annot. ad Josue XV. 25. sqq., Paulus Crellius in Promptuario Biblico, Middenorpius de Celebrior. Academiis, Polus in Synopsi Crit. Sacr. T. I. p. 1008, aliique Interpretes Crit. Sacr. T. I. edit. Francof. p. 1791. sqq. & nos in errorem induxere;

 ut

ut Tomo I. Proleg. I. §.xiv. p. 25. germanum *Aequivoca* Xenophontis esse foetum existimaremus.

XVI. Postquam vero in Romanorum potestatem Hispani transducti fuere, priscam, quam eos a Tyriis accepisse, eamque usque ad aetatem retinuisse superius augurabamur, Romani in Anni formam, ubique fere gentium, una Romano cum imperio, receptam, ab ipsis fuisse transfusam, eamque *Julianae* plane conformem effectam haud dubium est. Quo vero factum id demum tempore fuerit, obiter superest inquirendum, atque eo ipso plane factum puto tempore, quo celebris *Hispanica* instituta Aera est. Aera isthaec porro, quo de nomine dicam alibi, quum de veterum Populorum, & Urbium Aeris, & Epochis sermo fiet, Hispano-Arabibus dicta *Tarik-Es-Saphar*, nomine scilicet e *Saphard*, quo Hebraice significatur *Hispania*, derivato, velut observatum est Viro doctiss. Michaeli Casimiro Syro-Maronitae Regio in Hispania Bibliothecario in Bibliotheca Arabico-Hispana Excuriali &c. T.I. anno 1760. edito, Aera isthaec Hispana, inquam, Anno Christi ante natalem 26. cepisse visa est Johanni Gerundensi Episcopo; cepisse anno Juliano 6, Augusti 4, U.C. 714, anté Christianam Aeram 40. censita est L. Andreae Resendio in Epist. ad Job. Vasaeum, Genesio Sepulvedae de Ann. emendat., ac Joh. Vasaeo in Hispan. Chron. cap.22. Vera tamen opinio est *Hispanicam* Aeram incepisse anno Juliano 8, U. C. 716, Christi ante natalem 38, veluti liquidis Idacii in Chron., & S. Juliani Tolet. in calce lib.2. contra Judaeos testimoniis, Inscriptionibus, & Conciliorum in Hispania, & Africa celebrabratorum titulis ostendit Petavius Doct. temp. lib.10. cap.70, conferendusque Pagius in Crit. ad cit. an. Quid vero in caussa fuerit, cur eo ab anno nova isthaec apud Hispanos ad supputanda deinceps tempora instituta fuerit Aera, non una Chronologorum est sententia. Ea Scaligero de Emend. temp. lib. 5. p.445. sqq. insedit, ut censeret ab eo anno initam fuisse Aeram, quod eo ipso L. Martio Censorino, & C. Sabino Coss. magna Ceretani Hispaniae Populi clade a Domitio Calvino adfecti fuerint, Dione lib.48. teste. Sed enim Ceretani siquidem Vasconiae Populi in extremis Hispaniae finibus ad Pyrenaeos

naecos sint positi, non fuisse, cur tota ab Hispania ideo nova induceretur Aera, Domitii Calvini victoria Petavio visa est. In caussa fuisse inter Triumviros partitio, in qua *Augusto* Hispania pro sorte obtigit, visa est Resendio, & Sepulvedae. Sed enim partitio haec biennio ante facta est, Juliano anno 6, U.C. 714, ante Christianam Aeram 40. Ea itaque ratio Petavio veri habetur similior, quod eo Juliano anno 8, U. C. 716, ante Christi natalem 38. nova inducta fuerit Aera, quod eo ipso anno Romani imperii partitio, Senatus Romani Decreto probata fuerit, & Augusto Hispania confirmata, Dione lib. 48. teste: qua nova perinde cum Aera, (quae demum in Aragonia desiit Christi anno 1358, in Castellae Regno anno 1383, in Portugallia anno 1415, in *Dionysianam* transmutata, notante Scaligero loc. cit. p. 448.), nova quoque Anni forma, ad *Julianam* attemperata nempe, recepta dubio procul est, a Kalendis Januariis facto deinceps Anno initio, quod Aerae pariter fuit.

DE

DE

MENSIBUS, ET ANNIS

Veterum Japygiorum, Siculorum, Hetruſcorum, Latinorum, Romanorum, Italorum &c.

ARTICULUS XII.

I. AD Italiam modo gradum reflectendo noſtram, antiquo Graecis vocabulo *Heſperidem*, quod ipſis videlicet ad Occaſum ſita ſit, adpellatam, principio qua ipſa parte ad Siciliam vergit, eamdemque complectitur, Graecorum ab origine ſiquidem oppleta Coloniis, occupataque fuerit, adeo ut *Japygiae* Graecum ipſi nomen, quo, apud Poëtas olim praeſertim, comprehendi Apulia, Meſſapia, ſive Calabria, Lucania, Brutii &c. ſolebant, queis de Cellarius Geog. Antiq. T.I. lib.2.cap.9.ſect.4. ſqq. p.704.ſqq., ſive *Magnae Graeciae* Latinum adhaeſit vocabulum, Livio lib.31. cap.7, ac Feſto de Verb. ſignif. teſtibus, Graecorum perinde Menſium illis adhibita fuiſſe vocabula, atque Graecanici olim Anni formam uſurpatam augurari fas eſt, ſcribente quammaxime Strabone lib.6. ſub initio a Graecis omnia ſuos in patrios, moreſque priſcos ab illis fuiſſe tranſducta. Diverſa tamen pro diverſitate Coloniarum putanda: qui namque

Hy-

Hydruntinum tractum, sive loca ad Promontorium Salentinum inhabitanda susceperant, suos ab Joniis accepisse mores censendi sunt, a quibus utpote genus hauserant, testibus Strabone lib.6. p.191, ac Ptolemaeo lib.3. cap.14; qui Tarentinum Sinum usque Brundusium occuparunt, a Lacedaemoniis, quibus illos paruisse tradunt Justinus lib.3. cap.4, & Ovidius Metam. lib.15. v.50. &c., sua fuisse mutuati videntur; qui Lucaniam ad oram Maris usque Tyrrheni a Cretensibus, ut indicat Herodotus lib.7. cap.170; qui Brutios ad Siciliam versus a Locris, veluti Straboni lib.6. p.179, ac Livio lib.27. cap.25. adlibuit; aut a Phocensibus, uti Plinio lib.3. cap.5, & Solino Polyhist. cap.8. magis probatur; qui Rhegium usque Brutios a Chalcidensibus instituta hausisse sua aestimandi sunt, a queis utpote condita Urbs fertur Straboni lib.6. p.177, ac Solino cit. cap.8. Qui Corsicam imo, atque Sardiniam inhabitatum primi advenere, moribus, legibus, atque disciplinis institutos fuisse a Phocensibus, & ab Iliensibus, a queis Insulas primum illas fuisse occupatas una perhibent opinione Herodotus lib.1. cap.165, Seneca de Consolat. ad Helviam cap.8, Pausanias in Phocicis cap. 17, Plinius lib. 3. cap.7, Livius lib.41. cap.6, Pomponius Mela lib. 2. cap.7, ac Solinus cap.10, procul dubio putandi sunt. Qui Siciliam denique pro sede obtinuere, a Corinthiis, atque Achaeis, a Corcyraeis &c., queis de Solinus cap.11, nosque abunde super. Articulo X. de Mensibus, & Annis Corinth. &c. diximus, atque recolenda, si libet, quae Proleg. III. de Gent. Transmigr. Volum. II. p.35. sqq. de Italorum originibus affatim disputata sunt, patriis una cum institutis, tam Mensium adpellationes, quam Anni rationes accepisse censendi sunt. Quos post demum, quam in Romani Populi jura transcripti fuere, ad *Juliani* Anni formam, Romano cum Imperio Gentium ubique ferme receptam, sese deinceps attemperasse omnes haud dubium est.

II. In parte Italiae reliqua, qua vergit ad Alpes, a Gallis olim ad Apenninos usque occupata, Mutina, & ut videtur, Arimino imo comprehensis, sive ab Apenninis usque ad Mare Hadriaticum exporrecta, atque circa Padum effusa, qua

de

de Livius lib.5. cap.33. sq., ac Plinius lib.3. cap.14, conferendique Cluverius Ital. lib.2. cap.1. p.435, ac Mazochius de Tyrrhen. Origine dissert.1. inter Acad. Corton. Dissert. T.III. p.6. sqq., ubi praejudicata sua pro opinione, qua de postea, de Aramaea Tyrrhenorum origine, tam *Eridani*, quam *Padi* fluvii eamdem nominis esse derivationem observat, adeo ut qua Hebraice ארז *Eraz*, unde *Eridanus*, eadem Celtica voce *Padus* adpellatus sit, quod Metrodoro teste apud Plinium lib.3. cap.16: *Circa fontem Arbos multa sit picea*: quamquam & fortassis ab Aramaea voce פדן *Paddan*, qua testibus Abenezra, ac R. Salomone campestris significatur *Planities*, adhaesisse *Padi* nomen Amni videri queat: *Apenninum* inde quoque tulisse nomen existimat, quod a Liguria usque ad Brutium litus hemicyclii figuram referat, uti Plinio lib.3.cap.5, ac Martiano Capellae lib.6. observatum est, ab Aramaea nempe voce אופן *Opan*, unde factus postea sit *Apenninus*, qua *Circulus* significatur; in hac, inquam, parte Italiae litteris, atque scientiis excultior, quae prae ceteris olim habita fuerit, Gens Hetrusca memoratur; adeo ut, Cicerone de Divin. lib.1, Livio lib.9, ac Valerio Maximo lib.1. cap.1. referentibus, Roma nobilissimi Principum Virorum filii sex, aut decem, aut duodecim, (prout diversimode Ciceronis locus diversis legitur), in Hetruriam, Senatus Romani decreto, percipiendae Sacrorum disciplinae gratia, mitti solerent. Quae tamen Hetruscis usurpata fuerit Anni forma, an ista scilicet Pelasgis, an Lydis, an Phoenicibus, an Assyriis, an Aramaeis, e quorum alterutris originem Hetrusci deduxisse videntur, accepta sit referenda, in obscuro latet.

III. Atque a Pelasgis quidem profectos Hetruscos fuisse memoriae prodidere Strabo lib.5.edit.Ven.1494.p.44.sq., Thucydides lib.1. p.20, Dionysius Halic. lib.1. p.22. sqq., & Hellanicus Lesbius apud ipsum: quorum testimonio suffultus Illustriss. Praesul Franciscus Blanchinius Hist. Univ. decade 3.cap. 24. n.6, & cap.26. n.2. persuasum habuit Hetruscos revera primam fuisse Pelasgorum Coloniam, a quibus delatas fuisse cum Thucydides, tum Dionysius referunt *Cadmaeas*, sive Phoenicias in Hetruriam litteras, quas a *Jonicis* haud fuisse distin-

distinctas perhibet Herodotus lib.5. vers.Vallae p.147. sq., qui alioqui lib.1.p.11.barbaram omnino Pelasgicam fuisse linguam, atque ab Hellenica, quae ab ipsa caeteroqui profecta fuerat, prorsus absformem; & p.29. Jonicae linguae quatuor fuisse dialectos, *Milesiam*, *Caricam*, *Lydiam*, ac *Samiam* tradit; quasve, *Phoenicias* idest, Litteras a *Jonicis* haud fuisse difformes scripsit etiam Plinius lib.7. cap.56. sq., qui cap.58. insuper veteres *Jonicas* Latinis fuisse perquam similes observat, indicioque esse subjungit Tabulam aeraeam e Delphico fano Romam delatam, *Minervae* dicatam, quae suo adhuc tempore Palatina in Bibliotheca visebatur; a Samaritanis autem *Cadmaeas*, sive Phoenicias derivatas fuisse litteras ostendere adnixus est Scaliger in Not. ad Eusebium n.1617, quo de nos argumento copiose in Proleg.I. Volum.I. Et certe quidem ex Gambulario de Orig. Ling. Florent. p.93. profert idem Blanchinius Hist.Univ. p.340. sqq. Tabulas, Viterbii, ac Volaterris, e ruderibus erutas Lapideas, Hetruscis veteribus inscriptas Litteris, quae plane Latinae erant inversae: quales etiam inversae Latinae litterae ex veteri Hetrusco Cenotaphio a D.Petro Sancto Bartolo edito, duobusque aliis ab eodem Blanchinio iterum exhibentur p.536, & p.538. Quamquam a Latina prorsus dissimilem Hetruscam olim fuisse linguam abunde demonstrat Hetruscae veteris linguae specimen a Bernardino Baldo explicatum, prout in Eugubina Tabula aenea extat: sed enim Hetruscis de Litteris, atque Lingua recolenda, si placet, quae affatim, opinor, nobis Volum.I.Proleg.I. §§.LXIII, CII, & CXII. p.133. sq., 211. sq., & 233. sqq. disputata sunt.

IV. Sed enim a Lydis originem Hetruscos deduxisse suam, qui nempe gravi annonae difficultate compulsi, ab *Atyde* tum Lydiae Rege pro itineris duce filio *Tyrrheno*, unde primum Hetruscis *Tyrrhenorum* inditum nomen est, accepto, alias in Hetruriam sibi adquirendas sedes advenere, testes se praestant locupletes Herodotus lib. 1. cap. 94, vers. Vallae p. 20, Hellanicus Lesbius apud Dionysium Halic. lib.1. edit. Basil.1549. p.22, Plutarchus in Quaest. Roman., Dionysius Alex. in Periegesi cap. 46. vers. Alex. Politi T.I. p.168. sq., ubi post Herodotum a Lydis duodecim in Hetruria ae-

dificatas Urbes memorat, Plinius lib.3. cap.5, aliique, quos pone sequi haud dubitat Theodorus Ryckius in dissert. de Primis Italiae Colonis cap. 6. ad calcem Stephani Byzant. de Urb. edit. Holstenii. Atque in Hetruriam quidem a Pelasgis postea, sed primas a Lydis deductas fuisse colonias scripsit Dionysius in Περιηγ.; contra primos a Pelasgis, a Lydis postea Colonos Hetruriam inhabitandam fuisse transfusos circa Mundi annum 3200, aut 3300, Varronis apud Censorinum cap.5, ac Herodoti loco cit. testimonio suadere praelaudatus Blanchinius adnititur. Quò ipsius opinione fit, ut Hetruscis olim primo Phrygum, postea Lydorum Anni forma usurpata fuisse videri possit, ab ea nempe haud difformis, quam a Phrygibus Albanos primum, atque ab hisce perinde Romanos accepisse perhibet Censorinus de die Natali cap. 8; aut quam postea Lydis adhibitam fuisse suo nobis ostensum est loco, ubi de Mensibus, & Anno Lydorum sermo factus est. Contra vero si a Phoenicibus, sive Poenis, sive Tyriis, e quibus cum in Hispanias deductae saepe Coloniae memorantur Pomponio Melae lib.2. cap.6, Straboni lib.3. p. 33, Plinio lib.4. cap.22, qui sua e Mela decerpere solet, atque Solino Polyhist. cap.36, qui Plinium solet excerpere, Tyrrheni, seu Hetrusci, una cum nomine, quod sane a Tyrio haud multum abest, originem nacti sunt suam, veluti multis pugnat Nicolaus Fullerus Miscellan. Sacr. lib.1. cap.11. Critic. Sacr. edit. Francof. Supplem. T.VII. p. 24. sq., tum quae Tyriis olim adhibita fuerat Anni forma, qua de nobis super Articulo V. §. VIII. p. 262. sqq. abunde dictum est, acceptam perinde Hetruscis fuisse inde fit consequens. Quamquam Fulleri sane opinionem adgressus Bochartus Geog. Sacrae lib. 1. cap. 33. Oper. T.II. Par.I. p. 584. sqq., eamdem oppido multis, ingentique quammaxime Punicum inter, ac Hetruscum idioma discrimine, oppugnare fategit. Quo tamen in argumenti genere e Vocum Ὁμοίωσι similitudine, aut Ἀνομοιότη dissimilitudine plus speciei, quam soliditatis inesse Proleg.III. Volum.II. p. 143. sqq., Articulo I. p. 350, & Articulo III. p. 419. sq. liquido demonstratum est.

V. Verum si vicissim Taciti, cui Strabo lib. 5. edit.

1494. p.45. paria tradit, quemque pone sequitur Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib.3. cap.28, probatur opinio, qua Annal. lib.4. edit. Basil.1544. p. 96. scripsit ab *Atyde*, qui Clementi Alex. in Protrept. *Dionysius* Graecorum, sive *Chamus* Hebraeorum *Noachi* filius est, Lydiae Rege, quo de Herodotus etiam similia lib.1. p. 20. habet, *Tyrrhenum*, atque *Lydum* fratres progenitos fuisse, *Lydo* vero patriis in Terris residente, *Tyrrheno* datum, ut novas quaereret sedes, ideoque *Lydo* in Asiae Regione, unde *Lydiae* nomen adhesit, relicto, a *Tyrrheno* ducta in Italiam Colonia, *Hetruriae* nomen inditum fuisse, Populoque factam originem, quae fuit etiam Grotii opinio, inde probabile fiet, Hetruscis eamdem, quae Lydis, aut quae primum Asyriis imo probata fuerat, Anni formam acceptam fuisse. Atque hac utique ratione, quod *Semi* filius, & *Athur*, sive *Assur*, sive *Atys* fratres, (non filius, atque *Tyrrheni* frater, ut habet Tacitus), fuerit *Lydus*, velut etiam Festo visus est, sive לוד Hebraeis *Lud*, ab Hebraica ילד *Illed*, sive *Jalad* voce dictus, a quo *Lydos* denominatos advertit etiam Josephus Antiq. lib. 1, *Lydos* etiam adpellatos olim Hetruscos Silio Ital. de Bello Punico lib.4, ac S. Hieronymo in Isajae cap. 66, observat Franciscus Marianus de Hetruria Metropoli cap.2. sq. Attamen ab *Atye*, sive *Assure*, Hebraice אשור, sive *Athur* Chaldaice אתור, sive *Thura* nuncupatam *Turrheniam*, sive *Tyrrheniam*, sive *Hetruriam* fuisse multis oppido Vir doctiss contendit; qua ab opinione prope abest Cl. Mazochius de Orig. Tyrrhen. dissert. 1. Acad. Corton. T.III. p.4. sqq., ac Spicilegii Bibl. T. I. dissert. 5. ad Genes. cap. x. sect. 4. p. 208. sqq.; eamdemque profecto fuisse pugnat, quae *Athuria* dicta legitur Straboni lib. 6, Dioni in Trajano, ac Suidae V. Νῖνος; quamque ab *Assyria*, sive *Assuria* sola differre dialecto ultro concedit Bochartus Geog. Sac. lib.2. cap.3. p.73, mutato, gentis more, ת, & ש, idest T, & S, velut ex Dione notavit Xiphilinus, qua de Litterarum frequenti permutatione ex Hebraeo, & Chaldaeo, ex Phoenicio, & Graeco, ex Attico, & Dorico, ex Jonico, & Aeolico, & Boeotico &c. multa idem Bochartus persequitur Geog. Sac. lib. 4. cap. 38. T.II. p. 309. sqq.,

ac de Animal. Sacr. lib. 5. cap. 11. T. III. p. 739. sq., nosque T. I. Prolog. I. p. 46. sqq. non unum specimen exhibuimus. Atque hinc sane haud multum absuit vir Cl. Scipio Maffejus in Originibus Hetruscis, ac Latinis Italice editis, Latine factis Lipsiae anno 1731. a Johanne Georgio Lottero, cap. 4. sqq. p. 19. sqq., a Chananaeis originem Hetruscos traxisse multis, quae sane Henrico Scarbau Observ. Sacr. Par. II. obser. 14., §. 10. p. 414 sq. haud displicuere, atque Mazochio quoque Disquisit. in Genes. libri titulum p. 9. sq., fuere probata, uti superius observatum est, ostendere adnixus, indeque quammaxime, quod sicut olim Chananaeis, sic deinde Hetruscis idem Divinationes sectandi insederit studium; idem Urbis *Etroth* Numer. XXXII. 34, & *Arnonis* fluvii nomen fuerit; eadem linguae utriusque indoles; iidem Religiosi usu ritus venerint; eadem in duodecim Tribus distributio adlibuerit; eademque multa Instituta alia fuerint accepta. Inde fieret igitur, cum Mariani, tum Maffeji opinione, ut prisca apud Hetruscos Anni forma haud altera ab Assyriaca, sive a Chananea, seu Hebraica, cujusce utpote genti primam Hetrusci deberent originem.

VI. Verumtamen Viri doctis. utriusque venia aliò prorsus *Athuria*, *Thuria*, *Assyria* spectant; quam ipsi putent, ut quae Straboni, Xiphilino, atque Chaldaeis Paraphrastis non altera profecto est ab *Adiabene*, quod probat etiam Joh. Clericus in Comment. ad Genes. X. 22. p. 99, cum Bocharto tamen Geog. Sac. lib. 2. cap. 3. p. 71. sq., & lib. 4. cap. 12. p. 229. sq. latius Assyriae nomen patuisse haud inficiatus. Ab *Assur* vero indistinctus *Thuras Semi* filius habitus est Suidae V. Θῦρας, Johanni Antiocheno apud Salmasium in Solinum p. 1235, Etymologico in Lex., Auctori Chronici Alex. p. 38. edit. Paris., Ven. p. 31., Cedreno in Compend. Hist. p. 15, &c.; cui sane *Martis* inditum fuisse nomen, in Thracia vero extincto, ab Assyriis erecta Statua, ac Persica lingua *Baal* dictus fertur, quo de Bochartus Geog. Sac. lib. 2. cap. 3. p. 73, Hornius in Sulpicium Severum §. 84, & Abbas Sevinus in Monum. Acad. Scient. Paris. T. IV. p. 479: quibus patet Thuram Assyriae Urbium Ninives, aliarumque conditorem nihil prorsus

ad

ad Hetruſcos pertinere; velleque a *Thurae* nomine Tyrrhenos, ſive Hetruſcos, ſive Tuſcos derivare, nihil aliud eſſe, quam ingenio liberius, atque libentius, plus quam oportet, indulgere. Ab eadem vero derivatione plurium in utraque lingua vocum eamdem velle quoque Gentis utriuſque originationem augurari, quam infirmi ſit argumenti genus ex dictis in Proleg.III. T.II. p.143. ſqq., Art.I. p.350., & Art.III. p.419. ſq. abunde patet. Multo adhaec minorem veri ſpeciem habent, quae in Fragmentis Antiq. Hetruſ. ſcripſit Inghiramus de *Noachi* cum filio *Japheto* in Hetruriam adventu, deductaque Colonia, de Litteris, & lingua veteri Hetruſca parum ab Hebraea difformibus &c., quae multis ſane exploſa a Richardo Simonio Bibl. Crit. T.II. cap.5. p.101. ſqq. videre eſt. Etſi vero detur Hetruſcis pleraque cum priſcis Chananaeis fuiſſe communia, non inde fit, quod confeciſſe ſe putat Maffejus, ut e Chananaeis originem Hetruſci duxerint. E *Moyſis* enim legibus pleraque ſuos in mores, quin & Reipublicae formam transferre Hetruſci potuere: quemadmodum *Critiam* ſuum, ſeu *Athlanticum* ex Judaeorum libris conſtruere fas Platoni fuit, veluti demonſtratum dedere Claudius Matthaeus Olivierius in diſſert. de Critia Platonis inter diſſertationes Sallengre, ac poſt ipſum Scarbau Obſerv. Sacr. Par.II. p.382. ſqq.; quin attamen a Chananaeis ideo deſcendere Hetruſcos oportuerit.

VII. Atque Hetruſcis olim perſpectos approbe fuiſſe *Moyſis* libros argumento eſt, haud obſcuro vetus Scriptor Hetruſcus apud Suidam V. Τυῤῥηνία, ubi quae de Κοσμοποιΐα *Coſmopoeia*, ſive de Mundi Creatione tradit, eadem e libro Geneſis interpolaſſe liquido adparet. Ita nempe a Deo in Mundi creatione, & conſervatione uſque ad ejuſdem Mundi conſumationem Annos duodecim mille impenſos fuiſſe ſcripſit, ut loco dierum ſex, quot a Moyſe deſcripti fuere, ſex Annorum millia in Opificio ipſo Mundi inſumpta fuerint, ac 1. Millenario conditos Caelos, ac Terram; 2. Firmamentum factum; 3. Mare, & Aquas; 4. Solem, Lunam, ac Stellas; 5. Volucres, Piſces, ac Reptiles; 6. Homines; ita ſcilicet ut ante Hominis creationem Annorum ſex chiliades effluxerint,

rint, a Creatione vero Hominis usque ad Mundi finem totidem Chiliadibus sex duraturum Genus humanum sit; adeoque ut totum Creationis opus, atque Conservationis Annis 12. mille sit absolvendum. Videndi Scriptores Angli Hist. Univ. Introd. T.I. edit. Ven. p.135. sqq., atque Mazochius Spicilegii Bibl. T.I disquisit. de Titulo libri Genes. sect. 2. p. 8. sqq., ubi copiose de Hetrusca Cosmopoeia ista disserit. *Arnon* denique, quo de Num. XXXII. 34. nihil ad *Arnum* Hetruriae fluvium attinet, ut qui in Arabiae deserto fuisse legitur Num. XXI. 13, atque Moabitidem divisisse ab Amonitide dicitur Jopho Antiq. lib. 4. cap. 4, cui similia Eusebius de Locis Hebr. habet, conferendusque Joh. Clericus Comm. in Num. XXI. 13. p. 777, & in Adpend. ad Genes. dissert. 1. de Sodomae, ac finit. Urb. subversione §. 11. p. 675, sq. Atqui denique si non *Advena*, sed *Indigena*, veluti longe veri habuit similius Dionysius Halic. lib. 1. p. 18, ac post ipsum Cluverius Ital. lib. 2. cap. 1. p. 435. sq., Hetrusca Gens fuit, haud longe dissimilem a Latina ipsis adhibitam Mensium, Annique fuisse rationem augurari fas erit. Multo vero magis, post idest, quam U. C. anno 538. in Provinciam Romanam Hetruria redacta fuit, M. Junio Sillano Propraetore ei praefecto; post imo, quam U. C. anno 435. inter Populi Romani socios adsciti Hetrusci fuere, Livio lib. 9. T.I. edit. Francof. 1588. p. 158. sq., Patav. 1740. lib. 9. cap. 11, ac Polybio apud Sigonium de Antiq. Aure Ital. lib. 1. cap. 9. edit. Mediol. T.V. p. 321. sqq. testibus, Latini Anni formam jam tum Hetruscis acceptam fuisse augurari fas est; quibus vicissim ab Hetruscis deinde Romanos accepisse Fasces, Lictores, Trabeam, Praetextam, Curulem sedem, Togam pictam, Palmatam tunicam, Tubas, Sacrorum Ritus, aliaque Imperii ornamenta observat Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 3. cap. 28. p. m. 173.

VIII. Qua de Latinis usurpata Anni forma modo loquendo, principio cum Veteris, Novique *Latii*, unde peculiari Italiae Populo nomen adhaesit, limites definire, tum Gentes lingua, moribus, legibusque diversas, quibus Italiae pars ista nobilissima, ingensque primum inhabitata fuerit, paucis, quoad ejus fieri poterit, indicare non poenitebit.

La-

Latium itaque, quod a *Latebra*, Hebraice לָט *Lat*, quo etiam Latine significatur *Latebra*, nomen tulisse, putatur, quod in ea Regione latebras a *Jovis* indignatione fugiens *Saturnus*, Hebraice סָתוּר *Satur*, quod est Latine *Latitans*, veluti notavit Vossius de Philos. Christ. lib. 7. cap. 4, quaesivisset; non quod Indigenis nomen indiderit, quos a *Latino* Rege *Fauni* filio nomen accepisse demum, ante dictos *Aborigines*, longe veri sit similius, qua de nomenclatione Corradinus Veter. Latii lib. 1. cap. 5, *Latium*, inquam, Vetus ab ora Maritima Ostia usque ad Circejos Montes extendebatur, idest ab Occasu fere Tiberis, (Albulae olim, ac *Tiberis* deinde a *Tiberio* Rege in eo demerso dicti), ac Hetruscis, a Septentrione Aniene, & Sabinis, ab Ortu Ufente fluvio, ac Volscis, a Meridie Tyrrheno Mari conclusum. Novum postea *Latium* usque ad Lirim fluvium, hodie Garilianum, Sinuessam, ac Vulturnum exporrectum fuit, quo de utroque Latio Strabo lib. 5. p. 159. sq., Plinius lib. 3. cap. 5, Sigonius de Jure Antiq. Ital. lib. 1. cap. 3, aliique mox referendi. Qui vero *Latio* Populi antiquo primi insedisse Jaones, seu Ausones, seu Aurunci, Pelasgi, (quo sane nomine, Cicerone de Finib. lib. 2, ac Stephano de Urb. testibus, a Graecis illos fuisse vocatos, quorum opera in Agris excolendis Itali utebantur, observat Petrus Victorius Diversarum Lectionum lib. 1. cap. 10.), Arcades, Aborigines, Siculi, Troades, Rutuli, Lacedaemonii &c., & ultra Circejos, Latii Veteris idest limites, Oenotrii, Volsci, Osci, Aequi, Opici, Samnites &c., testibus Plinio lib. 3. cap. 9, Dionysio Halic. lib. 1. p. 6. sqq., Servio ad Aen. 1, Livio lib. 1, Macrobio Satur. lib. 1. cap. 7. sqq., Aulo Gellio Noct. Attic. lib. 1. cap. 10, aliisque infra laudandis, qua a *Jano*, ac *Saturno*, qua ab *Oenotro*, & *Peucetio*, qua ab *Ausone*, & *Hercule*, qua a *Pico*, ac *Fauno*, qua ab *Evandro*, & *Aenea* &c. transducti, quibus de Coloniis, annis facile octingentis ante primam Olympiadem in Italiam transplantatis agunt prae aliis M. Varro de Ling. Lat. lib. 4. cap. 7, Virgilius Aen. lib. 7. v. 35, & lib. 8. v. 54, & 357, Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 5. cap. 7, Sigonius de Antiq. Jure Ital. lib. 1. cap. 3, Auctor Orig. Gent. Rom.,

Rom., Aurelius Victor creditus Andreae Schotto ibid. p.20, Ligorius in Mss. Othobonianis apud Corradinum p.15., aliique longe plures apud Cellarium Geog. Antiq. T.I. lib. 2. cap. 9. sect.3. p. 630. sqq., Petrum Marcellinum Corradinum in Vet. Latio T.I. lib.1. cap.1. sqq., ac Theodorum Ryckium in dissert. de Primis Italiae Colonis ad calcem Stephani Byzant. de Urb. p.395. sqq., ubi Aeneae praesertim in Italiam adventum cum Graecorum, atque Romanorum Scriptorum liquidis testimoniis dilucide cap.10. comprobat, tum contraria Cluverii Italiae Antiq. lib.3. cap.2. p.832. sqq., atque Bocharti in Epist. ad Reginaldum Segresium Oper. T.II.p.1062. sqq. argumenta cap.12. egregie convellit; quod argumenti genus adversus eumdem Bochartum pro Aeneae in Italiam adventu egregie exagitavit Illustriss. Blanchinius Hist. Univ. dec.III. cap.29. §. 2. p. 390. sqq.; Cluverii ex adverso, & Bocharti partes defendendas acriter suscepit Devignolius Chron. T.II. lib.6. cap. 5. p. 817. sqq., haud magis attamen firmis momentis; atque recolenda, si libet, quae de Italiae Colonis abunde, opinor, super. Volum.II. Proleg. III. §. LXXI. sqq. p.147. sqq. disputata sunt.

IX. Inde mirum itaque haud est, ut Latinis tot undique, tamque diversis e Populis in Italiam olim transfusis, non iidem primum usu Fasti venerint, non eadem prisca fuerit Anni forma usurpata, sed admodum diversa pro diversitate generis, moris, ingeniique. Apud Umbros itaque Annum Mensium 14. fuisse, apud Lavinios Mensium 13, dierum 370, aut 374, apud Albanos Mensium 10, auctores sunt Censorinus de Die Nat. capp.7, & 15, ac Solinus Polyh. cap.3, antiquioresque alii M. Varro, Fulvius Nobilior, ac Junius Gracchus apud ipsos; adeundique Paulus Marsus ad Ovidium Fast. lib.1. sub init., & Alexander ab Alex. Genial. dier. lib.3. cap.24. Quamquam ejusdem Trojani genus Albani, ac Lavinii siquidem fuerint, hi ab *Aenea*, a filio *Ascanio* illi conditi, principio eamdem utrisque adhibitam fuisse Anni formam, *Albani* nempe, post a *Romulo* receptam; perinde vero post *Numae* aetatem a Laviniis Anno *Lunari* cum *Solari* pariando additum fuisse Mensem, Annumque ideo Mensium XIII. effectum opinor.

nor. Latinis prius ab *Evandro* edoctis Arcadum Trimestrem juxta Macrobium Satur. lib. I. cap. 12, ac Plinium lib. 7. cap. 48, aut Quadrimestrem, juxta Plutarchum in Numa, Annum fuisse usurpatum quidam opinantur; postea vero a *Romulo* Mensium x, ac dierum 304. institutum fuisse docent Junius Gracchus, Fulvius Nobilior, M. Varro, Svetonius de Illust. Grammat., Censorinus de Die Nat. cap. 20, Macrobius lib. I. cap. 12, Plutarchus in Numa, Solinus cap. 3, Ovidius Fast. lib. I. v. 25. sqq., & lib. 3. v. 119. sqq., Servius ad Georg. I, Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 3. cap. 16, Procopius de Bello Goth. lib. I. cap. 24. Byzant. Hist. Script. T. II. edit. Ven. p. 45, Jornandes de Regnor. Success. Rer. Ital. Script. T. I. p. 225, &c., quos agmine juncto sequuntur Aldus Manutius de Ratione intercal. Antiq. Rom. Suppl. Sallengre T. I. edit. Ven. p. 793, Alexander ab Alex. Genial. dier. lib. 3. cap. 24, Antonius Sabellicus in Livium lib. I. cap. 14, Glareanus Loritus ibid., Willelmus Godelevaeus in Scholiis ad Livium cit. loco, Joh. Velcario in Annot. ad eumdem Livii locum, Origanus Ephem. p. 43, Ricciolius Chron. Reform. lib. I. cap. 21, Andreas Cirino de Urbe Roma cap. 54. Antiq. Rom. T. II. p. 614, Hieronymus Bossius de Strena cap. 10. ibid. p. 1443, Rosinus Antiq. Rom. lib. 4. cap. I. p. 327, Gassendus de Kalend. Rom. cap. I. Antiq. Rom. T. VIII. p. 143, Petrus Viola de Vet., & Nova Rom. Temp. ratione ibid. p. 175, Johannes Lalamantius de Anno Rom. eodem T. VIII. p. 262, Jacobus Christmannus de Kalend. Rom. eodem loci p. 288, Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 72. sq., Corradinus Vet. Latii lib. I. cap. 14. p. 164. sq., aliique plures, quos longius persequi nihil attinet.

X. Quamquam, ut verum fatear, neque defuere, qui a *Romulo* Annum, *Lunarem* utique, in Menses XII, diesque 354, aut 355. distributum fuisse adfirmare, etsi minus vere, mea quidem opinione, non dubitaverint, L. Cincius Alimentius, C. Licinius Macer, L. Fenestella, M. Terentius Varro apud Censorinum cap. 20, Plutarchus Quaest. Rom. cap. 19, Servius ad Aen. III. &c., quibus adstipulari haud ambegere, Sigonius in Scholiis ad Livium lib. I. cap. 14, Josephus Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 172. sq., & Antiq. Rom. T. VIII.

 p. 310,

p.310, Sibrandus Siccama de Vet. Anno Romuli ibid. p.83, Lindenbrogius in Censorinum cap.20, Jacobus Thuanus T.III. p.575, Matthias Martinius in Lex. Philolog. V. December, Joh. Garcaeus de Temp. p.39, apud Munckerum de Intercalat. lib.3. cap.6.p.195. sq., quos omnes in uno Scaligero abunde refutatos ab uno Petavio loc. cit. habes, quin rem actam ego agam. Quin imo sub *Romulo* apud Romanos Menses quidem certo haud fuisse numero definitos, neque probe *Solis*, atque *Lunae* periodos fuisse perspectas, Annum tamen dierum 360. factum diserte scripsit Plutarchus in Numa p.71. Quem Plutarchi locum in mendo quidem cubare, atque pro 360. reponendum fore 354. adnotat Dacierius, ast Plutarchum vindicandum adorsus De Vignolius in Chron. Hist.Sac.T.II.lib.6. cap.6. p.861. sqq., manu eum medica haud indigere contendit, tum Annum revera sub *Romulo* diebus 360. constitisse persuasum habens, argumento inde ducto, quod prisca isthaec Anni forma diebus 360. constantis Aegyptiis usurpata, inde ad Graecos translata, ab hisque ad Latinos transfusa fuerit: quam tamen Viri doctiss. hypothesim de veteri tam Aegyptiaco, quam Graeco Anno haud firmam undique stare suo abunde patefactum est loco. Adhaec ex Lucii Tarusii Horoscopo, quem Varronis rogatu, de *Romuli* conceptione, ac Romae conditu edidit apud Plutarchum in Romulo p.24, quove sane *Romuli* conceptum *Chojac* Aegyptiaci die 23, idest Junii die 24, Olympiadis 2. anno 1, hoc est Periodi Jul. anno 3942, natalem die 21. *Thoth* contigisse; Romam vero Periodi Jul. anno 3960, die 9. *Pharmuthi*, nempe 29. Octobris, ab eodem, aetatis annum 18. tum agente, conditam indicat, ex hoc, inquam, Horoscopo sic instituto calculo, ut a die 21. *Thoth*, quem cum Martii diem 21. Periodi Jul. anno 3943. concurrisse putat, a *Romuli* natali idest, usque ad Periodi Jul. annum 3960, diem vero 29. Octobris, natalem idest U. Romae C., annos 17. diebus 360. utique constantes, ac Menses 10, diesque 21. effluxisse, indeque apud Romanos Annum jam tum diebus 360. constitisse sibi colligere videtur.

XI. Verum etsi Tarutii Horoscopus ab omni detur errore integer, quod inficiati sunt attamen Scaliger de Emend. temp.

temp. lib.5. p.388, Calvisius Anno M. 3178. p.202, Petavius Doct. temp. lib.9. cap.54, Marshamus in Can. Chron. Seculo XVI. p.501, Pontedera Antiq. Latin., & Graec.Epist.33. p.304, aliique; detur etsi Olympiadis 2. anno 1, sive Periodi Jul. anno 3942. cum die 23. *Chojac* Junii diem 24. concurrisse in Anno vago Aegyptiaco, quod inficias tamen ivit Scaliger, a Tarutio Anni fixi Aegyptiaci formam adhibitam fuisse opinatus, in qua dies 23. *Chojac* sane in Decembris Juliani diem 19. incidit; atque detur tam diei 21. *Thoth* Martii diem 21, quam *Pharmuthi* diei 9. diem 29. Decembris respondisse, quo de postremo tamen valdequam dubitare fas est, Romae siquidem Natalis dies xi. Kalendas Majas, sive Aprilis die 21, quo *Palilia* nempe Romae celeberrima erant, consignatus Romanae Historiae Scriptoribus legitur, Varroni, Solino cap.2, Kalendariis &c., videndusque Petavius Doct.temp. lib.9. cap.54. sq., ubi ex Tarutii apud Plutarchum Horoscopo Romam ipse Olympiadis 6. anno 3, Periodi Jul. 3960, Octobris die 4, in quam *Pharmuthi* diem 9, Albani, sive Romulei anni diem 21. Aprilis incidisse putat, conditam fuisse colligit, etsi, inquam, totum id De Vignolio detur, ipso tamen fatente, a Tarutii computo, quo diei 29. Octobris Romae natalis consignatur, Varronis computus, quo Natalis hic in diem 21. Aprilis confertur, Mensibus 6. fere discrepat; ipsoque vidente, Eutropius lib. 1. sub init., Dionysius Halic.lib.1.p.66, & lib.2. p.119, &c. a *Romulo* conditam Urbem aetatis anno 18. referentes, an de Annis 18. completis loquuti fuerint, dubitare fas est; quò fit, ut inde certa Romani tum Anni forma definiri nequeat. Jungi alioqui, pro hacce de *Romulaeo* diebus 360. constante Anno opinione, illud quoque poterat, quod de *Jani* Simulacro a *Numa* ita dedicato, atque figurato fertur, ut dextera manu T, qua Graece 30, finistra vero Ξ, qua 60, ac E, qua Graece 5. significantur, litteras praeferret. Verum Plinius lib.34. cap.7. liquidum se testem praestat *Janum* digitis ita figuratis a *Numa* expressum fuisse, ut in Anno dies 355. dumtaxat indicaret. Quem Plinii locum frustra sane vexat, sollicitatque Ludovicus Caelius lib.3. cap.21. apud Hostium de Veter. Mens., ac Pond. Oper. T.II. de Numerat. Lo-

gistica cap.6. p.553.sq., legendum ibi 365. opinatus; Plinii siquidem Exemplaria cum Ms., tum Edita 355. constanter habeant. Stat itaque, mea quidem opinione, quod apud Latinos a *Romulo* Annus primo Mensium 10, ac dierum 304. factus utique fuerit, qua pro sententia nobiliores Romanae Historiae Scriptores stare supra vidimus. Quamquam ea sub aetate, ac postea nec idem Latinis omnibus Anni cardo, nec idem Mensium ordo, ac numerus, nec eadem dierum ratio, & dispositio inerat. Nam Romanis a *Martio* auspicia ducebat Annus; Albanis, Tusculanis, & Ariciis ab *Aprili*; Ferentinis, Sabinis, Pelignis, & Oscis a *Majo*; Laurentibus, & Faliscis a *Quinctili*; Hernicis a *Sextili*; Aequicolis a *Decembri*; de quibus Festus de Verb. signif. lib.11, & Ovidius Fast. lib.3. v.87. sq. *Martium* iterum dierum 36. habuerunt Albani; *Majum* dierum 22; *Sextilem* dierum 18; ac *Septembrem* dierum 16. Tusculani vero *Quinctilem* dierum 36; & *Octobrem* dierum 32; Aricini vero *Octobrem* dierum 39. facere delectati sunt, Censorino de Die Nat. capp.9, & 22. referente; videndique Scaliger de Emend.temp.lib.1. p.10, Langius de Vet.Anno Roman. lib.1. cap.15, ac Petavius Doct. temp.lib.2. cap.74.

XII. Itaque *Romuli* jussu Romae Mensis initium a *Lunae* phasi deduci cepisse tradunt Censorinus loc.cit., & Macrobius Saturn. lib.1. cap.15; indeque factum subjungunt, ut siquidem *Luna* modo citius, modo tardius se conspiciendam praeberet, ut Menses alii, sex nempe, dierum 30, alii, quatuor idest, dierum 31. fierent. Ita nempe, ut quatuor Menses *Martius*, *Majus*, *Quinctilis*, & *October* singuli dierum 31.forent, & reliqui sex dierum 30, atque illi Nonas *Septimanas* haberent, idest dies 7. contingentes, isti *Quintanas*, idest dies 5; ac praeterea in illis post exactas *Idus*, dies 17, in istis dies 18. ante Kalendas Mensis insequentis dinumerari solerent. Annum vero Mensium decem, juxta veri longe similiorem sententiam, institutum a *Martio* incipere *Romulus* jussisse legitur, sive a Verno *Aequinoctio*, qui per omnes ideo vagari Anni tempestates cogebatur, nullo froeno coercitus, tandiuque impune vagari permissus est, quandiu *Romulus* imperavit, per annos 37. nempe, atque Interregni praeterea fere biennium.

Duo-

Duobus postea Mensibus *Januario*, ac *Februaria* adauctus, vel a *Numa*, uti docet verius Macrobius lib. 1. cap. 12. sq., vel a *Tarquinio Prisco*, ut habet minus vere Junius Gracchus apud Censorinum, Annus deinceps initium cepit a *Januario*, sive ab Hyberno *Solstitio*: qua de re plura dabunt Alciatus in L. *Quum Bissextus* ff. de Verbor. signif., & Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 3. cap. 24. Nempe Censorino de Die Nat. cap. 8. referente, a Phrygiis Anni formam Albani, ab hisque deinde Romani, sub *Romulo*, acceperant; receptoque antiquissimo Gentium fere omnium more, Anni caput a Verno *Aequinoctio* deducendum didicerant. Ita namque apud Sinenses Anni cardinem a *Novilunio*, *Solis* ingressui in *Aquarii* gradum 15. proximiori, repeti consuevisse observat Bartholus Chinae lib. 1. p. 60, Semedus Hist. Chin. lib. 1. cap. 11, Coupletus in Adpend. ad Confucium &c.; ita Aegyptiis, atque Graecis Anni principium, antequam Olympiadum usus obtinuisset, Annique cardo ad Aestivum ideo *Solstitium* delaberetur, a *Novilunio* Verno *Aequinoctio* proximiori cepisse tradit Censorinus capp. 7, & 9, atque pluribus ostendit Blanchinius Hist. Univ. dec. 1. cap. 5. p. 145. sqq. Quod Anni principium sane Lucernis accensis peragi consuevisse, atque circa Vernum *Aequinoctium* utique ab Aegyptiis perhibent Herodotus lib. 2. cap. 62, & Clemens Alex. Strom. lib. 1. p. 306; a Sinensibus refert Bartholus Hist. Chin. lib. 1. p. 55; a Graecis adparet ex Lucerna *Minervae* in Templo Atheniensi a Callimacho dedicata, qua de Pausanias in Atticis p. 48, ex Tabula Marmorea Card. Nerli apud Ciampinum de Musivis Oper. T. I; ex Lapide antiquo apud Sponium, ac Whellerum Itin. lib. 3. p. 516; a Latinis, quos Lucernarum festum a Phrygiis accepisse referunt Valerius Maximus lib. 5. cap. 4, Ovidius Fast. &c.; comprobat Alexander ab Alex. Gen. dier. lib. 3. cap. 24. p. 169; atque liquet Veteribus ex Lucernis apud Petrum Sancti Bartoli de Lucernis Antiquis Par. III. n. 5. 21. &c., ac Blanchinium cit. loco p. 150.

XIII. Immutata sed enim subinde Anni ejusmodi ratio est, & ab *Aequinoctio* Verno retrotractus ad Hyemale *Solstitium* Anni cardo, atque duobus adauctus a *Numa*, ut innui, Men-

Mensibus est: (quamquam a *Symphronio* Februarium, & ab *Aurelio Clepa* Aprilem, Graecis *Afronitem* dictum, melius Α'φροδίτην, adjectos fuisse scripsit Anonymus Ambrosianus a Muratorio editus Anecd. Latin. T. III. in libro de Computo p. 139.) A *Numa* itaque, cui doctrinae, legumque auctorem *Pythagoram* fuisse plerique ferunt; quos tamen refellit Livius lib. 1. cap. 18, longe namque post *Numam* floruisse *Pythagoram* indubium est, ut qui ante Olympiadem 43. natus haud sit, quin imo Anno 1. Olympiadis 53. dumtaxat lucem adspexerit, uti Dodvvello visum: quae ut componeret Plutarchus in Numa, *Pythagoram*, a quo edoctus est *Numa*, non Philosophum illum fuisse Samium, qui prope Metapontum, Heracleam, & Crotonem in Magna Graecia Scholam instituit, sed Lacedaemonium illum Pugilem, qui Olympiade 16. in Olympico ludo stadium vicit, qui scilicet in Italiam descendens *Numae* in constituendo Regno Socium se dederit: quae proprio de ingenio a Plutarcho conficta, Romanae Historiae silentibus ubique Scriptoribus, aestimari debent, abundeque a Dodvvello refutata fuere; a *Numa*, inquam, Annus, *Romulaei*, sive *Albani* loco *Sabinus*, aut *Tuscus* inductus fuisse, isque, Graecorum instar, ad *Lunae* rationes ex diebus 354. institutus fertur, qui praeterea, *Impari* delectatus numero, diem unum addidisse, singulosque Menses, excepto Februario, quo Diis *Manibus* justa solvi voluit, imparibus constare diebus jussisse Plutarcho in Numa, Macrobio Satur. lib. 1. cap. 13. &c. refertur. Cujusmodi cum a *Romulo*, tum deinde a *Numa* instituti quae fuerit Anni forma, ex adposito facile disci Schemate potest.

MEN-

MENSES
VETERUM LATINORUM
JUXTA ROMULUM.

I.	Martius	Dier. 31.	VI.	Sest'olus	Dier. 30.
II.	Apercilis	Dier. 30.	VII.	Sept'imber	Dier. 30.
III.	Majus	Dier. 31.	VIII.	Oct'imber	Dier. 31.
IV.	Jounius	Dier. 30.	IX.	Nov'imber	Dier. 39.
V.	Quint'olus	Dier. 31.	X.	Dec'imber	Dier. 30.
					304.

JUXTA NUMAM

I.	Januarius	Dier. 29.	VII.	Quinctilis	Dier. 31.
II.	Februarius	Dier. 28.	VIII.	Sextilis	Dier. 29.
III.	Martius	Dier. 31.	IX.	September	Dier. 29.
IV.	Aprilis	Dier. 29.	X.	October	Dier. 31.
V.	Majus	Dier. 31.	XI.	November	Dier. 29.
VI.	Junius	Dier. 29.	XII.	December	Dier. 29.
					355.

XIV. Veterem hancce tamen, Romanae Scriptorum Historiae alioqui testimonio stabilitam, de Anno cum a *Romulo* dierum 304, tum a *Numa* deinde dierum 355. constituto sententiam loco, quo diu integra steterat, detrudere suo demum adnixus est Vir caeteroqui Doctiss. Julius Pontedera Antiq. Latin., & Graec. Epist. 34. p. 310. sqq., in ea ipse opinione obversatus, ut a *Numa* sane non aliam, quam Chaldaici, atque Graeci, diebus 350. constantis, Anni formam apud Romanos inductam fuisse putaret. Hancce porro Anni formam e Chaldaea migrasse in Graeciam, indeque pariter in Latium fuis-

fuisse transfusam; eam & a *Sabinis* origine Lacedaemoniis, & ab *Hetruscis* genere Lydis antiquitus usurpatam, eamdemque vel a Sabinis *Numam*, & ipsum Sabinum, vel ab Hetruscis, & ipsum Hetruscum, accepisse *Tarquinium Priscum*, atque Romanis communicasse haud ambigit, eo ad id argumento ductus, quod *Terminalia* siquidem cum Februarii die 23. finirentur, eodem quoque die apud Latinos Annum finem accepisse putet, ideoque diebus 350. dumtaxat Annum tum fuisse conclusum. Ast enim perperam a Viro doctiss. antiquissimam Anni tam Chaldaici, quam Graeci formam dierum 350. dumtaxat spatio circumscriptam fuisse, eamque diebus 360, prius quam *Lunaris* dierum 354. fieret, definitam fuisse, abunde, opinor, T.I. Art.II. §.XXII. de Mens., & Annis Chaldaeorum &c. p.445. sq., atque T.II. Art.IX. de Mens., & Annis Atheniensium &c. §. III. sq. p. 332. sqq. ostensum dedimus. *Terminalia* festa quod attinet, cum Februarii die 23. illa finiisse haud difficiles fatemur, non item cum festis ipsis Februarium, Annumque finiisse. Quo loci gravis ea, quae grave admodum Chronologis facessivit negotium, enodanda difficultas occurrit, an Februarius postremum, an secundum in Anno locum occupaverit, cujus e dissolutione Veteris apud Romanos Anni ratio dependet. Februarium itaque postremum Anni constitutum a *Numa* fuisse Mensem diserte tradunt Macrobius Satur. lib. 1. cap. 13, Ovidius Fast. lib. 2. v. 42. sqq., Varro de Ling. Lat. lib. 2, Plutarchus in Numa, & Quaest. Rom. q. 19, Festus, Cicero de Legib. lib. 2. &c., quos sequuntur ex Nuperis Paulus Marsus in Not. ad Ovid. loc. cit., Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 175, Petavius Doctr. temp. lib. 2. cap. 74. &c. Contra vero Februarium a *Numa* secundo positum in Anno fuisse loco, atque Januario proximum liquido docent itidem Macrobius Satur. lib. 1. cap. 12. sq., Ovidius Fast. 1, & Ausonius in Monostichis de Mensibus, queis adhaerent Antonius Constantius Fanensis in Not. ad Ovid. Fast. II. v. 42, aliique. Alii vicissim diffidentia ista componere ita demum studuere, ut a *Numa* siquidem Intercalandi ratio bis immutata in Anno fuit, ita pariter Anni bis immutata fuerit ratio, ut primo Februarius postremum in Anno locum occupaverit, postea secun-

cundum, atque ita Manutio de Intercalat., ac Gronovio Observat. p. 354. visum est. Verum eorum mihi arridet magis opinio, quibus a *Numa* duplex apud Romanos inducta fuisse Anni forma visa est, *Sacri*, in quo Intercalationes fieri, atque peragi Festa debebant, in eoque Februarium utique postremum fuisse Mensem putant; & *Politici*, in quo Magistratus inaugurari, resque administrari publicae solebant, in eoque Februario secundum factum locum fuisse non negant, veluti Jacobus Pinonus Senator Paris. de Anno Rom. p. 15. sq., atque Munckerus de Intercalat. lib. 3. cap. 9. p. 212. sqq. Itaque Februarius siquidem, Romanis utpote Scriptoribus fidem abunde facientibus, in Anno *Politico* diebus 28, ideoque Annus diebus 355. constiterit, totidem dierum 28. in Anno *Sacro* eumdem fuisse Februarium oportet, ideoque reliquos quinque dies, a die 23. scilicet ad diem 28, in Anno *Sacro*, velut apud Chaldaeos, Aegyptios, Graecos &c., sic apud Romanos tanquam Anni *Sacri* Adpendices habitos fuisse, proque diebus *Adscititiis*, pro Anno *Sacro* nempe cum *Politico* aequando adjectis, qui Anni *Sacri* extra metas decurrerent, atque statim post *Merkedonium* pertexerentur, augurari pronum est. Jungendum & illud, quod Februarii die 24. observari *Regifugium* perpetuo Romae consuevit, Varrone de Ling. Lat. lib. 5. cap. 3, Censorino de Die nat. cap. 22, Macrobio Satur. lib. 1. cap. 13. &c. testibus; quod argumento locupleti est Februarium e diebus plusquam 23. fuisse compositum. Stat itaque, quod a *Numa* dierum 355. constitutus fuerit Annus, hoc est ad *Lunae* rationes, Graecorum exemplo, digestus.

XV. Quoniam autem Graeci, referente Macrobio Satur. lib. 1. cap. 13, Annum se temere diebus 354. definivisse, ordinasseque animadverterant, & *Solem* diebus 365. cum quadrante cursum absolvere suum, proinde ne quotannis dies 11. cum $\frac{1}{4}$, quod operosum erat, ac difficile, intercalare cogerentur, octavo quoque Anno dies 90. ex diebus illis 11, horisque fere sex octies multiplicatis collectos, atque tres in Menses distributos, ultimo confecto Anni Mense, intercalandos existimarunt. Ad hunc itaque Graecorum morem, ut Annus *Solis* cursum assequeretur, Intercalares quoque dies apud Romanos in-

institutí fuere, vel a *Romulo*, uti Licinius Macer refert apud Macrobium lib. I. cap. 13; vel a *Numa*, veluti scripsit Antias apud eumdem, quem sequitur Aldus Manutius de Ratione intercal.; vel a *Tarquinio Prisco*, uti persuasum habuit Gyraldus de Mens., & Annis p. 759; vel a *Servio Tullio*, ut habet Junius apud Macrobium; vel a *Decemviris*, (fuere ii porro App. Claudius, T. Genutius, L. Sextius, L. Vetruvius, Cajus Julius, A. Mannius, Publ. Sulpitius, P. Curiatus, T. Romulus, Sp. Posthumius), veluti Tuditanus, & Cassius referunt apud Macrobium loc. cit., probatumque fuit Jacobo Pinoni de Anno Rom. p. 36, Petro Violae de Vet., & Nova Rom. temp. ratione Antiq. Rom. T. VIII. p. 175, & Petavio Doct. temp. lib. 2. cap. 74; vel a *Martio*, ut habet Fulvius apud Macrobium, U. C. anno 562, quem tamen refellit Varro apud eumdem; verius a *Numa*, veluti tradunt etiam Livius, ac Plutarchus. Romani nempe alternis bienniis Mensem dierum 22, ac 23. intercalandum suscepere, qui Mensis Intercalaris *Merkedonius*, (non vero Ὑπερκιδῖνος *Interjectitius*, velut emendare non tam illum temere, quam depravare ausus est Hadrianus Junius de Annis, & Mens. p. 58; non etiam a Μήν, Aeolice Μεὶς, Latine *Mer*, & Κηδέα, unde Κηδῖνιος, a *Cura* aequandi cum *Sole* Anni, uti Petitus in Miscell. p. 239. censuit, refutatus ideo a Gronovio Observ. p. 374.), sed a *Merkedona* Dea, quae *Mercedibus* praeesse credebatur, denominari, & in Kalendariis denotari consuevit: quibus in Kalendariis ideo Festivi dies etiam, solvendis *Mercedibus* deputati, *Merkedini* dicti; Festo teste, obsignari hacce *Merk.*, veluti Quinctilis dies 6, Septembris 4, & Novembris 3, nota solebant, qua de Scaliger de Emend. temp. lib. 4. p. 233. sq., & lib. 5. p. 441, Puteanus de Bissexto cap. 11, ac Munckerus de Intercalat. lib. 3. cap. 8. p. 203. sq. Qui sane dies 22, ac 23. quatuor intercalationibus, sive quolibet Octennio dies 90. conficiebant. Nempe praeter dies 22, qui priori biennio intercalari solebant, horae 12. supererant, quae sequenti biennio collectae dies 23. efficiebant, ideoque *Merkedonius* prior dierum 22. erat, *Merkedonius* posterior dierum 23. fiebat. Intercalari vero solebant dies illi 22, aut 23. post *Terminalia*, festa idest a Deo *Ter-*

mino

mino adpellata, non ab Anni Termino, de quibus S. Augustinus de Civit. lib. 7. cap. 7, Angelus Politianus Miscell. cap. 36, ac Dempsterus Antiq. Rom. lib. 2. cap. 20, hoc est post diem 23. Februarii, quo eadem Festa, a Rusticis quammaxime, celebrari solebant, ante diem 24. ejusdem Februarii, quem *Regifugium* perpetuo obsidebat, Varrone de Ling. Lat. lib. 5. cap. 3, Censorino cit. cap., & Macrobio Satur. lib. 1. cap. 13. testibus; adeoque ut quinque reliqui Februarii dies, usque ad diem 28. videlicet, tanquam Adpendices haberentur, atque post *Merkedonium* Anno pertexerentur: quo patet haud recte Scaligerum de Emend. temp. lib. 2. p. 177. sq., quem pone sequitur Langius de Vet. Rom. Anno lib. 1. cap. 15, putasse *Terminalia* interdum in diem 22. Februarii incidisse; quem ideo copiose refellunt Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 72. sq., Leo Allatius de Mens. temp., ac Mazochius in Campan. Scenicos Ludos cap. 8. p. 150. sq.

XVI. Ast enim Romanos oppido dies illa fefellit, quae *Imparis* numeri gratia Januario addita a *Numa* fuerat: ita quippe per annos octo dies 90. ex illis undenis, & quadrante confectos intercalando, dies octo praeterea Januario adjecti superabundabant, atque *Solis* cursum praeteribant. Cui demum vitio ut subvenirent, sive *Numa*, sive *Tarquinius Priscus*, sive *Servius Tullius*, sive *Decemviri*, sive *Martius*, sive *Furius*, queis de varias post Macrobium Saturn. lib. 1. cap. 13. persequitur opiniones Lilius Gyraldus de Mens., & Annis Oper. T. II. p. 761, tertio quoque Octennio intercalandos dies 66. dumtaxat duxere, non vero dies 90, veluti duobus superioribus Octenniis factum fuerat, proutque Graecis in more positum erat: quibus ideo singulus quisque Annus nonus dierum 444. fiebat, diesque illi 90. dici Ὑπερβαίνοντοι, Ἐμβόλιμοι, Ὑπερβάλλοντοι *Superjecti*, *Interjecti*, *Supervenientes* solebant; idest singulis annis 24. omittendum fore *Merkedonium*, sive Intercalationem statutum est: quo modo Annus Romanus cum *Solari* exaequatus credebatur. Itaque Annus 24. Periodus fuit *Romana*, Livio lib. 1. cap. 8, & Macrobio lib. 1. cap. 13. testibus, in qua decem erant biennia *Embolimaea*, & unum absque *Embolismo*. Livium porro, atque Ma-

crobium erroris, ac mendacii redarguere Scaliger de Emend. temp. lib. 2. p. 179. sqq. haud veritus, Periodum hancce, non annis 24. utique, velut a Duumviris illis definita fuerat, sed annis 22. dumtaxat ideo ipse definiens, quod *Merkedonius* dierum 22. esset, ideoque dierum 22. intercalatio dumtaxat omitteretur, erroris ipse vicissim Scaliger arguitur a Petavio Doct. temp. lib. 2. cap. 74. sq.; Anni namque *Romani* 24, non omisso *Merkedonio*, diebus 8790. constabant, Anni vero *Juliani* diebus 8766: differentia igitur erat dierum 24, quibus omissis praecisa fiebat aequatio. In Anno 24. itaque omisso *Merkedonio*, qui eo anno dierum 23. erat, omissoque die 1. superfluo, qui nempe dies 354. superabat, idest die trecentesimo quinquagesimo quinto, inde fiebat, ut Anni fieret aequatio, atque haec utrique fuerit dierum 24; fieretque singulis Annis 24, ideoque Periodus *Romana* fuerit annorum 24. Quo patet errasse perinde tam Petitum in Eclogis Chron. cap. 1. Antiq. Rom. T. VIII. p. 373. sqq., a quo Periodus illa *Romana* fit annorum 10, repetita vero Annorum 20, quam Langium de Vet. Anno Rom. lib. 1. cap. 15. cit. T. VIII. p. 405, a quo Petitus quidem refellitur, sed eadem Periodus ad annos non plus quam 20. extenditur. Quò denique fit, ut Scaligeri prorsus concidere oporteat commentum, quo nempe Periodum *Romanam*, Annis 22. ita definitam, primam incepisse opinatur ab anno primo *Lustri*, (quod & primum anno 10. *Servii Tullii* conditum, quò Ludorum *Secularium* etiam referendam originem esse putat); cepisse secundam a tertio, tertiam a quinto, quartam a secundo, & quintam a quarto, in sexta vero *Lustrum* rediisse suum in orbem; atque tempus hocce totum Romanis fuisse *Seculum*; fuisseque *Lustrorum* 22, *Periodorum* 5, Annorum 110, post quos Anno 111. ineunte Ludos habitos *Seculares* fuisse: quo scilicet Annum in *Solem*, *Lustrum* in Annum, *Periodum* in *Lustrum* convenisse censet: qua de commentitia Scaligeri Periodo sq. Volum., quum de Periodis sermo fiet, pluribus agendum nobis erit; videndus interea Petavius Doct. temp. lib. 2. cap. 76. sq., quo loci Scaligeri late figmenta refellit.

XVII. Quia vero intercalandi ratio ista, quae a *Numae* tem-

tempore per annos 630, aut 670, veluti Zwingero in Theatro p.4012. visum est, facienda post diem 23. Februarii Pontificibus, (quorum Collegium quindecim demum numero constitit), commendata fuerat, parum illis diligenter observata est, (quod inficias ire haud veritus Julius Pontedera Antiq. Lat., & Graec. epist. 40. p.340. sqq., liquidis refellitur Ciceronis de Legib. lib. 2. cap. 29, Censorini de Die nat. cap. 20, Plutarchi in Julio, Macrobii Satur. lib. 1. cap. 13. sq., Plinii lib. 18. cap. 25, Dionysii Halic. lib. 43, Svetonii in Julio cap. 40, Solini cap. 3, Ovidii Fast. lib. 3. v. 155. sqq., Ammiani Marcellini lib. 26. sub init. &c. testimoniis, videndusque Munckerus de Intercal. lib. 1. cap. 7. p. 47. sqq., ubi post Manutium pluribus ex Cicerone Famil. lib. 7. epist. 2, lib. 8. epist. 6, & ad Atticum lib. 5. epist. 9, & 13, locis vitiosum hunc ex arbitratu Pontificum intercalandi morem Ciceronis adhuc aevo Romae obtinuisse confirmat), Pontificibus, inquam, parum est observata, quia videlicet ob amorem, aut odium, quo ut qui Magistratu citius abirent, aut potirentur, aut quo publici Redemptores ut in lucro essent, aut damno, afficiebantur, plus minusque propria ex libidine Pontifices intercalare consuebant, magnaque proinde in Annos inducta perturbatio fuerat, atque tanta quidem, ut per annos 630, aut 670, quot Romano in Imperio *Numae* Kalendarium in usu fuit, Anni tempestatum ordo inversus adeo fuerit, ut *Hyems* Aestivis Mensibus, *Aestas* Hyemalibus adveniret, Sementis quoque, Messisque tempus Civili ex computo nulla jam auspicari ratione quiret, ingens proinde operae pretium fecit *Julius* Caesar, dum tertium ageret Consulatum, U.C. anno 708, Christi ante natalem 46, *Sosigenis* Graeci Astronomi ope, Annum ad *Solis* cursum, Aegyptiorum instar, dirigere, atque dierum 365. spatio cum quadrante constituere. Errori vero, qui obrepserat, ita occurrendum duxit addendo ad *Numae* Annum, qui diebus 355. dumtaxat constabat, dies 10. cum quadrante, ita nempe decem hosce dies distribuendo, ut dies 2. singulis Mensibus Januario, Sextili, ac Decembri, qui diebus 29. dumtaxat antea constabant, adjungerentur, ac dies 1. singulis aliis Mensibus quatuor Aprili, Junio, Septembri,

ac

ac Novembri dierum 29. & ipsis antea spatio definitis, aggregaretur, manente Februario dierum 28. in anno *Communi*, aut dierum 29. in *Bissexto*: *Ne Deûm Inferum religio immutaretur*, veluti Macrobius inquit, quia nempe *Parentalia*, festa Majorum Animabus placandis instituta, eo Mense celebranda fuerant, Ovidio Fast. lib.2. v.533. teste; ex quadrante vero singulis quatuor annis, horis 6. nempe, collecto, dies unus fieret, qui dies quadriennio quolibet diei 24. Februarii deinceps addi consuevit.

XVIII. Ut Annum vero *Solis* Periodo aequarent, qui eò usque prolapsus fuerat, ut *Aequinoctium* Vernum, non jam die 25, aut insequenti Martii, juxta Graecorum, Aegyptiorumque rationes, contingeret, sed imo in diem 17. Maji inciderit, & caput Januarii, sive Anni evaserit dies 13, aut 14. Octobris, Cicerone teste ad Atticum lib. 10. epist. 15, intercalandos duxit Caesar dies 65. juxta Macrobium, quem sequuntur Manutius, ac Scaliger, aut verius dies 67. juxta Censorinum, ac Dionem lib.43. p.226, queis adhaerent Petavius lib. 4. cap. 1, Puteanus, Lindenbrogius in Not. ad Censorinum &c., duos in Menses, inter Novembrem, ac Decembrem, dispertitos; atque confectus est Annus Mensium XV, idest *Numae* XII, *Merkedonii* I, ac *Caesaris* II, velut habet Svetonius in Julio Caes. cap. 40, sive dierum 443, juxta Macrobium lib. 1. cap. 13. sq.; aut verius dierum 445. juxta Censorinum cap.20, ac Dionem loc. cit., nempe conflatus ex Anno *Numae* dierum 355, ex *Merkedonii*, sive Intercalaribus 23, ac diebus 65, verius 67. a *Caesare* additis: qui Annus dierum 443, verius 445. ultimus fuit *Confusionis*, Macrobio, Censorino, ac Svetonio loc. cit. testibus, dictusque *Restitutionis* etiam Annus, quod ab eo scilicet Anno sequentes fuerint emendati; fuitque is primus *Julianus* Reformatus ante Christianam Aeram Annus XLV. Atque Censorini, Dionis, & Svetonii testimoniis utique *Confusionis* Annum illum fuisse dierum 445, viden, ut egregie inter alios confirmare satagat Willelmus Langius de Vet. Anno Rom. lib. 1. cap. 15. Antiq. Rom. T.VIII. p.412. sq.; quorum elevare perinde testimonia parum feliciter enititur Samuel Petitus de Anno, & Periodo

Vet.

Vet. Roman. cap. 2. eodem T. VIII. p. 378. ſqq., illum *Confuſionis* Annum diebus 422. dumtaxat conſtitiſſe contendens: adeundus etiam, qui hocce de argumento copioſe quoque diſſeruit, optimeque ab aliis diſputata collegit, Philippus Munckerus de Intercalat. Var. Gent. lib. 1. cap. 8. p. 50. ſqq., & lib. 3. cap. 10. ſqq. p. 220. ſqq.

XIX. Menſium quoque ſitum reſtituendum *Julius* Caeſar ſtatuit, accurateque ſibi ſumpſit, eoque Anni principium loco reponendum, quo pridem a *Numa* poſitum fuerat. Poſt enim quam a Januario Anno principium factum fuerat, a Romanis, quoad Comitia habenda, ineundoſque Magiſtratus, diverſus Anni cardo inſtitutus ſaepius eſt. Nam U. C. anno 244, quo *Regifugium* 8. Kalend. Junii contigit, a Kalendis Octobris Annus *Civilis* iniviſſe fertur, a Kalendis vero Juniis primi Conſulatum auſpicati fuiſſe *L. Junius Brutus*, *ac L. Tarquinius Collatinus* leguntur apud Varronem, Plutarchum in Publicola, Dionyſium Halic., ac Macrobium. Anno U. C. 260. a Kalendis Octobris tam Conſulibus, quam Anno factum auſpicium indicat Dionyſius Halic. Anno U. C. 267. Menſe Sextili Conſulatum adepti *Spon. Caſſius*, & *Proculus Virginius* apud eumdem leguntur. Anno U. C. 290. a Kalendis Sextilibus itidem Conſules, Praetores, reliquique Magiſtratus iniviſſe perhibentur. Anno U. C. 302. ſub Decemviris Idus Majae ſolemnes ineundis Magiſtratibus fuere. Anno U. C. 309. ſub Tribunis Militum Conſulari poteſtate creatis ab Idibus Decembris Anni principium deduci cepit, in quibus Magiſtratus inibant, honoreſque dabant. Sub Punico bello ſecundo pro Anni capite Idus Martiae conſtitutae ſunt, Tibullo, & Auſonio teſtibus; quin etiam Kalendae interdum Quinctiles, interdum Octobres. Anno U. C. 600. a Kalendis Januariis Conſulatus quidem exordium cepit, aſt a Kalendis Martiis Annus. A *Julio* Caeſare itaque Januarii Kalendis, queis adfixum a *Numa* fuerat, Anni initium eſt reſtitutum; atque ita deinceps Anni initium ab eiſdem Kalendis Januariis deducendum ab *Augusto* lege ſancitum eſt: quamvis *Nerone* imperante, ut Decembri Menſe, quo ille in lucem editus fuerat, Anni principium fieret, Imperatoris gratiae nempe promerendae cauſſa,

sa, cogitasse Senatus fertur: qua de re Alexander ab Alex. Genial. dier. lib. 3. cap. 24, Julius Pontedera Antiq. Lat., & Graec. epist. 36. p. 323. sqq. &c. De Mensium vero nominibus nihil immutavit Caesar, nisi quod *Quinctilis* in ejusdem honorem, quod eo natus Mense fuisset, *M. Antonio* Consule auctore, *Julius* adpellari deinceps cepit, Macrobio teste Satur. lib. 1. cap. 12. Denique ut & Veteris *Lunaris* Anni Romanis adeo pridem accepti memoria retineretur, id egit *Julius* Caesar, ut novi Kalendarii *Juliani* Annus, sive Anni *Juliani* Mensis primus cum ipsa die inciperet *Novilunii*, quod post *Solstitium* Hyemale proxime sequutum fuerat: quod eo plane anno die 8. post incidit: quo factum est proinde, ut Annus deinceps *Julianus* Hybernum post *Solstitium* diebus octo circiter inciperet.

XX. Atque hucusque stare utique potuisset error, nisi Pontifices, quibus intercalandi potestas iterum demandata a *Julio* Caesare fuerat, eadem abusi secundo fuissent, novumque sibi ex ipsa emendatione fecissent errorem. Namque quum intercalare diem oporteret, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto, antequam quintus inciperet, Pontifices illi quarto non peracto, sed incipiente, intercalabant. Qui error quidem annis 36. mansit, quibus annis dies 12. intercalati sunt, quum intercalari dies 9. dumtaxat oportuisset. Igitur & huncce quoque errorem sero deprehensum emendandum adsumpsit *Octavianus Augustus*, Macrobio Satur. lib. 1. cap. 14, Plinio lib. 18. cap. 25, Solino cap. 3, Ammiano Marcellino lib. 26. cap. 2. &c. testibus, ita Annos 12. absque intercalatione transigi jubens, ut tres illi dies, qui ultra dies 9. necessarios intercalati temere fuerant, hocce possent modo repensari. Qua ex disciplina omnis postea temporum est fundata ratio, ut quarto nempe quoque Anno dies 1. intercalaretur: quae ad aeternam rei memoriam, ut ab ullo deinceps ignorari videlicet, aut a Pontificibus alterari uspiam nequiret, *Augusti* jussu, Anno *Juliano* 38, U. C. 746, Christianam ante Aeram 8, Aereis Tabulis incisa est; videndique Aldus Manutius de Quaesitis per epist. lib. 1. epist. 3, Lilius Gyraldus de Annis, & Mens. Oper. T. II. p. 764. sq., Rosinus Antiq.

Antiq. Rom. lib.4. cap.1. p.329, aliique Recentiores. Atque celebris haec Anni forma fuit, qui vulgo *Julianus* adpellari cepit, cujus initium a Kalendis Januariis processit anno U. C. 709, Christi ante natalem 45. Sed enim superfluis etsi sublatis ab Anno diebus, *Augusti* Correctionem, in pristinum statum *Julii* Kalendarium fuerit restitutum, Feriae primae tamen litterae veteris *Solaris* Cycli numeris praefixae per annos 48. a *Julio* Caesare ad annum post Christum 4. inordinatae mansere: qua de inordinatione Clavius agit de Kalend.cap.23. Eas itaque Litteras, Tabula exarata, suo restituere loco conatus est P. Melito Perpinianensis Ordinis nostri Gregorianae Correct. differt. 5. cap.2; quam juxta Litterarum ordinationem Christi D. Natalis dies 25. Decembris consignatus, incidisse deprehenditur in diem Dominicam notatam Littera B, non vero in Sabbathi diem incurrisse, in veteri Kalendario notatam Litteris DC, quibus Annus ille *Bissextilis* supponitur, qui revera fuit *Communis*. Mensi quoque *Sextili*, exemplo *Julii* Caesaris, cujusce de *Quinctilis* nomine *Julius* deinceps est adpellatus, *Augusti* cognomen ab *Octaviano* inditum est, Svetonio in Augusto cap.31, Censorino de Die nat.cap.22, Macrobio Saturn. lib.1. cap.12. &c., Augustano factum id anno 20, Christi ante natalem 43, quo primum *Augustus* Consul exivit, referentibus. Utriusque morem imitati deinde Imperatores alii, alia Mensibus inducere nomina delectati sunt. Ita Senatu volente ut September *Tiberius*, & October *Livius* denominarentur, intercessisse *Tiberius* legitur apud Svetonium cap.26. *Germanicus* ut vocaretur September, jussit *Cajus*; ut suo de *Domitianus* adpellaretur October instituit *Domitianus*, Svetonio teste. Geminos ast hosce Menses *Antonium*, & *Faustinum* denominari vetuit *Antonius Pius* apud Julium Capitolinum. Aprilem rursus *Neronem*, Majum *Claudium*, & Junium *Germanicum* dici voluit *Nero*; videndique Svetonius in Aug. cap.31, in Calig. cap.15, & in Domit. cap. 13, ac Tacitus Annal. lib.15. sq. Sua de adpellatione *Tacitum* nuncupari Septembrem delectatus *Tacitus* legitur apud Vopiscum. A *Commodo* denique singulis Anni Mensibus nova, suo de arbitratu, indita fuere nomina, initio facto ab *Amazonio*,

(qui potius Annum finivisse aliis videtur), nomine videlicet dilecti ab eo Scorti *Martiae*, quam in *Amazone* pictam impurissime deperibat, ut advertit Aelius Lampridius, quae supposita e Tabula cognoscere fas est, de iisque adiri poterunt Dio lib.72. p.824, Herodianus lib.1. cap.14, Aurelius Victor, Eutropius, Zonaras, Suidas in Κόμμοδος &c., Casaubonus, Salmasius ad Lampridium cap.11, ac Fabricius in Menolog. p.131. Quia vero prisca ab aetate singulis Diis singulos Anni dedicare Menses, eorumque tutelae commendare Romanis superstitioni cessit, Tabulam heic quoque, e qua discere, quis cuique Deo Mensis dicatus esset, praesto sit, adponere haud inopportunum erit, qualis in Veteri Kalendario Farnesiano habetur: conferendique Stevvechius in Electis ad Arnobium p.119. sq., Hieronymus Columna ad Fragm. Ennii p. 165, & Scaliger ad Manilium p.139.

MENSES LATINORUM

A Commodo Imper. Denominati.			A Romanis Diis Dicati.	
1. Ἀμαζόνιος	Amazonius	Januarius	1. Jan.	Junoni
2. Ἀνίκητος	Invictus	Februarius	2. Febr.	Neptuno
3. Εὐτυχὴς	Felix	Martius	3. Mar.	Minervae
4. Εὐσεβὴς	Pius	Aprilis	4. Apr.	Veneri
5. Λούκιος	Lucius	Majus	5. Maj.	Apollini
6. Αἴλιος	Aelius	Junius	6. Jun.	Mercurio
7. Αὐρήλιος	Aurelius	Julius	7. Jul.	Jovi
8. Κόμμοδος	Commodus	Augustus	8. Aug.	Cereri
9. Αὔγουστος	Augustus	September	9. Sept.	Vulcano
10. Ἡράκλειος	Hercules	October	10. Oct.	Marti
11. Ῥωμαῖος	Romanus	November	11. Nov.	Dejanae
12. Ὑπεραίρων	Exsuperatorius	December	12. Dec.	Vestae

XXI. Neque tamen omnis a *Julio* Caesare, sive ab *Augusto* sublatus error fuerat; quin ab ipso in Anni formam intrusus fuit alter, geminoque proinde laborare *Julianum* Kalendarium vitio deprehensum est. Primus error fuit, quod *Ju-*

Julio a Sosigene persuaso Annus dierum 365. cum horis 6. integris positus fuerat: quod perinde suppositum fuit PP. Nicaenis, Dionysio Exiguo, Chronologisque veteribus passim, Sacris, atque Profanis: quum tamen sex horae illae haud integrae sint, sed minutis 11.′ 14.″ 43‴, juxta Ricciolium, ac Voglum, deficiant. *Solaris* enim Annus, sive *Tropicus*, sive *Astronomicus*, quo nempe temporis spatio *Sol* ad idem Zodiaci punctum, e quo recesserat, denuo regreditur, diebus 365, horis 5, minutis 48.′ 45.″ 17.‴ constat: *Sol* unoquoque siquidem die gradus unius minuta 59.′ 8.″ 20.‴ conficiat. Quamobrem illa minuta 11.′ 14.″ 43.‴ in Anno *Juliano* superabundantia intra quatuor annos tres fere horae quadrantes, & intra annos 131. unum fere diem componere deprehensa sunt, adeo ut intra annos 400. tres dies abundarent, Vernumque *Aequinoctium* tribus ideo ferme diebus citius, quam par esset, contingeret. Qua continuata *Aequinoctiorum* anticipatione factum tandem est, ut ab anno primo *Juliano* usque ad Christianae Aerae annum 1582, spatio nempe annorum 1627, quot scilicet a *Julio* Caesare ad *Gregorium* XIII. interfluxere, minuta illa 11. dies integros 12, cum horis 10, minutis 7.′ effecerint, adeoque ut *Aequinoctium* Vernum diebus 10. fere anticiparetur, atque a die 21. Martii retrotractum fuerit ad diem 11. ejusdem Mensis. Alterum aeque grave Kalendarii *Juliani* vitium in eo situm erat, quod Cyclus *Decemnovennalis*, sive *Aureus Numerus*, (qui Kalendario *Juliano* adpositus, non ab ipso quidem *Julio*, neque a Patribus Nicaenis, ut pote qui S. Dionysio Alex., Theophilo, & S. Cyrillo ignotus fuit, a quibus ideo Cyclus Paschalis omnium primis, non secus atque a S. Hippolyto Portuensi, elucubratus fertur; sed a Dionysio Exiguo annis post Julium Caesarem 600. fere, ut qui medio Ecclesiae Seculo VI. in vivis agebat, post Nicaenum Concilium 225. verius existimatur), *Aureus*, inquam, *Numerus* ita constans sit creditus, ut decimonono quoque anno recurrente, *Novilunia*, & *Plenilunia* in eosdem dies, horas, ac minuta reditura censita sint. Quum tamen eadem hora 1, minutis 27.′ 32.″ 55.‴ anticipare deprehensa sint; sive potius Cyclus *Lunaris* XIX. superari a Cyclo *Solari* XXVIII.

 dis-

discrimine, sive spatio horarum 2, minutorum 21.′ 28.″ 5.‴ cognitus sit; ideoque nulla *Solis*, ac *Lunae* Periodus Cyclo hujusmodi XIX. aequari ratione possit; quin imo potius, ut post annos 312. cum dimidio, juxta Clavium; aut post annos 310, juxta alios, citius uno die *Novilunia*, & *Plenilunia* contingere debeant: atque reipsa a Concilio Nicaeno intra annos 1300. *Novilunia*, & *Plenilunia* diebus 4. amplius citius contigerint, quam Cyclo XIX, sive *Aureo Numero* designata sint; ut propterea quae e Cyclo habebatur *Luna* 14, esset reipsa *Luna* 18, sicque *Pascha* non amplius e *Luna* 15. in 21, velut a PP. Nicaenis apud S. Ambrosium in Epist. 83. ad Episcopos Aemiliae constitutum fuerat, sed a *Luna* 19. in 25. celebraretur.

XXII. Gemino porro huic errori, quo Paschalis praesertim festivitatis, reliquorumque per annum Festorum ordo pervertebatur, remedium diu quaesitum fuit, nullique, ut reperire demum fas esset, industriae, ac labori parcitum ab Ecclesia est, a *S. Clemente* I. Const. Apost. lib. 5. cap. 17. edit. Cotellerii T. I. p. 325, in quem conferendus, qui locum hunc ab Audianis vindicat, S. Epiphanius Haer. LXX. §. 10; juncto Canone 8. Apostol. ibid. p. 443; a *S. Victore* I. ope Synodi Caesariensis anno 198; quam ipsam in rem incubuere perinde Synodi Pontica sub *Palma*, Osroena in Asia, Gallicana sub *S. Irenaeo*; *S. Hippolytus* Portuensis sub Alexandro Imp. apud S. Isidorum Hisp. Orig. lib. 6. cap. 17, *S. Dionysius* Alex. sub Gallieno apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 7. cap. 15; S. *Anatolius* apud eumdem lib. 7. cap. 32; Synodi Arelatensis I. Can. 1. sub S. *Silvestro*, Nicaena, Antiochena sub S. *Julio* I, Anglicana I, Carthaginensis III. Can. 1, Carthaginensis IV. Can. 7, Hipponensis Can. 1; a *S. Innocentio I.* Epist. 14. ad Aurelium Carthag. edit. Coutantii p. 818. sq.; qua etiam parte egregie defuncta legitur Synodus Africana sub *S. Bonifacio* Can. 18, & 40: cuique perinde operae humeros supposuisse leguntur *S. Athanasius* in Tract. de Ratione Pasch. Oper. T. II. edit. Montfauc. p. 741, *S. Ambrosius* Epist. 83. ad Episcopos per Aemiliam constitutos, ac Eusebius Caesariensis ipso teste de vita Constantini lib. 4. cap. 34. sq.; instituit quoque Synodus Are-

Arelatensis III. in Synodica ad *S. Leonem* M.; ab ipso *S. Leone* Epist. 64, opera *Paschasini* Lilybetani Epist. post 63. Leoninam, ac in Synodo Chalcedonensi Act. I; qua vero Pontificibus, qua Synodis demandantibus, & adhortantibus, ab Alexandrinis Episcopis Paulo, Theophilo, Proterio, Cyrillo &c. apud eumdem S. Cyrillum in Prologo, Eusebium Hist. Eccl. lib. 5. cap. 2, Dionysium Exiguum Epist. 1. ad Petronium, Bucherium Comment. in Vict. Aquit., Petavium in Adpend. T. II. Doct. temp., Vander Haagen de Cyclis Paschal. Par. II. p. 393. sqq. &c. Quam ipsam in curam subinde ingressae sunt Synodi Aurelianensis IV. sub *Pelagio* I. Can. 2, Bracarensis II. Can. 9. &c., operamque commodasse suam leguntur Anianus, & Panodorus Aegyptii Monachi apud Syncellum Chronog. p. 34. sq. edit. Paris., Ven. p. 27. sq., & apud Vander Haagen p. 65. sqq., Victor Aquitanus apud Bucherium, Morianus apud Dionysium Exiguum, Dionysius ipse apud Bucherium in Adpend., Cassiodorus, S. Isidorus Hispal. de Rerum natura apud Muratorium Anecd. T. III. p. 208. sq., S Felix Abbas Gillitanus, de quo Anonymus Muratorianus Anecd. T. III. lib. de Computo cap. 121. sq., ac Vander Haagen de Cyclis Pasch. p. 38. sqq., Metrodorus apud Photium Cod. 115. p. 291. sqq., Ceolfridus Abbas Epist. ad Naitonem Pictorum Regem apud V. Bedam Hist. Angl. lib. 5. cap. 22, V. Beda ipse de Rat. temp., Auctor Cycli Ravennatensis apud Norisium dissert. hocce de Cyclo, Reginaldus, ac Regenboldus, Anonymique alii de Ratione Paschat. inter Codices Mss. Bibl. Bodlejanae n. 63, quo de Joh. Guillel. Janus, ac Vander Haagen p. 24. sqq., Maximus Monachus, Anonymus Ambrosianus Cod. 70. Litt. 5. de Computo a Muratorio editus Anecd. T. III. p. 111. sqq., Rabbanus Maurus de Computo apud Baluzium Miscell. T. I. p. 1. sqq., Gildas Monachus in Cod. Ms. Bibl. Cottonianae de Computo, teste Usserio, Johannes a Sacrobosco, Johannes de Saxonia, Robertus Lingolniensis Episcopus cognomento Capito, Petrus Philumena, Nicephorus Gregoras, Alexander de Villadei in Bibl. Vatic. sub num. 3111, Isaacius Argyrus, Joh. Somerius Ordin. Minor., Robertus Levestrius ejusdem Ordinis &c.

XXIII. Qua ipsa de re, Ecclesiastico nempe Kalendario

rio emendando, suoque rite Paschate celebrando tempore, sollicitos se perinde dedere Patres Synodi Constantiensis, in eaque Petrus de Alliaco praesertim, atque Basileensis, in eaque Nicolaus Cusanus quammaxime Tract. edito de Reparatione Kalendarii Romani. Eidem adornandae spartae incubuere deinde *Sixtus* IV, Romam idcirco evocato Johanne Regiomontano, ac *Leo* X. in Diplomate ad Acad. Lovan. apud Pighium de Ratione Pasch. celeb. p. 21, cui in Concilio Lateranensi propositiones de Correctione Kalendarii oblatae fuere a Paulo Middelburgensi Episcopo Forosemproniensi. Eadem de Kalendarii restitutione egere perinde Albertus Pighius, Johannes Stoeflerus, Petrus Appianus, Joseph Moletius, Alphonsus Fabritius, Petrus Cirvellus, Cyprianus Benneti, aliique, quorum Tractatus Mss. habentur in Bibl. Vatic. Cod. 2462. p. 237, 259, & 364, videndique Johannes Lucidus, & Antonius Possevinus in Not. Verbi Dei. In hanc ipsam postremo ingressi curam Synodi Tridentinae Patres, rem integram ad Romanum Pontificem deferendam, ejusque sollicitudini permittendam religioni duxere. *Gregorius* XIII. itaque Constit. 136. *Inter gravissimas* Bullar. Rom. edit. noviss. T. IV. Par. IV. p. 10. sqq., opera praesertim Aloysii Lilii adhibita, & in Brevi *Cum Nos nuper* Aprilis 13. anno 1582. ad Antonium Lilium Aloysii fratrem, quos *Umbriaticenses* in Regno Neapolitano vocat, unde corrigendus est Ricciolius Veronenses illos vocans Chronolog. Reform. lib. 1. cap. 28, *Gregorius* XIII, inquam, Ecclesiastici Kalendarii reformatione suscepta, ea praestitit, quibus optimo istud repositum in loco fuit, quo de infra. Post ipsum *Clemens* VIII. Const. 300. *Quaecumque* Bullar. Rom. T. V. Par. III. p. 3. sqq. Kalendario ipsi Gregoriano illustrando, explicando, vindicandoque, Christophoro Clavio admoto, incubuit. *Alexander* VII. item, Francisco Levera in Prodromo de Motibus Solar., ac Dionysio Verianellio in Clypeo veritatis pro Kalendarii emendatione instantibus; *Clemens* XI, speciali ad id operis instituta Congregatione, ac sub eo a Vitale Jordano nova Methodo excogitata in Vitis Arcadum T. III. p. 185; ac *Clemens* XII, eidem a Jacobo Bettazzio exhibito Gregorianae Correctionis exem-

exemplari: quorum ſane Pontificum hac in parte curam, laboremque plurimum adjuvare Viri rei Aſtronomicae peritiſſimi, Durandus, Caſſinus, Noriſius, Bonjurius, Quartinonus, Blanchinius, Manfredus &c. ſummis adnixi ſunt viribus. De variis porro ad id operis excogitatis Periodis, atque Cyclis pleraque diſputata jam fuere ſuper. Proleg. IV. p. 40. ſqq., abundeque diſputandum ſeq. Volum. Proleg. V, quum de variis apud varias Gentes Periodis, atque Cyclis ſermo fiet, nobis ſupereſt.

XXIV. Utrumque itaque, qui Kalendarium in *Julianum* irrepſerat, errorem obnixe ſibi emendandum unus quammaxime ſequioris ex aetatis Pontificibus *Gregorius* XIII. adſumpſit, convocatis ad id operis univerſo ex Orbe Chriſtiano Aſtronomis celebrioribus. Animadverſum quum itaque fuiſſet Annis ſingulis 393. ex minutis illis 11. in Anno *Juliano* ſuperabundantibus dies 3. integros colligi, adeoque a Concilii Nicaeni tempore, ſpatio ideſt annorum 1300. fere, dies 10. irrepſiſſe, proinde ut Vernum *Aequinoctium* ſuam in ſedem reſtitueretur, dies hoſce 10. anno detrahendos Pontifex ſtatuit, qui reipſa eodem anno 1582. e Menſe Octobri detracti fuere, adeo ut dies 5, quae feſtum S. Franciſci ſequi debebat, pro die 15. habita fuerit. In Gallia porro, Strada Dec. 2. lib. 5. p. 245, ac Thuano lib. 76. p. 580. referentibus, atque in Belgio, uti ſcripſit Emmanuel a Meteren Hiſt. Belg. fol. 211. apud Munckerum de Intercal. lib. 1. cap. 10. p. 72. ſqq., ſubtractio iſthaec e Menſe Decembri facta eſt, adeo videlicet ut, quae Decembris dies 10. erat, reputata dies 20. ſit, atque ita die 15. celebratus ſit Chriſti D. Natalis dies, qui die 25. celebrandus erat, ideoque ſequenti anno 1583. dies, quae Martii 11. futura erat, computata dies 21. fuerit. Verum Kalendarii emendatio haec non ubique recepta continuo fuit, ſed in Europa nonnullis vetus adhuc, diuque Populis uſus, ſive Kalendarii *Juliani* ſtylus obſtinatiſſime retentus eſt, hodie tamen ubique *Gregoriani* Kalendarii uſus tandem obtinuit. Veteris itaque Kalendarii differentia a Novo eſt dierum 11, nempe dierum 10. ex ſubtractione facta Anno Correctionis 1582, ac diei 1. ex omiſſione *Biſſexti* anno 1700. facta. Quae differentia Novi,

vi, sive *Gregoriani* a Veteri, sive *Juliano* stylo anno 1800. rursus erit dierum 12, anno 1900. dierum 13, ac ita deinceps una die adcrescet, quoties annis Centesimis diei *Bissexti* intercalatio omittetur, ita ut in Centenariis 2200. 2300. 2400. 2500. numeri subtractitii sint 13. 14. 13. 14, uti rite ex Clavio Kalend.cap.11. contra Beveregium Institut. Chron. lib.2. cap.6. art.13, ubi numerum ab Anno *Juliano* subtrahendum unitate semper augendum docet, advertit Thomas Pius Maphaeus Ord. Praed. de Cyclorum Soli-Lunar. inconst., & emend. cap.1. §.5. p. 11. Inde fit igitur, ut quae veteri stylo dies 1. Januarii erat, stylo novo eadem dies 12. sit; quae Martii dies 21. in Anno *Juliano* erat, in *Gregoriano* sit dies 1. Aprilis, & quae dies 21. Decembris, jam sit Januarii dies 1. anni insequentis. Inde sequitur itidem, ut Litterae *Dominicales* eamdem Feriam, sive diem, juxta diversum stylum, diversae designent, adeo ut in Kalendario *Juliano* dies 1. Januarii, ac Feria 5. Littera A designetur, in *Gregoriano* vero eadem dies, ac Feria littera E designata sit, ac duodecima habeatur. Inde fit denique, ut *Aurei Numeri* Veteres, ac Novi diebus 3, aut 4. inter se discrepent, ideoque *Novilunia*, & *Plenilunia* diebus 3, aut 4. citius in *Gregoriano*, quam in *Juliano* Kalendario enuntientur: quam in rem consulendae Tabulae Astronomicae tum a PP. Maurinis Glossario DuCangiano T.I. edit.Ven.p.479. sq. adjectae, tum a Petavio Doct. temp. lib.5. cap.3. sqq., tum a P. Melitone Perpinianensi nostro elaboratae Gregorianae Correctionis p.43. sqq., tum a P. Maphaeo de Cyclor.inconst.p.218. sqq. digestae &c., ex quibus Veteris Kalendarii cum Novo collati discrimen omne facile dignoscetur. Denique ne heic idem error, & *Aequinoctii* anticipatio denuo contingeret, prudentissime decrevit idem Pontifex, ut singulis annis 400.dies 3. intercalares omitterentur; ita ut quum alioqui Centesimi singuli *Bissextiles* esse debuerint, ex Centesimis attamen tres *Communes* forent; ideoque *Bissextilis* quum fuerit annus 1600, Correctioni proximus, Centesimi sequentes Anni 1700. 1800. 1900. *Communes* essent, atque *Bissextilis* iterum Annus 2000. futurus sit.

XXV. Quam facile vero fuit errori huicce remedium adpo-

adponere, tam viciſſim difficile alteri occurrere errori fuit, qui Cyclo in *Decemnòvennali* deprehenſus fuerat, quove diu, multumque Aſtronomorum ingenia torta, diſtractaque ſunt. Donec ab Aloyſio Lilio opportuna de repente excogitata emendatio eſt, ut nempe *Aurei Numeri* loco *Epactarum* xxx. numerus ſubrogatus fuerit. *Epactali* quidem Cyclo omnem prorſus haud praecaveri errorem potuiſſe, quin labem in *Novilunium*, ac *Plenilunium* inferret, indeque Paſchale feſtum qua citius, qua tardius celebrandum indiceret, ſuper. Proleg. IV. Art. III. de Epactis §. xvi. ſqq. p. 66. ſqq. multis oppido palam eſt factum. Aſt enim tam facile vitio huic, quod ex *Epactis* imminere poterat, remedium patere; quam difficile fore, quod & hactenus factum haud eſt, ut *Noviluniis*, atque *Pleniluniis* indicandis, ideoque Paſchali deſignando feſto, Cyclo *Epactali* meliorem ſufficere Cyclum abunde, opinor, demonſtratum eo loci eſt. Recte itaque, Kalendarii reformatione a Pontifice Romae promulgata, eidem illico vindicandae, bonoque in lumine collocandae operam ſedulo commodarunt ſuam Viri de re cum Publica, tum Eccleſiaſtica optime meriti, eo de Computo Eccleſ. Tractatibus editis, Hugolinus Martellus Epiſcopus Clandatenſis, Johannes Raſſius; Theodorus Graminaeus, Leonardus Thurneiſſerus in libro Alchimiae; Antonius Maginus Patavinus Aſtron.; Petrus Roeſtius; Jacobus Hornſteinius; Adamus Suinarskius; Bartholomaeus Scultetus; Jacobus Cuno; Michael Eichlerus; Cyriacus Spangenbergius; Alexander Canobius; & Nicolaus Maſſucius Romae; Leander de Figueiroa Faxardo Conimbriae; Benedictus Monter., & Rodericus Alphonſus de Avila in Hiſpania; Chriſtophorus Clavius in Germania, a quo tum nova Kalendarii ratio a Franciſco Vieta Pariſiis anno 1600. propoſita ſolide refutata eſt, tum Kalendarium aliud a Gregoriano difforme a Joſepho Scaligero excogitatum pariter exſufflatum eſt, tum Kalendarii Gregoriani Apologia adverſus Michaelem Maeſtlinum in Academia Tubingenſi Mathematicum eſt adornata; Paulus Guldinus Soc. J. Moguntinus, a quò Sethi Calviſii Elenchus Kalend. Gregoriani refutatus eſt, aliaque a Calviniſtis, ac Lutheranis; qualia a Lamberto Florido, Marco

Volmario, Hermanno Witekindo, Tobia Mollero, Georgio Caesio, Martino Kemnitio, Georgio Mullero, Ludovico Hemboldo, Martino Curbino, Joh. Scheyelingio, Gasparo Fuggero, Luca Osiandro, Henrico Buntingio &c., sive excogitata Kalendaria exsibilata sunt, sive Gregorianum vindicatum ab eorum dicteriis Kalendarium est; Albertus Rozcisvvskius Soc. J., qui Latiosum Polonum eidem Kalendario infensum pro merito castigavit; Joh. Bapt. Ricciolius, qui Gregoriani Kalendarii vindicias adversus Franciscum Leveram conscripsit; Johannes Busaeus, a quo disputatio Apologetica elucubrata est adversus Jacobum Herbrandum Tubingensem; Johannes Salonius Hispanus Ord. Min., qui Gregorii XIII. jussu de Romani Kalendarii emendatione scripsit; Theodorus Moretus Soc. J. Uratislav. de Luna Pasch. &c.; Gaspar Schottus ejusdem Societ. in Encyclopedia Par. III. lib. 11. Chronog. cap. 5. sqq.; Besoldus Thes. pract. V. Kalend.; Menochius 2. Arb. Jud. q. cas. 50; Carrierius de Computo fol. 477; Petavius Doct. temp. lib. 5. cap. 1. sqq., a quo late Scaliger, & Calvisius Kalendario Gregoriano infesti refelluntur; Michael Manfredus in Vindiciis Kalend. Gregor.; P. Melito Perpinian. in Gregoriana Correct. illust., a quo dissert. xi. cap. 3. sqq. cum Mullerus, tum Desplaces in Ephemer. eidem Correctioni subinfensi refutantur; aliique ex ipso Protestantium grege, e quibus Nicolaus Mullerus Tabularum Frisicarum auctor Isag. Kalend. cap. 17; Petrus Horrebovvius de Nova Methodo Pasch. cap. 13. p. 119. sqq., aliique apud Wolfium T. II. p. 944. meritis Gregorianum Kalendarium excipere laudibus, extollereque non dubitarunt. Quod Kalendarium denique a Gregorio XIII. reformatum primus in Oriente suscepisse legitur Josephus Risius Maronitarum Patriarcha anno 1606, veluti testis accedit Stephanus Edenensis in Chron. Syr. ad eumdem annum. Qui & in Vindiciis Maronitarum scribit Josephum Accurensem Patriarcham Syro-Maronitarum alterum anno 1645. de Kalendarii restitutione scripsisse adversus Orientalium calumnias, ac praesertim adversus Melchitas, qua de re adeundus Cl. Assemanus Bibl. Orient. T. I. p. 553. sq. In Occidente vero hodie non amplius Gens est, quae Kalendario ita a Gregorio XIII.

resti-

reſtituto refragetur. Atque de Variarum per Orbem Gentium Menſibus variis, & Annis ſatis jam, atque ſuper, ut ad veterum modo Populorum, ac Urbium Periodos, Cyclos, Aeras, ſeu Epochas noſtra ſe accingat oratio, praeſtitutae operae pretium jam eſt: quod ſeqq. Volum. praeſtandum noſtro pro modulo adgredimur.

Partis I. Tomus III.

EXPLICIT.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

stivum *Solstitium* erat, deinde Autumnale *Aequinoctium* evasit. Ita cur mutaretur Anni cardo, in caussa fuisse qua Cyclum XIX. *Judaicum*, qua Indictiones *Constantinianas* aliqui putant. Apud Syros postea a Septembri ad Kalendas Octobris Anni caput delapsum est p.179.sq. Eadem fere Anni forma apud Syro-Palaestinos, Phoenices, Syro-Phoenices, Caelo-Syros, Syro-Cappadoces &c. obtinebat p. 181. sqq. Idem ferendum de Syris aliis, Mesopotamenis, Syro-Cyrrhesticis, Heliopolitis, Caelo-Syris &c. judicium est p. 192. sqq.

Annus Syro-Hellenistis, & Arabo-Syris ad *Juliani* deinde rationes attemperatus usu fuisse legitur in Hemerologio Florentino p. 197. sqq. Atque Syro-Hellenum Annus quidem a Kalendis Septembris incipiebat, Arabo-Syrorum vero ab Autumnali *Aequinoctio* incepisse videtur p. 200. sqq. Apud Macedones, siquos alios, diversis sub aetatibus admodum diversas induere rationes visus Annus est p. 201. sqq. Non ab *Ariete* vero, ut alicubi legitur, sed a *Tauro*, ut alii censent, vel a *Libra*, ut autumant alii, *Caelestis* inibat Annus. *Civilis* autem olim ab *Aequinoctio* Autumnali juxta aliquos, vel ab *Aequinoctio* Verno exordium capiebat p.202. sqq. *Lunaris* olim erat, diuque absque intercalationis froeno vagari permissus est: quo factum est, ut haud idem Anni semper initium fuerit p.206. sqq. Apud Syro-Macedones ad *Solis* periodos deinceps exactus novam induere formam Annus visus est. Cujusmodi vero nova isthaec fuerit Anni forma, ingens inter Chronologos necdum definita lis est: qua in re diversae quae intercessere de Anno *Syro-Macedonico* tam Veterum, quam Recentiorum opiniones late exponuntur p. 209. sqq. Quae demum ea componi ratione posse videntur, tum ut duplicis genus Menses, *Lunares* idest, atque *Solares* adhibiti fuerint; tum ut haud semel mutata fuerit Anni forma, ac primo quidem a *Philippi* Regis tempore, sub *Alexandri M.* aetate perinde p. 216.sqq. Sub qua Anni quatuor definiti cardines, queis a Mensibus, quave a Mensium die exordium caperent p.222. sqq.

Annus apud Antiochenos sub Seleucidis non ab *Hyperberetaeo*, Octobri nempe, uti Scaligero, Petavio, Petito, Ducangio &c. visum; neque ab *Artemisio*, sive Majo, veluti Langio, Vaillantio &c. persuasum fuit; neque a *Gorpiaeo*, nempe Septembri, sicuti Dodvvello, Loydio, Norisio &c. reputatum est; sed a *Dio*, Octobris idest die 24, incepisse Longuerue videtur p. 237. sqq., 239. sqq., 242. sqq., & 247. sqq. Duplex Asianis usurpatus fuisse Annus *Civilis*, ducto a *Gorpiaeo*, sive Septembri cardine, ad profanos usus; & *Sacer* pro rebus agendis Sacris, a *Dio* capto initio, Octobris idest fine, visus aliquibus est: quod inficias alii eunt p.242.sq. Et certe Veteribus Ethnicis a *Civili* distinctum usu *Sacrum* haud venisse Annum discere

ex

B

ter, ac *Lunae* rationes discrimen adhuc horarum 6. circiter mansit, antequam idest *Luna* ad idem cum *Sole* punctum regrediatur; adeo ut post *Calippicas* Periodos 4. excessus *Solaris* supra *Lunarem* Periodum sit diei 1. fere. Sed & alter ex Periodo *Calippi* sequutus est error, utquipote Anno mere *Juliano* usus & ipse sit. Quò fiebat, ut annorum 300. spatio *Tropicum* Annum *Julianus* die 1. excederet. Cui vitio ut obviam iret *Hipparchus*, singulis annis 304. diei 1. intercalationem omittendam fore docuit: haud recte tamen undequaque, nam annorum 304. excessus *Julianorum* supra *Solares* annos est horarum 23. minut. 11.' 6." 40.‴ dumtaxat. Sed neque ab *Hipparcho* Periodi *Solaris* XIX. supra *Lunarem* excessus horae 1. min. 27.' 32." 41.‴, ac *Solaris* XXVIII. supra *Lunarem* excessus horarum 2. minut. 21.' 28." 5.‴ emendatus est, adeo ut annorum 310., aut 312. spatio *Novilunia* die 1. anticiparent p. 100. sq.

Cyclus *Lunae* XIX. ab anno, qui proxime vulgarem Christi natalem praecessit, incepisse ponitur, adeo ut Aerae Christianae annus 1. fuerit Cycli XIX. annus 2, sive *Aureum Numerum* 2. tulerit. Quò sane fit, ut in proposito quolibet Aerae Christianae Anno Cycli XIX. numerum decurrentem reperire in promptu sit p. 101. sqq. Invento vero Cycli XIX. anno, sive *Aureo Numero*, haud difficile est diem obtinere, quo eo *Pascha* anno celebrandum sit p. 102. sq. Ejusdem denique Cycli *Lunae* XIX. ope deprehendere fas est dies, in quos *Novilunia*, atque *Plenilunia* quotannis incurrant p. 104. sq.

Cyclus Arabum ex annis 30. conficitur, in quibus anni 19. *Cavi* sunt, reliqui anni 11. *Pleni*. Siquidem enim *Astronomicus* apud Arabes Annus dierum 354. horarum 8. minut. 48.' fiat; *Civilis* vero praecise dierum 354, proinde excessus ille horarum 8. minut. 48. *Astronomici* supra *Civilem* anni collectus, insertusque Cycli XXX. annis 2. 5. 7. 10. 13. 15. 18. 21. 24. 26. 29. hosce *Plenos* efficit Annos, reliquis 19. *Communibus* remanentibus. Expletis vero Cycli *Arabici* annis 30, ad eamdem quidem aut diem, aut feriam Cycli exordium post annos 235. *Arabicos*, sive 228. *Julianos* regreditur, haud tamen ad utramque, diem idest, ac feriam, quam utramque, nisi post annos 538, non adsequitur p. 129. sq.

Cyclus Tartaris Annorum 12. adhiberi solet ad annos putandos, totidem Animalium 12. nominibus insignitus, quae sunt I. *Keskou* Muris, II. *Out* Bovis, III. *Pars* Leopardi, IV. *Touschcan* Crocodilli, V. *Lovi* Serpentis, VI. *Ilan* Equi. VII. *Junad* Vituli, VIII. *Koi* Simiae, IX. *Pitchin* Gallinae, X. *Dakouk* Galli, XI. *Eit* Canis, XII. *Tongouz* Porci: quo pariter Cyclo uti Chaldaei olim, Syri, Persae, Arabes, & hodiedum Indi, Turcae, Sinenses, Japonii &c. solent p. 138. sq.

Cyclus Arabo-Sinensium alter est annorum 30: quo spatio Menses 11. *Lunares* intercalari solent; al-

An-

Epa-

F

Ger-

I

to

M

lectos p.442. Queis a Danis, Suecis, Gothis, Islandis. Queis apud Slavos, Ruthenos, ac Dalmatas p.441. Queis a Bohemis, Polonis, Hungaris, ac Finnis p.445. Veteres apud Gallos, qui *Phocensibus* Coloni fuere, iidem usu fuisse Menses olim, qui Phocensium fuerant proprii, videntur. Donec sub *Julio* Caesare Romano se attemperare Anno compulsi sunt.p.448. sq. Gallis aliis Aerae Christianae adhuc Seculo I. mere *Lunares* fuisse Menses opinatus Scaliger a Petavio refellitur p.449. sq. Veteribus Hetruscis Menses iidem nomine, ordine, ac serie fuisse videntur, qui vel Assyriis, vel Phoenicibus, vel Lydis, vel Pelasgis, usu fuerant, prout alterutris scilicet ex his originem illi sortiti censentur p.456. sqq. Post Latinorum utique Menses ab U. C. anno 435, quo Romani Populi sociis adscripti sunt, usu pariter Hetruscis venisse haud dubium est p.462.

Menses Veteribus Latinis iidem, qui Populis, unde originem ipsi nacti sunt, usu fuerant, usurpati fuisse videntur p.463. sq. Atque ita in Anno diversus apud diversos Mensis exordiri solebat; atque diverso Menses dierum constabat numero, ut *Martius* dierum 36. Albanis esset, *Majus* dierum 22, *Sextilis* dierum 18, *September* dierum 16; Tusculanis *Quinctilis* dierum 36, *October* dierum 32; Aricinis *October* dierum 39. esset &c. p.468. Romanis porro a *Lunae* phasi Mensis inibat, unde Menses 6. dierum 30, & Menses 4. dierum 31. effecti sunt: a Martio vero, sive ab *Aequinoctio* Verno initium Anno factum est; qui duobus adauctus deinde Mensibus Annus a *Solstitio* Hyberno initium ducere cepit p. 469. sq. *Februarius* vero Mensis in Anno *Romano* an 2, an 12, seu ultimum occupaverit locum, inquiritur p.472. sq.; eum sane diebus, non 23. dumtaxat, sed 28. utique constitisse ostenditur p.473.

Menses ita *Romano* de inceps in Anno ordinati a *Julio* Caesare sunt, ut a *Januario* semper impostarum Annus inciperet p.479. De nominibus vero Mensium veteribus nihil ab eo immutatum est: nisi quod *Quinctili* ejus de nomine *Julii* deinde, *M. Antonio* auctore, inditum est p. 480. Mensibus Anni deinde alia ab aliis Imperatoribus nomina indita fuisse praesertim a *Commodo* leguntur, iique singuli singulis dedicati fuere *Diis*, sive *Deorum* tutelae a Romanis olim commendati p.481. sq.

Mogulenses originem, atque nomen a *Mogulo* fratre *Tatari*, e quo denominati quoque *Tartari* fuere, filio *Alinge-Khani*, qui e posteris *Japheti* a filio *Turko* progenitis quinto ipse recensetur loco, a quove perinde inducta primum *Idololatria* fertur, accepisse perhibentur p. 139. sq. Itaque post *Japheti* obitum anno 700. circiter Mogulensium Dynastia I. a *Mogulo-Khano* fundata traditur, ac in Regibus IX. durasse. Dynastia II. a *Bertezena* condita Reges XX. habuisse legitur usque ad *Ginghischanum*, a quo Dynastia III. fundata, magnumque in splendorem evecta est. Quatuor porro inter *Ginghischa-*

N

O

 bus,

Plisti

T

rae Christianae anno 1099, quae Dynastas IV. usque ad annum 1171. habuit. III. *Turcomannorum* Armeniae Christi anno 1112, quae in Sultanis IX. usque ad annum 1207. perstitit. IV. *Atabekidarum*, quae in alias subinde quatuor & ipsa partita est; quarum I. *Atabekidarum* in Syria Aerae Christianae anno 1127. fundata in Sultanis XI. per annos 137. stetit; II. *Atabekidarum* in Media, quae Christi anno 1136. condita usque ad annum 1225. duravit; III. *Atabekidarum* in Perside ab anno Christianae Aerae 1148. usque ad annum 1264; IV. *Atabekidarum* in Laristania ad sinum Persicum a Christi anno 1150. usque ad annum 1340. p. 153. sqq.

Turcomanni alii celebriores in Chaldaea, & Media imperium obtinuisse leguntur; e quibus praecipui fuere I. Turcomanni *Kharismi*, e queis ab Aerae Christianae anno 1097. ad annum 1230. Sultani VII. regnarunt. II. Turcomanni *Kara-Coinli*, idest *Arietis Nigri*, cujus imaginem in Vexillis pro insigni gerebant, e-quibus ab anno Christi 1403. per annos 66. Sultani IV. imperium obtinuere. III. Turcomanni *Ak-Coinli*, hoc est *Arietis Albi*, qui pro insigni in ipsorum Vexillis effingi solebat, e queis ab Aerae Christianae anno 1397. Sultani XIII. usque ad annum 1509. regnum administrarunt. Turcomanni hi porro omnes diversa subire fata compulsi sunt a *Ginghischano*, ab *Vzun-Hassano-Begho*, ab *Ismaele Sofi*, a *Selimo* Bajasethi II. filio, a *Schaho Tamaz*, a *Solimano*, a *Schacho Abbas*, ab *Amurate* III, aliisque p. 155. sq. Turcomanni alii, Tartari etiam, ac Turcae ad Europae confinia pulsi, varias subinde occupavere Regiones, & variis adfecti nominibus audivere, variis sibi praefectis ducibus, atque Phylarchis p. 156. sqq. E Turcomannis adhaec e Circassia fugatis, atque Captivis in Syriam, & Aegyptum abductis binae *Mamelukorum* exortae Dynastiae sunt; I. *Baharitarum*, quae Aerae Christianae anno 1250. usque ad annum 1373. in Sultanis XXVIII. stetit; II. *Circassiensium*, quae ab Anno Christi 1373. usque ad annum 1517. in Sultanis XXVII. duravit p. 158. De Mensibus, & Annis, qui usu Turcomannis fuere p. 159. sqq. Vide-sis V. *Annus*, & V. *Menses*.

Tyrus a Sidoniis ante *Salomonici* Templi fundationem annis 240. fundata Josepho Hebraeo fertur. In Insula pridem sita *Palaetyrus* dicta est; Isthmo postea Continenti juncta, Peninsula facta est, milliaria 19. spatio complexa. Ab *Hiramo* Rege celebre *Jovi* Templum ibi aedificatum, *Herculi* erecta Statua, & Colossus *Apollini* dedicatus legitur p. 260. Vide-sis V. *Sol*.

Tyrus nomen etiam ab *Hercule* tulisse, ideoque *Heraclia* quoque dicta legitur, velut ex Nummis discimus. Suos ab initio Reges habuit: a *Salmanazare* deinde, atque a *Nabuchodonozore* tredecim annorum obsidione capta, & eversa, Regum loco *Suffetes* accepit: donec ab *Alexandro M.* septem post obsi-

ERRA-

ERRATA EMENDATIONES.

Pag.46.lin.22.23.44″ 44.′ p.61.l.36.4$\frac{5}{}$ 4$\frac{5}{0}$. p.85.l.19.postmodnm postmodum p. 91. l. 19. *Numerornm Numerorum*. p. 121. l. 9. dictu.s dictus. p.124. l.15. בעלה פעלה. p.129. l.21. scrupolorum scrupulorum.p. 154. l.23. *Pehlevavo Pehlevano*. p.158. l.35. discendisse descendisse. p.178. l.4. Homeлitas Homeritas. p. 185. l.4. peculiaris peculiari. p. 193. l.14. definiri definiti. p.252. l.33. nna una. p. 254. l.4. Agypto Aegypto. l.8. exibitam exhibitam. p.277. l.19. iutelligi intelligi. p.288. l.31. ideoqae ideoque. p. 350. l.11. Doddvvellus Dodvvellus. p.352. l.12. conquaerentem conquerentem. p.368. l. 18. Jannariis Januariis. p.379. l.20. conguant congruant. p. 429. l. 32. Tyrrenos Tyrrhenos. p.432. l.12. *Abrahamo Abrahamo*. l.30. Lybiam Libyam. p.445. l.1. Oplonorum Polonorum. p.446. l.5. suerit fuerit. p.451. l.1. Juulianae Julianae.